

<36604895540014

Gesta Trevirorum

INTEGRA

LECTIONIS VARIETATE ET ANIMADVERSIONIBUS
ILLUSTRATA

AC

INDICE DUPLICI INSTRUCTA

NUNC PRIMUM EDIDERUNT

JOANNES HUGO WYTTENBACH

ET

MICHAEL FRANCISCUS JOSEPHUS MÜLLER

TREVIRI.


VOLUMEN I.

AB INCUNABULIS MYTHICIS HISTORIAE TREVIRENSIS USQUE AD OBITUM
ARCHIEPISCOPI ARNOLDI AB ISENBURG
ANNO MCCLIX.

AUGUSTÆ TREVIRORUM

TYPIS ET SUMPTIBUS TYPOGRAPHIAE BLATTAVIANAE.
(IN COMMISSIS APUD J. J. LINTZ.)

MDCCCXXXVI.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

PRAEFATIO.

Difficilem suscepimus laborem, pium tamen ac jucundum.

Difficilem dicimus; conatus enim noster, rei publicae literariae novam, integram et criticam exhibendi Gestorum Trevirensium editionem, non erat res levis momenti: argumentum erat ejusmodi profecto, ut nonum premeretur in annum. Exegit labor iste omnium editionum recognitionem; earum cum codicibus manuscriptis, qui ad notitiam nostram pervenerunt, collationem; textuum tam concordantium quam discordantium relationem; illorum, quae apud editores, fato quocumque, omissa sunt, interpositionem: permulta enim, attentione non indigna, in editionibus desiderari, nunc satis superque constat, et codices manuscripti, cum exemplis editis collati, corrigenda multa suppeditarunt. Exegit labor iste, et nostrum simul consilium, dubiis, quantum fieri potuit, dare fidem, obscuris lucem, obsoletis nitorem, fastiditis gratiam.

Pium diximus laborem, secundum illud Ovidii:

„Et pius est, patriae facta referre, labor."

Jucundum denique; nam, ut Plinius inquit, candidus ille Taciti amicus: „historia, quoque modo scripta, delectat.“

Non pauci ad manus nobis partim fuerunt, partim adhuc sunt codices Mss., et rerum Trevirensium scriptores; ingens denique diplomatum numerus. Varia quidem et praestantissima patriae monumenta jam olim abstulere Barbarorum invasiones et civilia bella, maxime vero possessorum incuria; praecipue tamen, turbulentissimo saeculi proxime superioris exitu, in summa rerum conversione et perturbatione, proh dolor! multa hostili cupiditate alienata, vel etiam more Vandalico destructa sunt: sed, singulari fortuna, hac occasione plures alii antiquissimi et praestantissimi rerum Trevericarum codices Mss. nondum collati, qui in bibliothecis et tabulariis monasteriorum nostrorum aliorumque, eo usque quasi ad aeternum silentium damnati latitaverant, ex scriniorum pulvere in lucem protracti sunt, et in manus nostras venerunt, qui historiae paternae multum luminis adferunt: imo non est exigui momenti utilitas, quae inde ad totius imperii Germanici res gestas redundat; ita ut cum Claudio Rutilio dicere possimus:

„O, quam saepe malis generatur origo bonorum!“

Vana igitur gloria non erit, si tanto thesauro, maximam partem hucusque incognito, instructi novam hanc Gestorum Trevirensium editionem virtutibus perfectioneque nulli praecedentium cedere declarare audemus; sed remoti ab inani

laude, nequaquam eo consilio, ut antecssorum nostrorum merita imminuere velimus. Habent profecto et praecedentes editiones suas laudes suasque virtutes, neque ullius merita detrectatum imus, probe gnari, quantum lucis recentiores ab antiquioribus accipiant.

Priusquam vero ad rem ipsam accedamus, quo modo de ea acturi simus, paucis exponere liceat.

Quamvis Gestorum editores Benedictini e Congregatione S. Mauri (Martene et Durand) et Honthemius noster, ceteroquin clarissimi ac doctissimi viri, illa, quae vastationem Normannicam, annum scilicet 882., antecedunt, ut fabulosa et nulla fide digna, nullo inter Gesta Trevirorum loco dignati sint; nos tamen mediam prudentiae viam elegimus: Gesta etiam ante-Normannica adoptando, et fidem atque auctoritatem tunc iis non denegando, quando sanae crisi contraria non sunt.

Hac via eo tutius procedere possumus, cum horum Gestorum fontes, omni exceptione majores, numero non pauci, periodi tam Romanae quam Francicae, ab ipso Honthemio in Prodromo Historiae Treverensis Diplomaticae (Tom. I. pag. 209 — 259 et 408 — 468.) nova corroborantur auctoritate. Haec via longius in sacraria antiquitatis deducit.

Quis ergo illa Gestorum capita, quae ex his fontibus hausta sunt, spuria et medii aevi figmenta declarabit?

Primos autem Gestorum scriptores antiquiorum codicum habuisse notitiam, plus vice simplici constat, et res extra om-

nem dubitationis aleam est. Ipse Honthemius (l. c. pag. 366.) Stephano cuidam, qui vixit initio saeculi XII., dum ante-Normannica refert, fidem non denegat: „Poterant," inquit, „haec tunc, cum Stephanus scriberet, scilicet initio „saeculi XII., ex traditione et antiquioribus monumentis „suam habuisse veritatem et certitudinem." — Quare Honthemius in Hist. Trevir. Diplom. tot documenta, quae praefatam invasionem Normannicam praecedunt, imprimi fecit, si ante-Normannica nullam plane fidem mereantur? — Quare, et quo fundamento nisus, secundum systema suum, quibusdam rebus ecclessiasticis fidem tribuit, cum saecularibus illam denegat (Hist. Trev. Dipl. I. pag. XL.)? — Quare (ibid. pag. 84 nota c.) in antiquioribus Episcoporum nostrorum catalogis multa eorum nomina omitti potuisse asserit, cum tamen (pag. XXIV. sqq.) vacuo et recentiori Ghisleniano catalogo primorum Episcoporum Trevirensium, ad probandam suam sententiam, tantum tribuit auctoritatis? — Postremo, quare in Prodromo (I. 71.) legimus: „Se „antiquissimum cultum SS. Martyribus, quorum ossa lapi„deis sarcophagis cryptae S. Paulini recluduntur, exhibi„tum, non retinere solum, sed etiam firmare?" — Num vero haec traditio nonnisi scriptoribus post-Normannicis innixa erit? —

Nec ita perniciosam codicibus et chartis, nec ita universalem hanc fuisse vastationem Normannicam, testatur rei

diplomaticae sidus (Mabillonius in Supplem. libror. de re diplom. cap. II.) his verbis: „At nullum chartis periculum „erat ab illorum Barbarorum manibus, qui gazas, non „membrana aut codices quaerebant;“ quanquam Vir celeberrimus hocce loco nimium quid dixisse videtur. (Conf. eundem Lib. I. cap. VII. num. 6.) Neque tacere possumus, in Bibliotheca nostra Trevirensi etiamnum quosdam codices Mss. asservari, hac invasione antiquiores, quorum unus, secundum inscriptionem per ipsum scriptorem ad calcem annexam, jam anno DCXCII. post Passionem Christi, scriptus est.

Antiquissima igitur Trevirorum Gesta, etsi quaedam fabulosa sint, postliminio revocavimus: illa enim, quae fabulosa apparent, ex historiarum corpore eliminare, bona ubique dissuadet ratio; siquidem ex ejusmodi narratiunculis saeculi genius non raro optime dignosci potest. Praeterea et illa, quae leviora videntur, iis, quae graviora sunt, persaepe non parum luminis adferre solent. Apposite ad hanc sententiam Plinius Maximo suo scribit: „Sit apud te „honor antiquitati, sit ingentibus factis, sit fabulis quoque.“ Quapropter, Benevole Lector, mirum tibi non videatur, si (cap. LXXIV. Gestorum) satanam, castrum Brunichonis custodientem, e nostra editione non proscripserimus.

Institutae rei ordo postulat, ut pauca quaedam exponantur de tractandi argumenti ratione in Prolegomenis

mox sequentibus. In tres partes abibit disquisitio. Inquiremus primum in illos ad S. Mathiam Scholasticos, qui usque ad finem saeculi decimi tertii res Trevericas tractaverunt; tum codices Mss., qui ad notitiam nostram venerunt, recensebimus; denique notabimus codices, editorum cura typis exscriptos.

In Gestorum fronte exponitur urbis Trevericae a quodam Trebeta, Nini, Assyriorum Regis, filio eodemque Semiramidis privigno, fabulosa fundatio. Quod huic traditioni pretium statuendum sit, aliis locis satis examinatum est; in notis quoque nostris ad caput primum desuper aliqua observavimus. Mythica sunt plerarumque gentium primordia.

Tum breviter describitur religionis et rei publicae Trevericae conditio illius temporis, cum Treveri adhuc antiqua libertate fruerentur, hoc est, ejus periodi, quam Gallo-Belgicam passim nominant scriptores.

Sequitur historia adventus Romanorum in has provincias anno circiter LVII. ante Christum; quo anno Cajus Julius Caesar, secundum Broweri nostri opinionem, primam Romanorum stationem figit ad Sarae fluvium, loco, qui nunc Castel dicitur. Treviri plus una vice, Marte saepe dubio, pristinam patriam contra Romanorum jugum defendere conati sunt; et nonnisi post varia praelia, favente non parum Julio Caesari discordia principum Trevi-

rensium, (quorum Inducionar pro patria strenue pugnando, Cingetorix ad Romanos deficiendo Caesarique adulando inclaruit) tandem Romanorum dominationi fidem jurabant: sed, ut ait Cicero: „nondum legibus, nondum jure certo, „nondum satis firma pace devincti."

Territorio tandem Trevirorum in provinciam redacto, et colonia Romana cum jure civitatis Romanae, sub Octaviano Augusto, in Treviris posita, ipsius incolae sensim Romanos mores eorumque leges adoptarunt; Gallo-Belgicis tamen, prisca etiam Trevirorum lingua, nunquam omnino eliminatis. Crevit in dies splendor hujus populi, praesertim Augustae nostrae, in qua Romanorum Imperatores, ab anno praecipue 287 ad annum 390, „imperii sedem" (secundum Ausonium) „clarum principum domicilium" (secundum Ammianum) figebant, et ubi per integros haud raro annos degebant Augusti et Caesares: quae urbs Transalpinarum maxima, in Galliis opulentissima, excellentissima, clarissima, summa et vere Augusta praedicatur a scriptoribus antiquis.

Id universim de religionis Christianae initiis apud Treviros hocce loco observare licet, Gestorum scriptores perhibere (cap. XX. et XXVI.), a S. Petro, anno pontificatus sui Romani octavo, tres suorum discipulorum, Eucharium scilicet, Valerium et Maternum, ad praedicandum in Belgica prima ac cisrhenana Germania Christi Evangelium esse delegatos, et per Eucharium cum sociis Trevirensis eccle-

siae fundamenta esse jacta. Animadvertendum sane est, saeculo jam secundo, Irenaeo teste (Adv. haeres. I. c. 10.) et Tertulliano (Adv. Judaeos c. VII.) ecclesias, i. e. quasdam Christianorum communitates, fuisse in Germaniis (Germania scilicet Romana prima et secunda). Hinc facile credendum, civitatem Trevirensem, propter urbis antiquissimae nobilitatem ac frequentiam, prae ceteris ad Rhenum urbibus Christi legem, quamvis in occulto, accepisse. Haec vero, quae Gesta fusius narrant de actis Eucharii, Valerii et Materni, in quibus incertae nonnulla fidei, viri eruditissimi, quorum nomina celebrata sunt, (Tillemont, Baillet, Calmet, Schoephlin, alii) suspicantur, hocce loco in medio relinquimus.

Sequuntur (cap. XXXV.) saeculi quinti tempora turbulentissima. Ingredimur extrema illa Romani nominis pericula. Saeculum ingredimur cladibus, si ullum aliud in omni retro memoria, infame; quippe quo in Gallia omnis effusa barbaries: Vandali, Suevi, Alani, Gothi, Burgundiones, Alemanni, Franci, Hunni. Hi omnia vastare, trahere, rapere, summis ima miscere; donec tandem extorre Romanum nomen, trans Alpes retrusum, omniaque victor barbarus habuit. —

Immutata est rerum facies. — Periodus Francica sequitur — et tum Germanica sub Archiepiscorum Tre-

virensium regimine. Nunc crescunt magis magisque genuina antiquitatis monumenta in Trevirorum Gestis.

Observamus denique, plurimos fuisse, per saeculorum intervalla, Gestorum Trevirensium scriptores. Ubi hic desinit, alius filum continuat, et si Lucretii verba usurpare licet:

„Et, quasi cursores, vitae lampada tradunt."

Singulorum pericopas accuratius definire non ausi sumus. Non pauci anonymi sunt. Interim inter Gestorum scriptores eminent non solum plures coaevi, sed et testes oculares: hoc, inter alios, temporibus medii aevi certissime constat de scriptoribus vitarum Brunonis, Alberonis, Henrici de Vinstingen, et Balduini, Archiepiscoporum Trevirensium.

Gestorum textum, quantum fieri potuit, emendavimus ad formam praestantissimorum codicum; consultis etiam aliis longe deterioribus. Varias lectiones ad rem facientes, sive codicum Mss., sive impressorum, ad marginem accurate exhibuimus: errores grammaticos variantium nomine non dignamur, rati, molem citra jus fasque augendam non esse. Ubi vero verba aut facta illustratione quadam egere nobis videbantur, quoad potuimus, illustravimus. Postremo quo et amplior pateret scriptionis utilitas, et major disputatis lux pondusque accederet, operae pretium judicavimus, ad calcem quoque volu-

minum adjicere animadversiones criticas, quae ad textum explicandum et accuratiorem rerum cognitionem facere visae sunt. Dabunt praeterea hae animadversiones occasionem, plurium monumentorum antiquorum, quae ex tabulariorum et bibliothecarum tenebris a nobis protracta sunt, et maximam partem sunt inedita et incognita, dandi notitiam. Monumenta, dicimus, quae non solum ad textus intelligentiam apprime faciunt; sed vera persaepe Gestorum Trevirensium sunt supplementa. Tali modo nos rem non ingratam, neque inutilem facturos credidimus; novam enim rei, ipsa antiquitate sua obscurae, lucem adfundere consilium nostrum fuit.

Jam quod attinet ad titulum: Gesta Trevirorum, haec observanda esse censemus: hocce variarum aetatum monumentum non tam arctis contineri limitibus, quos titulus designare videtur. Non hic solum sermo est de rebus Trevericis; sed crebro totius Germaniae, et hinc inde Galliae, Angliae, praesertim Italiae res memorabiles ibidem exponuntur, et fere ubique tam sincera simplicitate et tam egregio veritatis amore, tanta styli claritate et interdum etiam elegantia, ut nulli alii, medii praecipue aevi, monumento cedere dici juste possint. Quae alibi frustra quaeris, non raro in his Trevirorum Gestis invenies.

Non exigui ergo, sed magni momenti est utilitas, quae inde ad imperii Germanici, provinciarum Italiae, regni Gal-

liae aliorumque res gestas conscribendas atque illustrandas redundat.

Ne sine ratione et exemplo asserere videamur: quis Gesta Trevirorum legens, non persuasum sibi habebit, quantum lucis adferat historia Archiepiscoporum Egilberti et Brunonis, Gregorii VII. Papae et Henrici IV. Imperatoris; illa Alberonis Archiepiscopi, Folmari atque Rudolphi; illa Urbani Papae ac Friderici I. Imperatoris; illa Theoderici II. et Arnoldi II. Archiepiscoporum; historia Richardi Cornubiae Comitis et Alphonsi Castiliensis; praecipue illa Balduini et Henrici VII. Imperatoris, de qua fatetur doctissimus Gundlingius in sua praefatione de vita rebusque gestis Henrici VII. his verbis: „Auctor vitae Balduini, Archiepiscopi „Trevirensis, fratris Henrici VII., magnam partem regimi„nis Caesarei non sine veri cura copioseque descripsit & & „— Idoneum hoc scriptum adhibui, in eoque, quod se„querer, inveni.“ Historia denique Joannis Badensis Archiepiscopi, Friderici III. Imperatoris et Caroli Audacis, Burgundionum Ducis; illa Richardi a Greiffenclau Archiepiscopi et imperii Germanici et status hujus regni sub Carolo V. tumultuosissimi, tandem varia alia recentiorum temporum Gesta, maxime illa sub Philippo Christophoro, Francisco Georgio, et Clemente Wenceslao, Archiepiscopis Trevirensibus.

Editio nostra integrum Gestorum corpus tribus volu-

minibus absolutum continebit, et quidem in primo ab incunabulis mythicis usque ad obitum Arnoldi ab Isenburg, anno MCCLIX.; in secundo usque ad mortem Richardi a Greifenclau, anno MDXXXI.; in tertio denique volumine ad annum urbi et provinciae Trevirensi famosissimum MDCCXCIV., quo Gallo-Franci Treviros occuparunt. —

Ita in praesenti Gestorum editione, quam illustrandae atque ampliandae Patriae rei, nec non exterarum causa, curamus, quid per vires praestare liceat, animus sit experiri:

Sanctus amor patriae dat animum.

Etenim cum magnis et praestantibus in rebus summam perfectionis laudem mortalibus assequi non liceat: jam experiundi desiderium abunde pulcrum habetur.

Nos editores subsignati desperare sane potuissemus de otio, aeque ac de animo ad talem laborem necessario; certe enim in illo historiarum vasto campo res erat ardua suoque molimine gravis, quae exiguo tempore absolvi non poterat, et in qua jam annos quinque et decem insumsimus: attamen inter graviores curas, Musarum auxilio, nonnunquam laxatur animus, et materiarum varietas quandoque ad laeta divertit.

Haec praemonere de monumentis Trevirorum historicis, et de hac nostra eorum editione visum fuit.

Tuum nunc erit, Humanissime Lector, conatibus nostris favere, ut nostri nos laboris poenitere minus debeat. Id fiet, si candide ista, quae scripsimus, benignoque animo et legas et judices. Vale!

Augustae Trevirorum, mense Decembri, MDCCCXXXV.

WYTTENBACH. **MÜLLER.**

— Pag. IV. lin 2. quoque — lege quoquo
— In praef. ad animadv. lin. 6. potessimum — lege potissimum.

PROLEGOMENA.

Catalogus criticus Scholasticorum coenobii ad S. Mathiam, qui a saeculo IX. usque ad finem saeculi XIII. res Trevericas conscripserunt. — Recensio codicum tam manuscriptorum, quam typis editorum, quorum ope novam hanc Gestorum editionem instituimus.

SECTIO I.

De Scholasticis ad S. Mathiam.

In primis pervestigemus, quibus auctoribus, et quo ordine res Trevericae ab incunabulis usque ad finem saeculi decimi tertii conscriptae sint. Consentimus Browero, qui censet, Annales Trevirorum antiquissimos, qui sub Gestorum nomine in vulgus noti sunt, corporis instar ex pluribus inter se cohaerentibus membris in unum coaluisse, et conflatos esse ex Episcoporum Trevirensium actis, quae sparsim hodieque et a diversis conscripta leguntur.

In omnibus codicibus praemissa sunt civitatis nostrae incunabula, multis, ut fit, obscurae notae mythis involutae.

Ac primi quidem horum Gestorum scriptores exstiterunt indefessi illi magistri scholarum seu Scholastici et monachi ad S. Mathiam in suburbana Trevirorum regione: cui coenobio his temporibus nomen quoque fuit Gymnasii ad St. Mathiam.

Sunt autem, ordine chronologico, sequentes Scholastici:

Primo loco nominari meretur Florbertus, qui Trevirorum excidium per Normannos factum carmine prosecutus est elegiaco libris

quinque. Is primus, ut videtur, fratribus suis ad scribendas res Trevericas dedit impulsum. Obiit anno 885., 20ª die mensis Martii.

2) Huic in schola monastica successit Eberhardus, cui, praeter vitas Eucharii, Valerii et Materni, prima Gestorum Trevirensium elementa eaque prosa oratione conscripta debemus. Non enim consentire possumus Trithemio aliisque rei Trevericae scriptoribus, qui asserunt, a Golschero (de quo infra) Gesta Trevirorum esse primum concinnata; sed Honthemii potius sententiam amplectimur, cum dicit: „Hic (Eberhardus) pro primo scriptore Ges- „torum Trevirensium, quatenus Normannorum tempora antecedunt, „habendus est“ (Hist. Trev. dipl. Tom. I. Diss. de aera fund. epis. Trev. §. III.). Eberhardus mortuus est anno 909. — Post hunc

3) Richardus scholae St. Mathianae praeficitur, quam scribendo et docendo per annos ferme sedecim strenue gubernans, multos in omni scriptura discipulos eruditos reliquit. Richardi successor

4) Dithelmus, scholae per multos annos praefectus, varia de compositione et utilitate astrolabii scripsit novaque historiae patriae incrementa dedit. Obiit anno 955. — Sequitur

5) Adalbertus, vir ingenio prompto et eloquio clarus, in oratione metrica et prosa aeque exercitatus, Gestis Trevirorum ea, quae tempore suo evenerant, addidisse scholaeque 24 annos praefuisse dicitur. Defunctus est circa annum 980. Hunc proxime secutus est

6) Theodoricus, qui in sacris profanisque litteris pro suo tempore versatissimus praedicatur. Composuit historiam de inventione reliquiarum S. Celsi per Egbertum Archiep. in monasterio ad S. Mathiam, et varia alia. Scholastici munus 16 annos administravit. Diem obiit supremum anno 996. — His temporibus claruit etiam Engelbertus, hujus coenobii monachus doctissimus.

7) Theodorus sequitur, monachus multae lectionis, ut habent monumenta, et qui plures libros scripsit (e. g. lib. IV. comment. in

Isaiam Proph., Sermones, Lectiones veterum, et additamenta ad Gesta Trevirorum usque ad sua tempora). Scholae praefuit usque ad Decemb. anni 1011., quo mors ejus consecuta est. Ejus epitaphium, quod discipuli magistro posuerunt, in lapide factum adhuc nostro tempore extitit. — Huic accedit

8) Golscherus, Theodori discipulus, qui inter alia ingenii sui monumenta historiae quoque Trevirorum scribendae operam dedit, et non modo sui temporis facta Gestis adjecit, sed etiam primam eorum, quae jam litteris mandata erant ab antecessoribus, recognitionem curasse eaque pluribus in locis amplificasse videtur. Praefuit scholae annos 26, et anno 1038. e vita decessit. Post hunc

9) Lambertus, cognomine Regenheid a Valdorf (genere Francus), successit, qui anno 1047. mortuus est. Relatio Trithemii, viri ceterum sui aevi celeberrimi, et in hisce rebus magnae gravitatis, male tamen confudit in unum duos diversos Lambertos, hunc et Lambertum de Legia (de quo infra), et errat, cum Golscheri successorem Lambertum de Legia asserit in suo Chron. Hirs. ad an. 1038. (*) Lambertus Regenheid plures libros exegeticos scripsit. — Lamberti vestigia premit

10) Joannes I., per 21 annos scholae praefectus. Trithemius illum dicit virum in omni genere litterarum doctissimum, in musica vero praecipua eruditione clarum. Ad Gesta Trevirorum ea, quae deerant, usque ad sua tempora addidit. Anno 1068. Joanne mortuo, munus docendi suscepit

11) Arnoldus, quo duos annos strenue functus est. Eum sequitur

12) Joannes II. Trithemius, seriem Scholasticorum enarrans, nihil plane scripti Joannis II. commemorat. Causa hujus erroris

---

(*) Trithemii errores transcripsit Honthemius in Dissertatione ad saeculum XI. (Hist. Trev. dipl. I. pag. 346.).

ea esse videtur, quod et Joannis I. et II. nomina confuderit, nec quae cuique propria essent, assignaverit. Nec semel tales nominum et temporum quoque confusiones a doctissimo illo Mosellano in Chronico Hirsaugiensi (an vero auctoris an transcriptoris error sit, ignoramus) commissae sunt, ut recte annotat Hillar, monachus St. Mathianus, in Vindiciis historiae Treverensis, ubi Trithemii Chronico quandoque humani quid accidisse probat. — Hic Joannes obiit anno 1076.

13) Erhardus etiam, qui jam sequitur, Gesta Trevirorum, ut antecessores, locupletavit, et quaedam alia ascetici generis scripsit, praecipue de Monomachia spirituali virtutum et vitiorum — item de puritate vitae regularis. Nunc demum sequitur

14) Lambertus de Legia (etiam dictus de Petra), qui floruit saeculo XII., et anno 1186. adhuc in vivis erat. Hoc scilicet anno doctissimus ille hujus temporis scholasticus St. Mathianus libellum singularem in honorem S. Mathiae versibus composuit, cujus ms. originale, nitide exaratum, modo in bibliotheca nostra, N° 80 sign., asservatur. In praefatione hujus codicis hos subjicit versus:

„Legia me genuit, fovet altera Treberis, in qua
„Parvus ego, parvo modulatus, parva repono."

Lambertus ille secundam Gestorum priorum recognitionem, qua potissimum, et quidem primus fratrum suorum, in re diplomatica laudem meruit, confecisse, omni jure censendus est. Addidit quoque, ut nos quidem putamus, historiam Trevirensem ab anno 1152., qui annus primus est Friderici Regis et Papae Eugenii VIII. Eodem anno decessit Albero, Archiepiscopus Trevirensis, cujus res gestas fusius jam Albericus, Alberonis familiaris, stylo eleganti descripserat. Fortassis et idem Lambertus prima saltem capita historiae Archiepiscopi Joannis I. exposuit, et reliquam partem vel Isenbarvus diaconus, aut Theodericus sacerdos, ambo aequales, quorum nomina in codice quodam ms. St. Mathiano, historiam ecclesiasticam

Eusebii continente, ad annum 1191. legimus, memoriae prodiderunt. Illam vero partem singularem hujus historiae, quae fundationes Joannis I. continet, adsignamus mox sequenti scriptori St. Mathiano Henrico. Haec pars in quibusdam codicibus mss. extra ordinem sequitur, aut post Arnoldum II. (in cod. S. Agnetis), aut etiam post Henrici Vinstingii Gesta (sic in cod. Parisiensi).

Tandem commercio literario in scribendis patriae historiis per monachos St. Mathianos his temporibus coronidem imposuit

15) Henricus, dicti monasterii procurator, vir sacrae profanaeque litteraturae suo tempore scientissimus. Hic prosequitur Gesta Henrici de Vinstingen, Trevirorum Archiepiscopi, et Theodorici, abbatis ad S. Mathiam, ab anno 1259. usque ad finem hujus saeculi. Opinamur porro, hunc Henricum St. Mathianum scripsisse acta Arnoldi II., qui proxime ante Henricum Vinstingium sederat, et quidem (ut jam Papebrochius dixerat in Act. SS. Tom. II. Apr. p. 702.) ex simili modo procedendi in scribendis historiis. Quae Henricus litteris consignavit, propriis oculis vidit. Post eum viri St. Mathiani, quod maxime dolendum est, Gesta scribere desiere.

Sed haec de Scholasticis St. Mathianis, primis Gestorum Trevirensium scriptoribus, ex documentis domesticis praemonuisse sufficiat.

De historiographis subsequentium aetatum suo loco ad marginem textus, aut in animadversionibus nostris ad calcem operis, ea, quae ad nostram notitiam pervenerunt, prolaturi sumus.

Jam procedamus ad recensionem codicum manuscriptorum.

SECTIO II.

De Gestorum codicibus mss.

Priusquam ad ipsam codicum mss. descriptionem accedamus, in praesens id agamus potissimum, ut quae nos, codices plurimos, qui-

bus usi sumus, scrutati, de variis Gestorum recognitionibus per diversos harum rerum scriptores, meditando cognovimus, hocce loco specialiter colligamus, atque paucis verbis exponamus.

Hoc argumenti genus, hucusque ab aliis Gestorum editoribus non demonstratum, quasi prodromum in Manuscriptorum descriptionem seligendum duximus, quo haec disquisitionis pars possit aliquo modo illustrari, et ei, quae in historiam rei litterariae Trevericam versatur, cognitioni emolumentum fortasse aliquod conferri.

Gestorum continuatores per has recensiones non solum primaeva scripta amplificaverunt, sed et ea multis in locis in meliorem ordinem redegerunt et non raro emendaverunt; quandoque vero etiam dubia et incerta adjecerunt. „Multi in Gestis Trevirorum“ (jam notavit Hontheimus Hist. Trev. dipl. I. Diss. de aera fund. episc. Trev. §. III.) „operam suam locarunt; non vero egerunt singuli nudos continuato- „res, sed unus eorum alterve jam ante composita etiam dilatavit, et „ad suum sensum hinc inde immutavit.“

Recognitiones codicum mss. antecedentium praecipue memorabiles quinque esse admittendas, nostra quidem opinio est.

Primam per Golscherum saeculo XI. probabiliter esse factam, jam supra in Sectione I. notavimus. Hujus recensionis extant adhuc fortasse duo codices, ille Francofurtanus Fichardi, et Trevirensis N° 30 sign., de quibus infra. Codd. mss. Compendiensis et Aureae Vallis (*) hanc etiam recognitionem secuti sunt, additis insuper illis Gestis, quae usque ad Brunonem (inclus. in cod. Compend.) et ad Hillinum (in altero cod.) ibidem descripta leguntur.

Secundam adscripsimus jam supra laudato, et rei diplomaticae

(*) Compendiensi Ms. usus est editio d'Acheriana; codicem ms., olim monasterii Ord. Cisterc., sub nomine Aureae Vallis (vulgo Orval in Ducatu Luxemburgensi) adhuc vidit Martene. Per miseram hujus coenobii celeberrimi destructionem anno 1793. per Barbaros hujus temporis factam, cuncta bibliothecae hujus cimelia perierunt.

perito Lamberto de Legia, saec. XII. Hanc, quandoque etiam primam, plus minusve secuti sunt: codd. mss. Trevirenses (N° 31 sign. St. Mathianus et S. Paulini); codd. Musei Britannici, Stuttgartiensis, duo Vindobonenses, Bruxellensis, Francofurtensis bibl. publ., Guelferbytanus, et quidam alii.

Tertiae recognitionis, quam Ordolphus Scholerius saeculo XIV., ex voto Balduini Archiepiscopi curavit, notandi sunt praecipue codices mss. sequentes: Trevirensis (S. Agnetis); Trevirensis ecclesiae metropol. (modo Goerres); Parisiensis N° 6036 sign.); et varii alii Trevirenses.

Quartae, cujus causam, secundum nostram sententiam, monachus quidam anonymus, fortasse coenobii Eberhardi-Clusani, aut S. Maximini, saeculo XV. suscepit, sequentes potissimum codices plus minusve adnumerandos esse censemus: Trevirenses duo (Eberh. Cl.), qui interim Gesta in saeculum XVI. continuant; Trevirensis (Himmerodensis); duo alii Trevirenses (Tholejenses); Trevirensis (S. Mariae ad Martyres); Trevirensis (olim Antverpiensis); Trevirensis (S. Maximini); alii.

Quintam denique dicimus recognitionem Lindanam, saec. XVII. institutam. Bibliotheca nostra Trevirensis hujus recensionis duo exempla manuscripta asservat, et nosmetipsi possidemus tertium hujus recognitionis codicem manuscriptum, auctoris, ut opinamur, autographum.

Tantum de variis Gestorum recognitionibus. Prolixius jam codices, quibus usi sumus, tractabimus.

I. Codex Gestorum membranaceus saeculi XI., quem nobiscum perhumaniter communicavit Vir Celeb. de Fichard, scabinus Francofurtanus (cujus mortem lugemus), forma octava, sed quae ad duodecimam, quae dicitur, prope accedit, exaratus, et literis non ubique distinctis scriptus est. Scriptor adhuc vixit tempore electionis Bru-

nonis Archiepiscopi, quam ad annum 1101. referimus. Folio primo manus recentior adnotavit sequentia: „Codex mosterij sti Mathie apli „extra muros treveij ord. scti Benedicti, continens vitam sive legenda „sti Alexii, Gesta Trevirorum ex parte aliq.“ Infra autem alia manus recentior haec addidit, „Ex bibliotheca Johannis Fichardi J. C. „celeberrimi, Sindici Francofurtani.“ Hic Fichardus ergo, initio saeculi XVI., hunc codicem St. Mathianum, nescimus quo fato, bibliothecae suae comparaverat!

Hic codex antiquissimus, etsi Golscheri recensionem, ut putamus, continet; tamen non est Golscheri autographum, sed potius hujus recognitionis breviarium, post obitum Golscheri scriptum. Ad hanc observationem illustrandam utamur testimonio Mathiae Cerdonis, circa finem saeculi XVII. monachi ad S. Mathiam, qui in suo catalogo ms. abbatum hujus monasterii (modo bibl. Trev. N° 1344 sign.) dicit: „Frater Golscherus, monachus, vir mirae eruditionis, „de laudibus primorum episcoporum librum composuit, adjecit de- „inde historiam Trevirensem in magno volumine, de qua „mentionem facit dominus Praesidens scholarum Laurentinarum in „Colonia, citans ipsum Golscherum Mathianum in suo tractatu de sa- „crificio missae. Cum autem in nostra bibliotheca liber ille „amplius non habeatur, ausim suspicari, dictum Praesidem forsan „in compositione sui libri historiam istam nactum, et hucusque non- „dum reddidisse; licet aliqua adhuc fragmenta habeantur illigata.“ — Haec fragmenta vero posteris temporibus, anno scilicet 1768., alligata sunt diversis aliis libris manuscriptis. Vide N° II. Hoc Golscheri autographum, in exteras regiones translatum, verisimiliter deperditum est.

Sex folia priora exhibent vitam S. Alexii; tum incipit textus Gestorum Trevirensium his verbis, colore rubro scriptis: „Incipit de „origine Gallor. Trebiror.“ Tunc continuat colore nigro: „Anno

„ante urbem Romam conditam millesimo CCCsimo Ninus rex assirio-„rum primus ut historici volunt &c." Textus in capita non dividitur. Plura in hoc codice quondam Trevirensi, modo Francofurtano, omissa sunt, aut alio ordine reddita; quaedam etiam folia videntur perdita. Folio 47. scriptor desinit his verbis: „Juxta quos et ipse requiescit" (cap. 36. nostrae edit.). Folium immediate sequens incipit: „ut rece-„deret, et mansionem sancti &c." quae sunt verba capitis 41.; deest ergo magna pars capitis 36., tum desiderantur integra capita 37., 38., 39., 40. et pars capitis 41. Folio 67. post verba: „Sicko a Poppone „pro victoria beneficus illustratus est," continuat scriptor textum his verbis: „Scs Symeon solitarius sup nigram portam Treberis claruit „— — — ubi et ipse (Poppo) ad pedes scilicet sci Symeonis post-„modum requievit." Permulta iterum hoc loco omissa sunt; illa enim, uno eodemque folio scripta, evidenter demonstrant, nulla hocce loco extitisse folia intermedia. Continuat eodem folio 67. his verbis: „Cui „Eberhardus successit; hic privilegio suae ecclesiae &c." quae in aliis mss. narrantur in cap. 57.

Praetermittimus alia minoris momenti, quibus hic codex ab aliis differt.

II. Codex ms. membranaceus coenobii olim S. Mathiae prope Treviros, nunc bibliothecae urbis Trevirensis in 4to, N° 30 sign., qui varios libros manuscriptos continet. In primo legimus „vitas sanc-„torum patrum heremitarum", et est saeculi XI. quoad magnam partem, partim vero etiam XII. Hoc argumentum desinit folio 194., indeque incipit historia „passionis sanctorum martyrum Trevirensium", ejusdem aetatis scriptum, ut praecedens. Folio demum 218. incipiunt Gesta Trevirorum, quae desinunt verbis fere medii capitis 46. (editionis nostrae): „ex abdito portas clauserunt"; hoc ergo Mstum, ut nunc extat, Gesta prosequitur brevi filo usque ad Megingaudum Archiepiscopum. Hic codex, quantum quidem ex litterarum forma

conjectari potest, saeculo XI. scriptus, ut nobis videtur, est ille Golscheri, de quo supra nominatus Cerdo loquitur, et cujus folia suo tempore illigata erant. Ad calcem voluminis manus recentior adnotavit sequentia: „Quando hic liber novo coreo obductus fuit, nihil „de historia Trevirensi ablatum, sed antea ita incompleta erat. 1768."

Haec fragmenta, ceterum satis ampla, referenda ergo sunt ad Golscheri recensionem, et fortasse sunt pars autographi. Chartas et diplomata, a Lamberto Gestis interposita, hic non legimus.

III. Inter omnes, qui nobis ad manus sunt codices mss., insignem, imo primum locum meretur codex in membrana exaratus, quondam S. Mathiae, nunc bibliothecae urbis Trevirensis, N° 31 sign., (forma quarta), cujus potissimum subsidio editionum multi loci corrupti egregie sanari poterant. Scriptus est, maximam partem, saeculo XII.; est igitur, si non Lamberti de Legia originalis, tamen certe huic auctori codex coaevus. Orditur vitis Pontificum Romanorum. In fine hujus primae partis legitur: „Expliciunt Gesta beatorum Roma„norum Pontificum a beatissimo Damaso Papa conscripta &c." — Folio 92. incipiunt Gesta Trevirorum his verbis, colore rubro eleganter scriptis: „In nomine Dñi nri Jhu Xpi. Incipiunt Gesta TREVIRO„RV̄. Cap. 1." Textus in capita divisus est usque ad finem historiae Eberhardi Archiepiscopi. Reliquae hujus codicis partes non sunt amplius capitibus distinctae, et continuatur textus usque ad obitum Alberonis Archiepiscopi, ad annum scilicet 1152. Hujus vero Alberonis Gesta in hoc codice minus accurate descripta leguntur. Vid. infra N° XXXIII. Textus denique cura scriptoris chartis diplomaticis amplificatus est et illustratus. Definit haec pars verbis: „Sedit „autem in Episcopatu annos XVIIII., menses decem, et vacavit Epis„copatus ejus dies XIII. Folio verso leguntur haec verba: „Codex „sci Eucharii epi. sciq Mathie Apli. Quiq: abstulit, calicis Jude pro„ditoris in ppetum particeps fiat. Amen. Amen. fiat. fiat." Vidimus

hujus argumenti imprecationes in quamplurimis aliis codicibus manuscriptis.

Infra haec verba manus recentior notavit hoc factum, quod in Gestorum textu non legitur: „anno dni VIII^c. XVIIII. obiit fridericus „dux mosalloru (sic) comes de arduana et sepultus est in presentia „imp. Ludovici pii in ecclesia S. Mathie extra muros civitatis Treve- „rensis.“ —

Sequitur tertia pars hujus codicis, quae continuationem Gestorum Trevirensium complectitur, manu alia, initio scilicet saeculi XIII. scriptam. Tandem etiam legimus „Gesta Henrici, Trevirorum archi- „episcopi, et Theodorici, abbatis sancti Mathiae.“ Haec pars codicis sine dubio auctoris Henrici, monachi ad S. Mathiam, saec. XIII., autographum est. Non leguntur haec Henrici Gesta in editione Honthemiana; publica vero illa fecit Martene (Coll. ampliss. IV. p. 256. sqq.).

IV. Codex membranaceus bibliothecae Moeno-Francofurtanae, saeculi XIII., in folio. Scriptura ipsa est satis perspicua. Prioribus 56 foliis Gesta Trevirorum exhibentur ab initio ad caput 100. incl. editionis nostrae. Haec folia 56 scripta nobis videntur manu codici St. Mathiano N° III. fere coaeva. Quae sequuntur folia 45, manu recentiori scripta sunt. Finitur codex his verbis: „Quod sibi sola- „men praestet Christus Deus. Amen“, quae sunt finalia epitaphii Henrici a Vinstingen, Archiepiscopi Trevirensis; codex autem laudatus S. Mathiae, omissa hac inscriptione, in hunc modum finitur: „Ecce quam subito, solo Dei nutu, funestus honor saeculi, ac omen „vanum et caducum in nihilum redigantur.“ Animadvertimus praeterea, codicis Francofurtani deesse folium primum et originale, cujus locum aliud obtinet, idque a manu paulo recentiori scriptum.

Ceterum credere licet, et hunc codicem olim fuisse nativitate et domicilio Trevirensem, et quidem St. Mathianum. Ex bibliotheca

Joannis Maximiliani, dicti Zum Jungen, civis quondam Francofurtensis, ad bibliothecam publicam ejus urbis pervenit; cujus memoria in tegumento libri his verbis conservatur:

Joannes Maximilianus Zum Jungen.

De quodam Gestorum codice ms. Francofurtano mentionem facit Eccardus (Corp. hist. med. aevi II. §. 21.) his verbis: „Aliud Ges„torum exemplar ad eundem annum 1259. continuatum, in bibliotheca „Senatus, Francofurti ad Moenum extat; cujus etiam Tenzelius (Colloquior. menstr. anni 1698. p. 497.) mentionem facit." —

V. Codex membranaceus, scriptus saeculo XII. in fol. min., qui extat Londini in bibliotheca Musei Britannici, ibidem N° 3373 sign. Collationem ejus cum editione Leibnitiana impertiit nobis amicorum humanitas simul et auctoritas, quibus, ut et aliis viris literatis, qui summam in nos humanitatem navarunt, debitas agimus gratias. Folium ultimum hujus codicis continet Gesta Cunonis Archiepiscopi, usque ad Meginerum; sed brevissime scripta, ideoque minoris momenti.

VI. Asservatur et in bibliotheca Regia Stuttgartiensi codex Gestorum in pergameno scriptus, forma, quam dicunt, octava, saeculi XII. Variantium copiam fecit Moser, vir de literis et de bibliotheca regia, cujus curam gerit, meritissimus. Desinit hic codex electione, aut potius intronizatione Alberonis Archiepiscopi, anno scilicet MCXXXII.

VII. Praecedenti consimilis est codex pergamenus formae octavae, bibliothecae Caesareae Vindobonensis, N° 1069 sign. Lectiones hujus codicis cum textu Leibnitii comparati dedit doctissimus vir Chmel, Canonicus ad S. Florianum, quae summa humanitate et liberalitate nobis transmissae sunt. — Non sine jure judicare licet, hos codices, sicut omnes saeculi XII. et sequentis, unum ex altero,

et primum ex nostro St. Mathiano supra N° III. laudato, magis vel minus accurate descriptos esse.

VIII. In eadem bibliotheca Vindobonensi extat praeterea alius codex Gestorum, N° 686 sign., foliis membranaceis 45 formae quartae, et, ut putant viri in re diplomatica periti, scriptus primis saeculi XII. decenniis. Hujus etiam Ms^u lectiones varias debemus Canonico Chmel, jam laudato. Titulus codicis: Chronica vetus (Trovirensium) a manu est saeculi XV. Recentior libri inscriptio est: Anonymi Historia Treuirensis. Caput ultimum, quod incipit his verbis: „In diebus illis fuerunt ex copioso Trevericae ci„vitatis clero quamplures hac sacerdotii successione dignissimi", est nostrae editionis caput 67. Medio hoc capite finit scriptor his verbis: „Diligenter admonitus in sua cum gaudio remeavit." Multa deinde omittens, pergit: „Hic quoque in Spirensi diocesi in praedio suo, „quod Otenheim dicitur, monasterium construxit": quae verba apud nos capite 73. leguntur. Tandem in fine scriptor adinstar brevissimi compendii, vel potius nudi personarum indicis, haec habet verba: „Huic successit Gothfridus. huic Arnoldus. deinde Meinherus. deinde „Bruno. post hec Adelbero."

Videtur et huic codici manus ultima deesse. Ceterum conferantur illa, quae de his codicibus bibliothecae Caesareae scripserunt Petrus Lambecius et Ad. Franciscus Kollarius in Commentar. de Augustiss. biblioth. Caes. Vindob. Lib. I. p. 505. et 560. II. p. 913. sq., Vindob. 1766. et 1769. fol.

IX. Codex bibliothecae Guelferbytanae membranaceus est, et manu saeculi XII. exaratus, foliis 47 in quarto min. Hoc codice, attentione nostra dignissimo, non sine maximo consilii nostri damno caruissemus. Verba initialia: „Incipiunt Gesta Trevirorum Anno &c." colore rubro sunt scripta; nigro autem colore continuatur textus. Desinit his verbis: „Qua dissensione per continuum annum protracta,

„tandem jussu Apostolici et imperio regali sedata, altero pascha in„thronizatus est Adalbero, anno Dominice incarnationis millesimo C. „tricesimo IIdo. Expliciunt Gesta Trevirorum.“ (cap. 77. nostrae edit. in fine.) Ad calcem hujus codicis a manu recentioris aetatis notatum legimus: „Usus est, sed parum accurate, hoc codice Leibnitius in „ed. horum Gestorum in accessionibus suis historicis.“ De hujus notae veritate inter legendum facile nos convicimus. Quam ob rem autem et ob alias causas, fortasse non sine jure, quaestio moveri potest, an hoc codice unquam usus fuerit Leibnitius?

Ceterum de hoc codice adhuc memorandum restat, textum esse satis distincte scriptum, sed nullibi in capita divisum. Naevos suos praeterea et hic codex habet, qui eundem fontem agnoscit, ut praecedentes N° V., VI., VII. et VIII. descripti. Hinc inde quaedam omissa sunt; alibi insunt multi lapsus calami aliique errores; ita quidem ut scriptor hujus codicis, monachus novitius, linguae latinae parum gnarus fuisse, aut certe alium quendam codicem, his naevis maculatum, descripsisse nobis videatur; nec tamen ultimum locum codex is occupat: exposuit enim historiam integram depositionis Godefridi, Archiepiscopi Trevirensis, quam alibi frustra quaerimus. Nullomodo igitur illa, quae ibidem narrantur, silentio esse transeunda aut oblivioni danda, judicantes, integrum hoc argumentum in capite 74. editionis nostrae textui codicis St. Mathiani interposuimus. Conf. quae praeterea diximus in nota marginali et in animadversionibus ad hoc caput.

X. Codex in membrana scriptus in fol. min., olim in archivo S. Paulini prope Treviros asservatus, postmodum in bibliotheca Honthemii, nunc ex ejus donatione ad bibliothecam urbis nostrae (N° 33 sign.) pertinens, varia complectitur.

a) Folia 54 priora continent Gesta Trevirorum a fabulosa urbis fundatione usque ad annum 1259., aerae vulgaris, una eademque manu

saeculi XIII. conscripta, exceptis ultimis quinque foliis saeculi XIV., quae alteram Gestorum Henrici descriptionem continent. Hoc codice Honthemius usus est in sua editione.

b) In eodem hoc volumine legitur 14 foliis papyraceis Historia brevis, ad modum breviarii, Pontificum Trevirensium ab Euchario ad Rabanum, ad annum usque 1435., praemissa antiquissima Trevirorum historia, novem foliis scripta.

c) Continet quoque hoc volumen, 22 foliis membranaceis satis clare scriptis, opus Friderici Schwartz, ad S. Paulinum saeculo XIV. Praepositi. Tractatui suo, nunquam hactenus typis excusso, hunc titulum praefixit: „Collatio super urbis recommendatione, sancti „Paulini apertione, atque ecclesiae ipsius religione, viginti quinque „habens capitula.“ Scripsit circa annum 1392., ut concludimus ex capite 20. ejusdem Collationis. V. Honth. Hist. Trev. dipl. III. p. 1012. §. 49. Adde ejusd. Prodr. I. p. 109. sqq. —

XI. Codex bibliothecae Trevirensis sig. 184., olim monasterii monialium S. Agnetis, membranaceus formae quartae, una eademque manu eleganter et cum cura, saeculo XIV. scriptus, fortassis Ordolphi Scholerii, viri apprime docti piique, historiae Trevericae scriptoris, et magistri senatorum Trevirensium autographum est, aut saltem codex coaevus. In praestantissimis ergo et hic haberi meretur Gestorum codicibus. In priori codicis parte legimus: „Li„ber monasterii S. Agnetis montis Angelorum, infra muros Treuer.“ Prima 56 folia vitas Romanorum Pontificum a S. Petro ad Hadrianum I. inclusive exhibent. Folio 57. textus Gestorum Trev. sequitur, qui orditur, ut solent, verbis: „Anno ante urbem Romam &c.“ Scriptor textum prosequitur foliis 101., usque ad rescriptum Bonifacii Papae de anno jubileo (1300). Foliis tandem 52. legitur aliud Chronicon sub hac rubrica: „Incipit Chronica fratris Martini domini papae poe„nitentiarii et capellani“ (de Imperatoribus et factis Romanorum).

Folio ultimo literis mandata sunt quaedam de vitis Romanorum Pontificum, quae desinunt in persona Honorii IV., anno 1284. electi, cum hac nota: „Explicit cronica summorum pontificum. Scripta per Ger-„ardum de Romaricomonte, notarium.“

XII. Exemplar praedicti codicis, in fol. min. et pergameno scriptum saeculo XIV., olim in archivo electorali Trevirensi (*), nunc ex bibliotheca V. Cl. Goerres Conflui, in litterarum universitate Monacensi Professoris. Hujus codicis folium primum post rubricam: „Trebeta a noverca sua profugatus post multum exilium Tre-„berim adivit &c.“ orditur textum more consueto: „Anno ante urbem „Romam &c.“ Desinit textus his verbis: „Datum Rome pontificatus „domini Bonifacii supra dicti anno sexto.“ Ad calcem codex iste exhibet rescriptum Bonifacii Papae de anno jubileo, et immediate sequitur declaratio dicti rescripti, et tum notantur sequentia, colore rubro scripta: „Expliciunt Gesta Treberorum scripta et completa „sub anno Dm̄. m°. c°c°c. lx°ii. Vigilia beati Andreae Apostoli.“

„Ordolphi dextra, quae scripsit, sit benedicta.
„Ordolphus totas scripturas condidit istas,
„Quem, Baptiste, pia vivere fac requie!“

Hic codex, ut haec subscriptio manifeste probat, non est originalis laudati Ordolphi Scholerii; sed ejus exemplum authenticum. Ordolphus nempe novam suam Gestorum recensionem usque ad annum jubileum 1300. produxerat, et, nescimus quo anno, jam sub Balduino Archiepiscopo (**), in festo S. Joannis Bapt.

(*) Hanc notam legimus per Honthemium adscriptam suo exemplari papyraceo Gestorum Boemundi de Warnesberg. (Scriptores rerum Trev. Tom. III., Ms. Trev., N°. 41 sign.)

(**) Anno 1344. adhuc in vivis erat; hoc enim anno parthenonem pontis Leonini prope Treviros destructum tanta munificentia instaurat, ut fundator haberi possit. Sic le-

defunctus est. Descriptor autographi Ordolphiani, qui anno 1362. in vigilia S. Andreae suam scriptionem absolvit, auctori versus supra relatos pangit.

XIII. In bibliotheca quoque Regia Parisiensi codex Gestorum Trevirensium (recensionis tertiae) conservatur sub N° 6036. Collationem lectionum variarum amplissimam cum editionibus Leibnitiana et Marteneana, manu et opera viri eruditi Faerber Monacensis factam, nobis transmisit Fichard supra laudatus. — Criteria, quae ad dijudicandam hujus scriptionis antiquitatem facere possunt, nobiscum humanissime communicavit Holzer, Pastor ecclesiae B. M. V. apud Confluos, vir rei diplomaticae adprime peritus, qui hunc codicem in bibliotheca Regia attente examinaverat. Ei debitas referre gratias par et aequum habemus. Codex papyraceus in quarto min., maximam partem saeculi XIV., continet 251 folia, et in duas partes divisus est. Liber primus, octo capitibus constans, orditur more ordinario. Liber secundus continet 153 capita usque ad folium 251.; finitur autem morte Balduini Archiepiscopi. Non ubique eadem manus codicem descripsit. Manus secundae partis elegantior est, quam illa, quae priorem literis mandavit. Manuscriptum ergo duobus constat fragmentis, quorum posterius, illud quod antecedit, antiquitate praecedere videtur. In prima parte capita colore rubro notata sunt, et quidem in ipso textu; in secunda vero scriptor codicis capita non addidit, sed lector quispiam ad marginem illa notavit.

Post historiam Balduini additamenta varia manu posteriori exarata sequuntur, scilicet: indulta duo ad Wernheri archiepiscopatum pertinentia, catalogus primorum 21 Episcoporum post Eucharium, Valerium et Maternum, et exemplum chartae Jacobi, Archiep. Trev.,

---

gimus in cod. ms., olim Blankenheimiensi, modo Trev., N° 1150 sign., qui continet indicem chronologicum historiae Trevir.

germanico idiomate scriptae, quae transactionem continet inter clerum et civitatem Trevir. de anno 1440. —

Et hic codex, modo Parisiensis, pristinus Trevirensis fuisse videtur. Leguntur ibidem ad finem epitaphii Henrici Archiepiscopi haec superaddita carmina:

„Est pretiosus iste, placidisque sororibus glaucis
„Pertinet, certe piis recte memoratis in urbe,
„Nempe liber heroum bellis, quoque pace adauctus.
„Hunc tibi eruditum, lector, habe arte politum."

Sorores glaucae (graue Schwestern) i. e. monasterium monialium S. Nicolai Treviris.

In eadem bibliotheca Regia alius adhuc asservatur codex ms. Gestorum (Catal. de st. Germain N° 77.) membranaceus in fol. min. saeculi XIII. Hic codex continet Gesta Regum Francorum, Pauli Diaconi historiam Romanam et Gesta Trevirorum. Haec ordiuntur his verbis: „Incipit historia Treberorum. Anno ante urbem &c.", et finitur: „Etenim per nocturnam quietem solitus erat, sanctorum memorias silenter circuire, illicque in oratione diutius persistere et „Dei propitiationem eorum intercessione profusis lacrimis exorare." V. cap. 73. edit. nostrae. In fine desiderantur aliqua folia.

XIV. Alius in bibliotheca urbis Trevirensis asservatur codex membranaceus, quartae formae, N° 51 sign., olim bibliothecae Carthusiae S. Albani Trevirensis. Continet 90 folia, et scriptus est saeculo circiter XIV. exeunte, manu non ubique distincta. Describit textum ex diversis codicibus.

Alter Carthusiae nostrae codex membranaceus in fol. min. scriptus, modo bibliothecae nostrae publicae, solummodo continet excerpta ex aliis codicibus. Et hujus codicis scriptura exitum saeculi XIV. prae se ferre videtur.

XV. Codex Trevirensis, N° 34 sign., olim Collegii S. J., in

fol. min., papyraceus, saeculi XIV., satis accurate scriptus est. Textum prosequitur scriptor usque ad mortem Arnoldi II. Archiepiscopi. Descriptus autem est ex codice Pauliniano. Eadem manu in fine scripta est Visio vel revelatio sanctae Hildegardis Virginis.

Alius codex Trev., N° 29 sign., olim Collegii S. J., in fol., papyraceus, saec. XVI., continet in modum epitomes fragmenta Gestorum usque ad tempora Richardi.

XVI. Codex membranaceus, modo bibliothecae Trevirensis, in fol., N° 35 sign., eadem ubique manu nitide et clare conscriptus est. Textui Gestorum praemittitur historia Pontificum Romanorum foliis 77 prioribus consignata, a S. Petro ad Stephanum Sicilianum. Sequuntur nunc Trevirorum Gesta ad annum usque 1478. Ad calcem primae partis, quae Gesta Pontificum continet, legitur: „Liber mo- „nachorum in Hymmerode. Anno gracie m°. cccc°. lxxviii°.“ In fine Gestorum Trevirensium haec subscripta sunt: „Expliciunt Gesta Hen- „rici Treuer. archiepi et Theoderici abbis sancti Mathie. Anno d. „1478. — Te Deum laudamus.“

Observamus porro, hunc codicem exprimere partim recensionem codicis St. Mathiani N° III., de quo supra diximus, et Henrici St. Mathiani historiam Henrici Archiepiscopi ex eodem codice.

XVII. Codex membranaceus bibliothecae urbis Trevirensis, N° 1462 sign., in fol. maj., saeculo XIV. manu luculenta scriptus, in duas quasi partes divisus est. Prima, in forma tabulae synchronisticae, quatuor continet columnas, in quarum una recensentur Episcoporum et Archiepiscoporum Trevirensium nomina, ab Euchario ad Balduinum inclusive, gesta illorum quam brevissime enarrans. Secundum segmentum eodem stylo laconico describit vitas Pontificum Romanorum, a S. Petro ad Clementem VI. inclusive. Tertium segmentum, cujus rubrica, Nota digna, continet varios temporum even-

tus, partim historiam universalem, partim vero specialia historiae Trevirensis concernentes. In quarto tandem segmento sive columna memorabiliores Romanorum Imperatorum res gestae, inde ab Octaviano Augusto ad Carolum IV. — Prima pars hujus minime contemnendi codicis habet 30 folia. Altera pars continet undecim foliis bullam auream Caroli IV., calamo aeque eleganti, quam praecedentia, scriptam. Dono hunc codicem dedit, bibliothecae Trevirensis fautor eximius, Joannes Philippus de Walderdorff, ecclesiae metropolitanae Trev., saeculo XVII. exeunte, Decanus.

XVIII. Alius codex papyraceus, forma fol. min., in manus nostras venit, qui quondam fuit in monasterio Benedictinorum S. Mariae ad Martyres prope Treviros, nunc vero asservatur in bibliotheca Comitis de Renesse. Magna comitate facilitateque volumen hoc ad usum nostrum transmissum est, quod cum debita grati animi significatione commemoramus. Monachus, qui hoc exemplar ex aliis codicibus comparavit, plura passim omisit, quae apud alios scriptores leguntur, quaedam etiam addidit. Folio 88. nomen suum prodidit his verbis: „Memento fratris Nicolai de Breda, scriptoris hujus libri, et „ora pro eo mente pia. Ave Maria gratia plena. Anno Dm̄ M°. „cccc°. LXV°.“

XIX. Codex papyraceus in fol. min., olim monasterii Tholejensis, modo autem bibliothecae urbis Trevirensis, N° 1334 sign., scriptus circa finem saeculi XV., orditur, ut ceteri, opus fabulosa urbis fundatione, et filum suum prosequitur tantummodo ad annum 1198. Codex antiquior, manu nitida et distincta, et satis accurate hic exscriptus legitur.

XX. Alius codex papyraceus in fol. min., olim ejudem monasterii S. Mauritii in Tholegia, nunc conservatur in bibliotheca Trevir., N° 32 sign. Scriptus est circa finem saeculi XV., et continet, praeter varia scripta ascetica, ad calcem voluminis Gesta Tre-

virorum usque ad Johannem I. Archiepiscopum; desinit ergo ut praecedens. Plura autem in his Tholejensis monasterii manuscriptis desiderantur.

XXI. Codex papyraceus, formae quartae min., olim St. Mathianus, nunc bibliothecae urbis Trevir., N° 1434 sign., partim saeculi XIV. exeuntis, partim sequentis XV., variis praemissis, quae huc non faciunt, 31 foliis exhibet breve Chronicon Episcoporum et Archiepiscoporum Trevirensium ad Boemundum II. inclusive.

Cuno, Archiepiscopus Trevirensis, qui anno 1362. regimen exorsus est, in perscribendo hoc Chronico operam admovit, cujus prologo nomen suum praescripsit his verbis: „Cuno de Falkonis petra“ (i. e. Falkensteinius) „magnifica Dei providentia sacrosanctae Trevi„rensis ecclesiae archiepiscopus, sacri imperii per Galliam regnum„que Arelatense archicancellarius, et totius Galliae ac Germaniae „auctoritate apostolica primus patriarcha et patronus, universis his„toriarum studiis insudantibus salutem in Domino omnium Salvatore „sempiternam, de radice ordinatissimae charitatis.“

Auctor in modum breviarii satis jenuni minusque critici Gesta complectitur: ideo hoc compendium minorem historiae nostrae utilitatem praebet. In praesenti codice Cunonis Chronicon inscribitur: „Gesta Trevirorum sub brevitate comprehensa.“

Post Cunonis Chronicon sequuntur Gesta Trevirorum per alium scriptorem, et quidem, ut nobis quidem videtur, ex parte secundum Scholerii recensionem; sed quae incipiunt a Gestis Hillini Archiepiscopi, et finiuntur morte Baldewini. Adjecta sunt praeterea pauca miscellanea saeculi XV.

XXII. Codex bibl. urbis Trevir., N° 1278 sign., papyraceus in fol. min., habet ad calcem primi folii hanc notam: „Liber“ (hic aliqua erasa sunt) „dedit dominus Johannes Pistorius altarista in Mon„thabauer.“ — Verba initialia sunt haec:

„Divinum flamen inceptum compleat amen.
„Assit ad inceptum sancta Maria meum.
„Gesta Treverorum incipiunt feliciter.“

Orditur textus, ut in reliquis, et continet historiam usque ad regimen Jacobi a Sirck inclusive. Manus scriptoris est parum distincta et lectu difficillima, more ordinario saeculi illius, scilicet XV.

XXIII. Codex papyraceus formae quartae, saeculi XV., bibl. urbis Trevir., N° 1444 sign., continet textum satis bene scriptum. Folio primo notatum legimus: „Iste liber pertinet fratribus regulari-„bus in insula ex exposito Valender.“ — Praemissa historia capellae in Frauenlauteren, atque historia S. Simeonis Confessoris, sequuntur folio 95. Gesta Trevirorum ab antiquissimis inde temporibus, a quibus medii aevi scriptores rerum patriae gestarum origines trahere conantur, usque ad Gesta Jacobi a Sirck, annum scilicet 1455., ut in praecedenti consimili codice.

XXIV. Codex papyraceus in fol. min., modo bibl. urbis Trev., N° 1277 sign., olim Antverpiensis, prosequitur Gesta usque ad historiam controversiae inter Henricum a Vinstingen Archiepisc. et Theodericum, Abbatem ad S. Mathiam (inclusive). Scriptor egregiis codicibus usus est. Folia 105 priora scripta videntur manu saeculi XVI.; quae sequuntur ad finem usque folia 84, scripta sunt manu saeculi praecedentis, scilicet XV.; ita, ut nobis verosimile sit, hujus posterioris fragmenti possessorem priora horum Gestorum capita ad comparandum sibi opus integrum, aut ipsum scripsisse, aut ab alio quovis scripta esse. — Mutilatus est liber haud paucis in locis manibus nefariis, quae varia folia exsciderunt.

XXV. Ex bibliotheca quadam privata Francofurtensi ad notitiam nostram pervenit codex papyraceus, cujus possessor, vir doctissimus, qui in hoc studiorum genere vivit, illum nobiscum benevole communicavit. Olim erat bibliothecae monasterii S. Maximini

prope Treviros, cujus ultimus abbas, Benedictus Kircher, eum alienavit!! Adversa fortuna tum manuscripta bibliothecarum patriae afflixit; satis multa enim aut spoliata aut direpta sunt, aut plane perierunt. Codices, qui incolumes ex hac calamitate evaserant, fere omnes bibliothecae urbis Trevericae felici fato adjuncti sunt.

Et hic codex, satis nitide scriptus, complectitur Gesta, ut quidam antecedentium, ad annum usque 1455. Martene et Honthemius noster codicem St. Maximinianum in snis editionibus descripserunt.

XXVI. Codicis papyracei in fol. maj., olim monasterii Eberhardo-Clusani infra Treviros, nunc bibliothecae urbis Trev., N° 118 sign., scriptura luculenta est, nec tamen elegans. Exaratus est hic codex, saltem quoad historiam Jacobi II. et Richardi Archiepiscoporum, primis saeculi XVI. decenniis. Folio primo leguntur sequentia: „Codex domus beate Marie Virginis in Clusa Eberhardi ordinis ca- „nonicorum regularium Trevirensis diocesis.“ Tunc sequitur index materiarum. Folia habet 183, satis distincte scripta. Filum Gestorum continuat usque ad mortem Richardi a Greiffenclau, ad annum scilicet 1531. Hunc codicem, magnam partem egregium, non esse eundem, de quo mentionem facit Honthemius (Hist. Trev. dipl. III. p. 965. §. II.), luculenter patet ex ipsius verbis ibidem allegatis: codex enim, quo usus est Honthemius, usque ad annum 1677. narrationem perducit. Scriptor nostri codicis, Richardi Archiepiscopi coaevus, non ubique eundem sequitur ordinem, ut alii scriptores, et statim ab initio textui varia adjecit, quae alibi non leguntur. Inter illos codices, qui novam temporibus saeculi XV. exaratam recensionem agnoscunt, hic Clusanus, praeter St. Maximinianum, facile princeps est. Non ubique quidem justum ordinem in sua narratione observat, miscens inepte antiquioribus recentiora, et hinc inde varia addens, quae non semper ad rem faciunt: interim saepissime ad illustranda capita,

apud alios obscura, apprime confert; ideoque eum in multis optimorum librorum aemulum judicamus.

Praefato codici Clusano ad verbum consimile exemplar papyraceum in fol. min., saeculo XVII. exscriptum, possidet bibliotheca Capituli cathedralis Trevir., ex legato Canonici Miltz, Episcopi Suffraganei Trevir., anno 1833. defuncti. Benevolentia et liberalitate Canonici Brinckmann, bibliothecae hujus custodis, hoc manuscriptum ad manus nostras venit. Folio primo notantur sequentia: „Ex libris Philippi Jōis Crati a Scharpenstein canonici et cantoris „metropolitanae ecclesiae Trevirensis, 1616.", qui sine omni dubio ex laudato codice Clusano suum exemplum transcribi curaverat.

XXVII. Sequitur noster Johannes Linden, ad S. Simeonem Canonicus, vir spectatae eruditionis (secundum Masenium in Addit. ad Brow. Annal. Trev. Propar. p. 94.), et veterum historiarum apprime gnarus. Auctor anonymus Annal. mss. S .Maximini Lindanum accuratissimum antiquitatum Trevirensium investigatorem praedicat. Scripsit recensionem novam et ultimam historiae Trevirensis antiquioris, Gestaque amplificavit usque ad annum 1627. Obiit anno 1639. Duo hujus operis codices mss., qui in bibliotheca urbis Trev. asservantur, signati sunt N° 38 et 1280. Nosmetipsi possidemus, ut jam supra diximus, hujus viri codicem sine dubio optimum.

Crisin satis rigidam de conatu Lindani legimus apud Honthemium (Hist. Trev. dipl. III. p. 991.) his verbis: „Vix aliud hoc opere Lindanus „praestitit, quam ut Gesta Trevirorum communia" (quae usque ad suam aetatem, id est, annum 1627. continuavit) „novo capite ornaret, „cui de caetero modicum aut nihil studii critici adhibuit, quippe quod „populares traditiones de origine tum civili tum ecclesiastica Trevi„rorum adoptaverit."

Quae libri indoles nihil tamen Honthemium impediebat, quominus ex eodem Lindano capita 184., 185., 186., 187., 188. et 189. suae edi-

tionis hauserit. Et omnino hic scriptor in iis rebus, quibus aequalis est, merita sua habet indubitata.

In Gestorum Trevirensium collectione hinc inde sese nobis offerunt singulares virorum memorabilium vitae scriptores. Praecipui eorum, quibus in hac nostra editione paranda usi sumus, nunc recensendi sunt.

XXVIII. Vita S. Simeonis in codice membranaceo in 4[to], manu certe saeculi undecimi et coaeva, exarato, olim monasterii ad S. Mathiam, modo bibl. urbis Trevir., N° 94 sign. Scriptura elegans et luculenta. In hoc volumine, praeter illam vitam, adhuc alia compacta sunt opera mss. vetustissima, e. g. Liber Athanasii de Trinitate, saeculo nono scriptus, et Disputatio inter Arium et Athanasium, codex saeculi octavi. In hac S. Simeonis vita non omnia recensentur miracula, quae in mox notando codice leguntur, et apud Hagiographos Antverpienses, Jun. Tom. I. p. 95., qui hujus codicis notitiam non habuisse videntur, etsi octo codd. ms[tis] usi sint.

XXIX. Eadem vita extat in codice membranaceo in 4[to], saeculi XII. (sub finem legitur: descriptus anno MCLXXXVIII.), primitus monasterii ad S. Martinum prope Treviros, nunc bibliothecae urbis Trevir., N° 116. sign. Folio primo legitur: „Codex s̄ci Mar-„tini Treuer. Si quis furtive subtraxerit Anathema sit. Amen.“ Tum sequuntur haec verba, rubro colore scripta:

„Ter stetit is sanus de montis vertice trusus
„Jungitur acceptus et s̄cis ense peremptus
„S. Cvno.“

Eodem folio expressa est imago cujusdam Archiepiscopi, habitu illius saeculi archiepiscopali, et quidem cum pallio ornata, quae sine omni dubio Popponis est, cujus jussu auctor hanc vitam scripsit. Cunonis esse non potest; hic ecclesiae Coloniensis Praepositus an.

1066. Archiepiscopus Trevirensis designatus, brevi tempore post designationem, 1. Junii ejusdem anni crudeli morte perimitur in via versus Trevirim, ideoque Archiepiscopis Trevirensibus vere non adnumerandus est.

Ex parte adversa ejusdem folii est imago S. Simeonis. Compacta sunt in hoc codice plures aliae vitae Sanctorum (Conradi Episc., Leodegarii, Willibrordi, Clementis) et insunt praeterea quidam sermones: manuscripta saec. 9., 10. et 11. Ad bibliothecam Collegii S. J. Trev. hic codex anno 1608. pervenit ex donatione Bartholomaei Bodeghemii Delphensis, quondam ad S. Simeonem Canonici et curiae Trevirensis Officialis, viri suo tempore doctissimi, cujus munificentia bibliothecam Trevirensem multis et quidem rarissimis voluminibus locupletavit.

Disputant critici, utrum Eberwinus, hujus vitae scriptor et testis synchronus, fuerit Abbas monasterii S. Martini, an vero Tholejensis? Nos priorem opinionem praeferendam esse ducimus; de qua re vide notam nostram ad calcem hujus voluminis (ad cap. 50.).

Popponis etiam vita singularis, sub quo Archiepiscopo Treviris S. Simeon vixit, legitur in codd. mss. Trev. recentioribus, N° 1200 et 1346 sig.

XXX. Codex papyraceus in fol. min. saeculi exeuntis XV. bibl. urbis Trev., N° 26 sign., exhibet, praeter alias Sanctorum vitas, folio 3. — 6. vitam SS. Eucharii, Valerii et Materni (*); folio

(*) Aliud harum vitarum exemplum, ex cod. ms. monasterii S. Ghisleni in Hannonia O. S. B. possidet bibl. Trev., N° 1300 sign. — Inest praeterea in eodem codice catalogus primorum 45 Episcoporum Trevirensium, quorum series incipit nominibus Eucharii, Valerii et Materni, cui immediate sequitur Agritius.

Hoc nostrum exemplum accuratissime exscriptum, et Treviros ad monasterium S. Mathiae transmissum est anno 1759. ab Jldephonso Sorlin, coenobii S. Ghisleni monacho.

V. Gestorum cap. 67. et animadversiones nostras ad hoc cap., et ad capita 21. et 26. in fine. voluminis.

59. — 62. vitam S. Basini, Episc. Trev.; folio 129. — 144. vitam S. Lutwini, Episc. Trev., absque miraculis; folio 175. — 191. vitam ejusdem Episcopi cum miraculis, alia manu scriptam; folio 192. — 200. vitam S. Simeonis, auctore Eberwino; postremo vitam S. Paulini, Episcopi Trevirensis.

Horum antiquiorum Episcoporum plura extant acta, et vitae singulares diversorum temporum et scriptorum; sed non nisi prudenti cautela fidem harum vitarum esse usurpandam, concedimus gravi judicio virorum doctissimorum, et quidem ecclesiasticorum Sirmond, d'Achery, Henschen, Calmet, Tillemont, Soller, aliorum.

Etsi vero de his vitis Sanctorum apud viros criticos parum mitis sit sententia; attamen purioris traditionis radii per nubem confictorum ornamentorum quandoque in his actis dignosci possunt, ideoque magni hinc inde momenti sunt ad illustrandam mediae aetatis historiam. Profecto in his libris (apte scribit Haenel infra laudatus), qui multis nullius pretii esse videntur, saepe res memoriae dignissimae insunt, quemadmodum in rudibus lapidibus auri particula latet.

XXXI. Codex membranaceus, olim S. Maximini, nunc bibl. urbis Trevir., N° 1141 sign., formae quartae, anno 1414. scriptus, continet vitam S. Maximini, Archiep. Trevir. Hanc Maximini vitam, anno 839. Waldoni Abbati S. Maximini inscriptam, Surius ad diem 29. Maji evulgavit. Hujus auctor dicitur Lupus, Ferrariensis Abbas. Vitam S. Maximini antiquiorem sub medium saeculi VIII., ab anonymo S. Maximini monacho compositam, edidit Bollandus.

Novum quoque vita S. Maximini praebet argumentum, Normannos non omnes destruxisse codices, sed quosdam saltem evasisse flammas; et scriptores Gestorum Trevirensium, cineres post hanc vastationem relictos diligentius perscrutantes, non pauca monumenta ante-Normannica ad manus habuisse.

Ejusdem vitae cod. ms. papyraceum, circa finem saeculi 15. scriptum, possidet bibl. Trev., N° 1180 sign.

Tertium exemplar hujus vitae habemus in cod. ms. Trev. sub tit.: Scriptores rerum Trevirensium, T. I. N° 39 sign. Insunt praeterea in hoc volumine alii codd. mss. historici argumenti, scilicet: 1) Historia de Thebaeis martyribus. In fine manu Honthemii haec nota apposita est: „Extat eadem historia in vetusto codice „trium voluminum Vitas Sanctorum sub titulo Passionalis continente „bibliothecae S. Simeonis Treviris. Videntur autem eadem volu„mina fuisse ex primis libris chori ejudem collegiatae circa annum „1042. fundatae.“ — 2) Historia adventus S. Agricii ad Tre„viros. — 3) Vita S. Severini, Trevirorum Archiepiscopi. Auctor hujus vitae, certe auctor epistolae huic vitae adjectae, in fine in subscriptione ejusdem se vocat Antonium Enisanum; in qua epistola agitur de identitate sive diversitate Severini Trevirensis et Coloniensis. — 4) Vita S. Magnerici, Trev. Archiepisc., auctore Eberwino.

XXXII. Codex membranaceus, formae, quam dicunt octavam minorem, bibliothecae urbis Trev., N°. 4 sign., saeculo XII. eleganter scriptus a Balderico, historiographo vitae Alberonis synchrono, immortalis memoriae Archiepiscopi Trevirensis, anno 1131. electi. Vide notas nostras ad Alberonis Gesta in fine hujus voluminis. Hoc manuscriptum, fortasse Balderici autographum, inter fontes historiae Trevirensis hujus saeculi sane primas partes obtinet.

Folium primum in dorso exhibet imaginem dicti Archiepiscopi, habitu archiepiscopali more saeculi sui et pallio decorati, baculo pastorali muniti, cum hac inscriptione:

„Domnus Albero Archieps Trevirorum.“

Folii primi titulus orditur his verbis: „Liber“ (quae hic studio deleta sunt, sine dubio nomen antiquorum possessorum continebant)

„continens acta Alberonis, archiepi Trev.“ Insunt praeterea in hoc codice varia ascetica, partim saec. 14., partim 15.

Hunc codicem optimae notae cum plurimis aliis libris, bibliothecae Trevirensi anno 1830. dono dedit Joan. Petrus Job Hermes, Trevir, benefactor hujus bibliothecae munificentissimus.

XXXIII. Eadem bibliotheca possidet exemplum papyraceum hujus vitae, in quarto min., N° 1281 sign., manu saeculi XV. scriptum. Folio primo legitur: „Alberonis LXXXIII. Archiepi Treuerensis „Acta, auctore Baldrico quodam illius coaetaneo, qui nomen suum „exprimit.“

Insunt praeterea in hoc codice Gesta diversorum Archiepiscoporum, scilicet: „Boemundi II. de Saraponte, Cunonis de Falckenstein, „Wernheri de Falckenstein, Ottonis de Ziegenhain, Rabani de Helm„statt, Jacobi I. de Sirck, et Johannis Marchionis Badensis.“

Honthemius in sua editione Alberonis Gesta ex codice monasterii S. Mariae ad Martyres imprimi fecit.

XXXIV. Ceterum praeter illos, quorum mentionem hucusque fecimus, et quibus usi sumus, codices mss. Gestorum Trevirensium, alios plures extitisse, majorum nostrorum studio collectos, qui per varia belli tempora, ubi patriae solum devastatum est, periere, aut inscitia posterorum, vel auri cupiditate, et alio quocumque modo e patria migrarunt: de hac jactura omnigenis argumentis jam diu convicti sumus.

Romae in bibliotheca Vaticana extare codicem ms., olim bibliothecae Christinae, Suecorum Reginae, sub N° 497., qui Gesta Episcoporum et Archiepiscoporum continet, testatur Honthemius (Hist. Trev. dipl. III. p. 962. sq.). Facit idem auctor ibidem mentionem de alio ejusdem bibliothecae codice ms., N° 508 sign., in quo vitae praesulum Trevirensium, a Basino usque ad Ottonem, describuntur.

Et in celeberrima quondam abbatia Epternacensi codicem Gestorum exstitisse, legimus in catalogo bibliothecae hujus monasterii his verbis: „Manuscripta: Gesta Trevirorum ex vetustissimo codice extracta." An vero idem iste codex sit, cujus primam notitiam nobis dedit Dronke, collega Gymnasii Confluentini, vir propter flagrans literarum adjuvandarum studium nunquam satis a nobis laudandus, et quem codicem nobiscum benevole communicavit Bohl Confluus, scriptis suis de re monetaria Trevirensi optime meritus, de hoc non parum dubitamus.

Hic codex a Joanne Bertelio, Abbate Epternacensi, circa annum 1598. in ipsa urbe Trevirorum scriptus est. Prima folia desunt, et terminatur liber capite 89. Manus ultima non accessit huic operi.

In „Catalogo librorum manuscriptorum, qui in bibliothecis Gal„liae, Helvetiae, Belgii, Britanniae M., Hispaniae, Lusitaniae asservantur" (Lipsiae, 1830. in 4to) promtissimus vir et experiens, editor Gustavus Haenel laudat codices quosdam Gestorum Trevirensium sub variis titulis. Sic in bibliotheca publica urbis Ambianensis extant illa Gesta s. t. N° 346. Chronica Episc. Trevirensium; absque omni alia nota. In bibliotheca viri ornatissimi Lammens, civis Gandavensis s. t. Anonymi Historia Trevirorum; saec. XII. membr. 4to. — Etiam in bibliotheca Angli Thomae Philipps in Middlehill, viri (scribit Haenel) summo literarum atque antiquitatis monumentorum studio incensi, veterisque rei diplomaticae peritissimi, asservantur Gesta Trevirorum s. t. N° 237. Historia Trevirorum; saec. XIII. membr.

Tandem in bibliotheca Manuscriptorum Bruxellensi, quam dicunt Burgundicam, extat (ut nobis retulit doctissimus et perurbanus Beving) codex Gestorum membranaceus in fol., saeculi XIII., qui finitur verbis: „intronizatus est Albero anno dominicae incarna-

„tionis millesimo centesimo vicesimo secundo. Explicit liber in isto-„ria (sic) Treberorum.“ Initiales cum capitulis colore rubro pictae; primae lineae singulorum librorum auro ornatae. Consimilis est et hic codex illis, quos supra N° VI. et VII. notavimus.

Insunt praeterea in hoc Manuscripto elegantissimo 1) Historia Romanorum; 2) Prologus domini Hugonis, monachi Florinaci in istoriis antiquitatum; 3) De gestis Langobardorum; 4) Gesta Francorum. — Bibliotheca haec excellens varia adhuc Treverica possidet, fragmenta scilicet seqnentia, quae praenotantur his titulis:

a) Antiqua historia rarissima ab 714. ad annum 810., e codice monasterii S. Maximini (sine dubio Trevirensis).

b) Gesta quorundam Archiepiscoporum Trevirensium, e quodam ms. codice invento in biblioth. Romersdorfiana.

c) Chronicon Trevirense in fol., saeculo XIV. scriptum, habens folia 31 membr. Finitur morte Balduini Archiepiscopi. Adscripta est folio primo haec nota recentior: „Liber ecclesiae S. Florini“ (sine dubio Confluentiae), „inde collegii Soc. Jesu Trev. usque ad an-„num 1734., sub cujus finem cessit collegio Coloniensi ejusdem so-„cietatis, titulo permutationis.“

d) Origines et Annales coenobii ad S. Maximinum (Al. Wilthemii).

Praeter codices a nobis commemoratos, inter quos varii ad historiam terrae nostrae antiquam explicandam plurimum conferunt, fortasse plures adhuc latitant hic illic in archivorum et bibliothecarum scriniis chartae antiquae et codices mss. Etsi hos nobis inspicere non contigerit, speramus tamen, nulla inde incommoda editionem nostram capturam esse: propterea quod gravissimi nobis sine dubio et optimi codices ad manus erant, et absentes nihil certe novi nobis allaturos fuisse putamus.

XXXV. Quid denique de ingenti illa actorum mss. collectione in bibliotheca urbis nostrae deposita, de hoc portento diplomatico et

literario (si ita loqui nobis liceat) quod centum et quindecim volumina in folio (*) continet, dicendum erit? Continet haec collectio acta litis (saec. XVI.) inter Archiepiscopum Trevirensem et urbem Trevirensem. Superioritas Archiepiscopi in urbem Trevirensem a civibus oppugnabatur.

Lectione horum actorum, non sine labore et sudore finita, paleam a tritico sedulo separantibus nobis constitit, in his foliis vix, ac ne vix quidem aliquid extare, quod fontis aut originis nomine, ad illustrandam antiquioris temporis historiam, dignari mereatur. Enimvero a saeculo XIV. usque ad annum 1569. exhibentur in his actis multa documenta domestica, urphedae, pacta cum Ducibus, Comitibus, aliisque equestris status personis ad mutuam defensionem inita, quibus horum temporum genius quandoque multum illustratur; alia praecipue ad notiones juridicas, numismaticas, genealogicas non parum contribuunt. Quapropter non negleximus, illa, quae memorabiliora nobis visa sunt, excerpere, et in synopsi quadam exhibere, serius fortasse in Gestorum tomo tertio et ultimo publicanda.

Sed haec quidem de codicibus mss. hactenus. Quibus porro adminiculis mss., quae Trevericas res hinc inde tractant, in nostra editione usi simus, notae marginales et illae ad calcem voluminum adjectae satis demonstrabunt.

SECTIO III.

De Gestorum Trevirensium editionibus.

Videamus nunc in hac sectione, quales exstent Gestorum editores.

I. Primus, qui Gesta Trevirorum in lucem emisit, est Lucas

(*) Alia duo exemplaria hujus operis extant. Unum in tabulario urbis nostrae asservatur; alterum in bibliotheca Guelferbytana: sed ambo incompleta sunt. Exemplar Guelferbytanum habet volumina nonnisi 44. Auctor Chronici Limburgensis asserit: „32,000 Bogen Papir waren die Acta.“

d'Achery e Congregatione celeberrima S. Mauri. Usus est in sua editione codice ms. abbatiae S. Cornelii Compendiensis. Legitur absque omni nota critica haec editio in volumine 12° operis: „Veterum „aliquot scriptorum &c. spicilegium. Opera et studio Lucae d'Ache-„rii." Parisiis, 1653 — 1677 in 4to, pag. 196. sqq. sub titulo: Historia Trevirensis, et in tomo 2° pag. 207. sqq. novae editionis Parisiensis in fol. de anno 1723., quam curavit Jos. de la Barre.

Codex Compendiensis sequitur maximam partem Golscheri recensionem, usque ad prima decennia saeculi undecimi, adjectis reliquis Gestis usque ad annum 1122., quo desinit iste codex, ex additamentis subsequentium Scholasticorum. Videtur nobis scriptor hujus codicis Compendiensis consilium habuisse, vitas Sanctorum potius et Episcoporum Trevirensium scribendi, quam ipsa Gestorum Trevirensium capita.

Quod ipsum textum d'Acherianum attinet, incipit ille capite editionis Leibnitianae et nostrae vigesimo; sed non continuat iisdem ubique verbis, nec eodem ordine. Multa, quae in praefatis editionibus leguntur, non habet editio d'Acheriana; quae singula lectori patebunt.

Pauca quaedam Gestorum Trevirensium fragmenta ex alio cod. ms. (a Modoaldo ad Thietgaudum Archiep.), a Luca d'Acherio collata, legimus in Actis SS. Ord. S. Benedicti a Mabillonio editis, Tom. IV. P. 2. p. 554. sq. Venet. 1734. fol.

II. Godefridus Guilielmus Leibnitius in tomo I. operis sui sub titulo: Accessiones historicae, Lipsiae, 1698. in 4to, et Hannoverae anno 1700. in 4to, exhibet 77 capitibus Gesta Trevirorum usque ad annum 1132. (*). Quamquam hic vir, varia doctrina

(*) Codices plurimi, qui recensionem Lamberti de Legia plus minusve secuti sunt, desinunt hoc anno: sic tres codices, quibus Leibnitius usus est, tum Stuttgartiensis, Guelferbytanus, unus Vindobonensis, Bruxellensis, alii.

ornatissimus et rerum Germanicarum studiosissimus, sua habeat de rebus quoque Trevericis merita; desideramus tamen et in hac editione notas criticas, et quod nullam nobis illorum codicum reliquerit descriptionem, quibus se usum fuisse asserit. In sua praefatione sufficit illi dixisse: „Tribus codicibus ad editionem usi sumus, eosque ex „se mutuo supplevimus correximusque, variationibus aut supplementis „inter uncinos conclusis. Unum bibliotheca Augusta praebuit, alium „ipse habui, tertium suppeditavit Cl. Migius Heidelbergensis, nunc „Marpurgensis professor. Scriverius unum ex his codicibus habuit, „annotavitque videri initia libri non esse saporis monachalis, stylo „altius assurgente.“

III. Binarum praecedentium editionum facta collatione cum duobus codicibus S. Mathiae, quorum unus antiquior, alter recentior, sed auctior, novam Gestorum editionem procuravit Augustinus Calmet, Abbas Senonensis, in opere: „Histoire ecclésiastique et civile de „Lorraine &c.“ Vol. I. in probat. p. 1. sqq. Nancy, 1745. fol. Nouvelle édit. (Editio princeps, tribus tantum voluminibus constans, anno 1728. publicata est).

In praemonito ad hanc editionem observat Calmet: „L'ouvrage „intitulé: Gesta Trevirorum, ou l'histoire de Trêvirois, que nous „donnons içi, a été probablement composé par Thierry, religieux „de S. Mathias de Trêves, qui vivoit vers l'an 1012., et continué par „Golscher, religieux de la même abbaye, qui vivoit quelque tems „après, et qui l'a conduit à l'an 1152.“

Virum doctissimum in aperto errore esse, hoc tantum monere sufficiat, Golscherum jam decessisse anno 1038.; adeoque non potuisse continuare haec Gesta usque ad annum 1152.! Conf. Sect. I. Proleg.

Calmet in sua editione verbis: „Postquam Dominus noster pas„sus est &c.“ capite 20. incipit, praetermissis novendecim capitibus

prioribus, nec exhibens nobis capita 22., 23., 24. et 25. propter hanc rationem, ut inquit: „Nous n'avons pas crû devoir faire imprimer içi „les 19 premiers chapitres, ni le 22., 23., 24. et 25. de cet ouvrage, „qui ne contiennent que de faits incertains, ou que l'on trouve beau-„coup mieux ailleurs; notre objet principal étant de faire connaitre „içi les premiers Archevêques de Trêves.“ Desinit autem Calmet eodem capite 77. Gestorum, quo Leibnitius. Varias interim textui suo et eruditas adjecit notas.

IV. Pervenimus ad Gestorum editionem prae ceteris excellentem Edmundi Martene et Ursini Durand, monachorum Benedictinorum e Congregatione S. Mauri. In opere: „Veterum scriptorum et „monumentorum &c. amplissima collectio.“ Parisiis, 1729. in fol. Tom. IV. p. 141. sqq. partem Gestorum ediderunt sub titulo: „Gesta Tre-„virensium Archiepiscoporum ab anno Christi DCCCLXXX. ad an-„num MCCCCLV. ex ms. codice insignis monasterii S. Maximini.“

Quare hi viri, ceteroquin doctissimi et harum rerum acerrimi existimatores, non nisi ab anno 880. (rectius dixissent 882.) ordiantur; de hoc rationem reddere conantur his verbis: „Mediam invenimus „viam, ut Gesta primorum archiepiscoporum, quae in utraque editione „(d'Acheriana et Leibnitiana) aut omnino fabulosa, aut valde incerta, „aut brevius quidem perstricta sunt, praetermitteremus, ordiremurque „ab anno DCCCLXXX., quo Treviros vastavere Normanni, et a quo „deinceps longe certior decurrit historia, pluraque complectitur diplo-„mata, quae frustra quaeres et in Acheriana et in Leibnitiana editione.“

Quatenus autem hic procedendi modus probari possit; an via ista, quam secuti sunt dicti editores et Honthemius, qui illorum sententiam adoptaverat, justo titulo dici possit via media? transeunter examinavimus in praefatione nostra. Confer etiam ea, quae infra N° VII. de hac materia disputamus.

In hac editione Gesta Trevirorum desinunt morte Jacobi a Sirck.

Pagina demum 453. sequitur: „Appendix ad Gesta archiepiscoporum „Trevirensium: libellus de propugnata adversus archiepiscopum Tre- „virensem libertate Epternacensis monasterii &c. ex ms. Epternacensi „antiquo.“

Libellus iste non parum lucis adfert Gestis Archiepiscopi Johannis, circa finem saeculi XII., manetque in nostra historia monumentum perutile. Vidimus ipsimet suo tempore in dicta abbatia hunc codicem ms., qui vero postea cum multis aliis codicibus mss. rarissimis disparuit. Tandem p. 505. clarissimi editores imprimi curaverunt Chronicon Epternacense ex ms. dicti monasterii; et p. 509. aliud breve Chronicon, seu potius prioris continuationem. Et haec folia mss. olim vidimus; caute tamen illis uti debemus, siquidem non paucos continent errores quoad computum temporis.

Etsi haec editio sua habeat merita, observare tamen nobis liceat, varia hinc inde in codice St. Maximiniano omissa esse, varia non satis accurate transcripta.

Editores quandoque notas marginales, et ex more horum virorum eruditas et aptas textui adposuere.

V. Inseruit etiam Jo. Georgius Eccardus Corpori historiarum medii aevi (T. II. p. 2197. sqq. Francof. 1743. fol.) partem Gestorum, sub titulo: „Golscheri et Anonymi cujusdam Gesta „archiepiscoporum Trevirensium ab an. MCXXXII. ad an. MCCLIX. „continuata“; quae ipsi ex bibliotheca Trevirensi olim communicata fuisse dicit. Verba Eccardi: „Nullum mihi est dubium, ea, quae hic „de Alberone et Hillino leguntur, ejusdem Golscheri opera confecta „esse; indicat enim manifeste satis author, se sancti Eucharii mona- „chum fuisse, et hisce sub archiepiscopis scripsisse“, manifeste falsa sunt; siquidem Golscherus anno 1038. e vivis decesserat; Albero vero nonnisi anno 1152. et Hillinus anno 1169. mortui sunt.

VI. Praeclaras Gestorum Trevirensium partes nobis reliquerunt

biographi singulares Alberonis et Baldewini (Balduini), Archiepiscoporum. Gestorum Alberonis a Balderico conscriptorum novam editionem ex Honthemiana procuravit M. J. J. Brial, ante destructionem ordinis in Gallia, monachus Benedictinus e Congreg. S. Mauri (cujus ordinis vel ipsum nomen meritam prae se fert laudem), in opere: „Rerum Gallicar. et Francic. scriptores." Paris. Tom. XIV. p. 349. sqq. 1806. fol.

In eodem opere (T. XI. p. 194. sq.) aliud excerptum, breve tamen et valde jejunum, ex Gestis Trev. descriptum est.

Gesta Baldewini Luxemburgici, per biographum coaevum scripta, singulariter leguntur edita in Stephani Baluzii tomo I. Miscellaneorum, Paris. 1678. Ex Baluzio hanc Gestorum partem repetiit G. Chr. Joannis in nova editione Veterum scriptorum a Justo Reubero tomo uno olim edito (Francof. ad M. 1726. p. 953. sqq. fol.).

VII. Tandem Honthemius, antiquae eruditionis decus et exemplum in nostra patria, Trevirorum Gesta in lucem publicam emisit, et quidem in Prodromo histor. Trevir. diplom. Tom. II. p. 746. sqq. Aug. Vindel. fol. min. 1757.

Exemplum secutus Martenei et Durandi, non nisi ab anno 882. textum orditur, praetermissis 42 prioribus capitibus, et desinit in medio fere saeculo proxime exacto. Scriptoribus rerum ante-Normannicarum tam parum fidei tribuit vir celeberrimus, ut illis inter origines sive fontes historicos nullum locum concedat, omnemque ipsis fere auctoritatem abroget.

Etsi cum his viris doctissimis nobis persuasum sit, illa Gesta, de quibus sermo est antiquioribus temporibus, non nisi caute dijudicanda esse: justos tamen rei criticae limites certe transgreditur ille, qui illorum auctorum scriptis spongiam nimis graviter admovet: sana enim crisis et cauta scit prudenter distinguere substantiam ab acci-

dentibus, verisimile a non verisimili, possibile ab impossibili; ne, dum castella urbis defendimus, urbem ipsam expugnare videamur. Primi rerum Trevirensium scriptores partim fuerunt coaetanei et testes oculares eventuum ante-Normannicorum; et si praefati historiographi eum in modum disputant: „Haec de Gestis sanctorum patrum post „excidium Trevericae urbis relictas cineres diligentius perscrutantes, „sparsim in cartulis scripta invenimus, quae in unum redacta utilitati „legentium tam praesentium quam futurorum fideliter commendamus“: cui non apparebit luculenter, hos viros non somniasse, sed permulta ex monumentis antiquissimis hausisse. Quid ultra? Ipse Honthemius illorum, quae alibi dixerat, aliquatenus immemor, sententiae nostrae valde accedere suamque propriam corrigere videtur in Dissert. de aera fundati episcop. Trevir. (Hist. Trev. dipl. I. p. XL.) his verbis: „Attamen nec consulendum, nec monendum tum quidem „duxi (*), ut in eodem (Breviario) acta primorum antistitum nostrorum „ad ista exigerentur; hac potissimum ratione motus, quod ecclesias„ticas Legendas, quousque convincentia argumenta falsitatis, supposi„tionis aut absurditatis earundem habeantur, retineri conveniat, quippe „quae“ (praesertim si antiquae sint) „ab usu plurium saeculorum et „approbatione episcoporum probabilitatem obtinent. Cumque haud ra„ro eveniat, ut, quae aetate sua penitus obliterata credebantur, nova „fortuna lucem revideant, cautos nos esse decet in majorum finibus „movendis, quos hoc et superiore saeculo a viris criticis cum subi„taneo plurium applausu sublatos, ab aliis deinde ex novis firmiori„busque argumentis pari, imo majore eruditorum approbatione resti„tutos nonnunquam vidimus. Nimis sane multa convelli oporteret, si „hodiernus artis criticae rigor, qui pias traditiones cum erroribus po„pularibus facile confundit, et saepe bonum semen cum zizanio

(*) Nempe cum Honthemius in emendatione Breviarii Trevirensis operam locaret.

„**evellit**, exerceretur in Breviaria, Martyrologia, et eas etiam Sanc-„torum vitas, quae hodieque a prudentioribus sincerae existimantur."

Videamus nunc, ex quibus codicibus mss. **Honthemius** Gesta Trevirorum publica fecerit.

Caput 43., a quo orditur, ad caput 77. inculusive, habet ex quodam codice S. Mathiae, quem ulterius non denotat, qui vero non est ille egregius, Sect. II. N° III. a nobis descriptus. Usus est etiam editione Leibnitiana.

Sequuntur jam Gesta Alberonis, et quidem ex codice quodam monasterii S. Mariae ad Martyres. Desinit lectio hujus codicis capite 89.

A capite 90. usque ad caput 114. inclusive (editionis scilicet Honth.) continuat ex codice St. Pauliniano.

A capite 114. ad 167. inclus. Gesta describit ex cod. S. Maximini.

Quae sequuntur usque ad caput 184., e juniore et jejuno codice Eberh. Clusano desumpta sunt. Antiquioris hujus monasterii codicis notitiam non habuisse videtur. Confer quae diximus Sect. II. N° XXVI.

Abhinc textum capitum ex exemplari quodam Ms[ti] Joannis Linden (sed satis vitiose exarato) prosequitur usque ad caput 189. Caput 190. resumitur altera vice ex codice praefato Eberh. Clusano.

Sequitur circa medium saeculi XVII. alius continuator, cujus scripta Honthemius secutus est, et qui ad annum 1669., capite 199., nomen suum prodit, verbis: „Ego ipse Joannes Kenn, Cantor ad „S. Florinum" (Confluentiae).

Post hunc **Nicolaus Reichmann**, curiae Trevirensis procurator, Gesta continuasse videtur. Hic agmen claudit apud Honthemium. Unus codicum hujus viri in monasterio S. Mathiae servabatur, qui desinit in anno 1713. Hoc Ms. modo nosmet ipsi possidemus. Inde usque ad annum 1720. Honthemius non potuit ejus annotationes detegere. Ab hoc postremo autem anno usque ad annum

1733. vernaculo idiomate obvia Trevirorum acta in separato Ms. ab eo consignata invenit, quae ad calcem editionis suae imprimi fecit.

Post praefatum Nicolaum Reichmann alius hujus nominis Aemilianus Reichmann, fortasse Nicolai frater, monasterii ad S. Mathiam Prior, et post hujus obitum (an. 1746.) alii hujus coenobii fratres filum chronologicum continuant, varia hinc inde anecdota minime contemnenda immiscentes. Continentur haec in Ms[to] papyr. in fol., cujus inscriptio: „Protocollum monasterii S. Mathiae prope „Trevirim", modo bibl. Trev., N° 2092. sign. Honthemius nullam hujus Ms. notitiam habuisse videtur.

Quod autem de editione Marteneana jam supra tulimus judicium, hoc neque hanc postremam editionem subterfugiet. Plura medii aevi Honthemius ex arbitrio omisit, quae omittenda non erant, alia, quia ipsi erant ignota. Notas paucissimas, fere nullas, adjecit. Varias denique lectiones falsas et haec editio continet, quas notis nostris marginalibus aeque ac animadversionibus nostris in fine voluminum demonstrare et in Gestorum textu emendare conamur. Editio Honthemiana capita 226 complectitur.

Quid vero hic noster celeberrimus Trevir historico studio praestiterit in libro, qui inscribitur „Historia Trevirensis diplomatica et pragmatica", Aug. Vindel. 1750. tribus tomis in fol. impresso, satis notum est. Continet thesaurus iste ingenti numero diplomata ad Gestorum Trevirensium illustrationem, probationem, explicationem, mendorumque emendationem, tam mire facientia, ut a rerum Trevirensium studiosis maximam laudem sub omni titulo mereatur. Valeat haec eadem observatio de Prodromo historiae Trev. dipl., ab eodem praeclarissimo auctore duobus tomis, Aug. Vind. 1757. edito, qui praeter origines Gallo-Belgicas, Romanas, Francicas atque Germanicas, plures continet dissertationes (partim a V. Cl. Nellero, Honthemii amico, scriptas) patriae historiam mirum in modum illustrantes.

VIII. Neque praetereunda hic silentio est collectio diplomatum Trevirensium hucusque ineditorum, quam sex tomis in 8° maj., s. t.: „Codex diplomaticus Rheno-Mosellanus. Confluentiae, 1823. sqq.“ publicavit Vir de re diplomatica meritissimus Wilhelmus Günther, olim Canonicus regularis abbatiae Romersdorfianae, tum archii, quod apud Confluos servatur, custos, nunc autem in dioecesi Trevirensi Canonicus et Episcopus Suffraganeus.

IX. Interim animadvertamus, permultas maximi pretii chartas originales ineditas, et variorum monasteriorum (S. Maximini, S. Mathiae, S. Mariae ad Martyres, Prumiensis, Mediolacensis, Himmerodensis, Horreensis sive S. Irminae, S. Martini (*), aliorum) chartularia praestantissima, hucusque in his aedibus sacris recondita atque abdita, in bibliotheca publica urbis nostrae modo asservari, quae, cum laudatis Honthemii et Güntheri diplomatariis, profecto maximo nobis usui fuerunt in hac nostra nova Gestorum editione.

X. Non recensebimus hocce loco illos scriptores, qui a saeculo XVI. usque ad nostra tempora res patriae plus minusve perite tractavere, quorum plurimi typis editi, alii adhuc in Mss. asservantur.

Inter antiquiores (ab initio saeculi XVI. usque ad postrema decennia saeculi proxime superioris) potissimum notandi sunt: Joannes Trithemius, Joan. Enen, Joan. Scheckmann, Jodocus Lesuranus, Barthol. Latomus, Petrus Maier, Wilhelmus Kyriander, Petrus Dronkmann, Nicolaus Novilianus, Joan. Bertelius, Christophorus Browerus, Jacobus Masenius, Alexander et Wilhelmus ambo Wilthemii, Nicol.

(*) Usi quoque sumus ejusdem monasterii alio chartularii exemplo, s. t.: Historia Chronologico-Diplomatica, quam hujus abbatiae monachus Schreiner inchoavit, et Carolus Sachs Abbas continuavit. Hoc Ms. nunc pertinet ad bibliothecam Wilhelmi Torsch, Pastoris ad S. Gangolphum Treviris, cujus benevolentia notitiam hujus codicis nobis impertiit.

Zyllesius, Joan. Gensbein, Tielmannus Emmel, et alii hos sequentes rerum Limburgicarum scriptores, **Joan. Bertholet, Joan. Philippus a Reiffenberg, Jacobus Meelbaum, Cosmas Knauff, Joan. Fried. Schannat, Alexander Henn, Joan. Heis, Nicol. Hees, Joan. Kauth, Casparus Hartzheim, Maurus Hillar, Henricus Turck, Joan. Jacobus Moser, Joan. Philippus Praetorius, Conradus D'Hame, Georgius Christophorus Neller,** et **Joan. Gertz.** Concilium sane virorum, quorum plurimi insigni doctrinae copia instructi erant.

Ceterum non est omnino hujus loci, de recentioribus (saeculi decimi noni) disserere, a quibus, ad illustrandam patriae historiam, monumenta plurima e tenebris protracta, et in publicam lucem sunt edita.

Haec erant, quae in Prolegominis animadvertenda esse viderentur, et quae Gestorum textui praemittenda esse duximus (*).

(*) Erratum pag. XXII. nota (*) sic corrige: „Compendiensi Msto usus est editor d'Achery."

GESTA TREVIRORUM.

VOLUMEN PRIMUM.

CAP. I. USQUE AD CAP. CIX. INCLUS.



GESTA TREVIRORUM.

In nomine Domini nostri Jhesu Christi incipiunt Gesta Trevirorum.

CAPUT I.

Anno ante urbem Romam conditam millesimo trecentesimo (a) Ninus, (*) rex Assyriorum primus, ut hystorici volunt, propagandae dominationis libidine, arma foras extulit, cruentamque vitam quinquaginta annis per totam Asiam bellis egit: a meridie atque a rubro mari surgens, sub ultimo septentrione Euxinum pontum vastando perdomuit, Scyticamque barbariem, adhuc tunc et imbellem et innocentem, torpentem excitare saevitiam, vires suas nosse, et non lacte jam pecu-

(a) M.o CCmo. ap. Leibn. — Cod. Eb. Cl. amplificationem habet sequentem: Anno ab initio mundi usque ad ortum Nini, secundi regis Assiriorum, cujus temporibus natus est Abraham patriarcha, ter millesimo centesimo octuagesimo quarto secundum communiorem supputationem; anno autem ante urbem Romam conditam millesimo centesimo octuagesimo primo isdem rex Assiriorum etc. etc.

In annorum computu obscuris his temporibus summam esse varietatem, minime mirum videtur.

*) Textum hujus primi voluminis, auxilio potissimum egregii cod. ms. Trevir. N°. 31 sign. et in Proleg. Sect. II. N°. III. laudati, recognovimus; adjectis aliorum codicum mss. et editionum lectionibus variis, nec non animadversionibus et notis, quibus verba aut facta illustrari posse credidimus.

Narratiuncula illa de Nino, quae capitis primi initium facit, a scriptore nostro ad verbum transcripta est ex Orosio (Hist. I. 4.) usque ad verba: relicta uxore Semirame: fortassis ex eodem cod. ms. exeuntis saeculi VIII., quem nunc in bibliotheca Trevirensi N°. 89. sign. servamus.

dum, sed sanguine hominum vivere (a), et ad postremum vincere, dum vincit, edocuit. Novissime Zoroastrem, Bactrianorum regem, eumdemque magicae, ut ferunt, artis repertorem, pugna oppressum interfecit. Post ipse, dum deficientem a se oppugnat urbem (b), sagittae ictu interiit, relicta uxore Semirame, cum duobus filiis Trebeta et Ninia (c). Quorum primus, videlicet Trebeta, ex regina quadam Chaldaeorum, quam ante Semiramem duxerat; Ninia autem de Semirame natus erat. Occiso ergo Nino, Semiramis privignum suum Trebetam maritum ducere voluit; cumque renitentem et execrantem, invidia ac libidine stimulata, tamdiu persecuta est, donec eum patria pelleret et regno. Pulsus igitur, dum diu longeque sedes vagando quaereret et non inveniret, coepit ex diuturni itineris fatigatione taedere, et, ubinam sibi fata quiescendum consulerent, missione sortis inquirere. Sors obtulit Europam, quae est tertia pars orbis, licet quidam secundam affirment et Africam non per se partem esse, sed ad Europam pertinere contendant. Transfretato mari mediterraneo, quod ab Asía dividit Europam, per vasta solitudinum et invia saltuum venit ad Mosellam, in cujus littore reperit vallem speciosam, aquis irriguam, silvis nemorosam, montibus undique circumseptam. Captus itaque amoenitate loci, ibidem subsistere delegit urbemque constituit, quam ex suo nomine Treberim appellavit (d).

CAPUT II.

Anno ante urbem Romam millesimo. CC. L. (e) urbs Treveris in

(a) Orosii edd. quaedam legunt: sanguinem hominum bibere. Gestorum textui concordat cod. ms. Orosii supra laudatus, et alter Trevirensis saeculi XI. No. 88. sign.

(b) civitatem: edit. Leibn.

(c) Nyna: ibid.

(d) Quae hic et capitibus subsequentibus, speciose magis, quam vere, exponuntur, etiam tradiderunt alii Germaniae scriptores. Cod. Trev. ms. No. 54. sign. saeculi XI., in quo vita S. Wilibrordi, auctore Theofrido, legitur, scribit: Urbs Treverica, ut moderno tempore (saeculo ergo XI.) in tumba quadam inventa declarant epygrammata, condita et Treberis nominata est a privigno Semiramis, Nini conjugis, Trebeta.
Vide animadversionem nostram ad hoc cap. ad calcem voluminis.

(e) Confer, quae notavimus supra.

Europa ab auctore Trebeta, profugo filii Beli (a), parvo adhuc nomine condita est, anno VII. (b) aetatis Abrahae, patriarchae. Originem gens, quae incoluit eam, de Gomer, filio Jafeth, filii Noe (c), duxit, et ex candore corporum nomen assumsit: gens et urbs antiquissima, antequam in Europa gentes neque urbes fuerunt; sed quae modo sunt, vel ex illa, vel postmodum esse coeperunt. Noe quippe tres filios habuit: Sem, Cham et Jafeth. De Sem nati sunt Hebraei, Chaldei et Graeci; de Cham, Affrici et Getuli; de Jafeth vero Itali, Galli et Hispani. Sem possedit Indiam, Mesopotamiam, Syriam, Palaestinam, Armeniam, et caeteras Asiae provincias: Cham tenuit Egyptum, Ethiopiam, Numidiam ac totam Africam: Jafeth sortitus est Hispaniam, Betigam (d), Lusitaniam, Aquitaniam, Britanniam, Germaniam, Belgicam, Galliam togatam, braccatam, cisalpinam, transalpinam, Pannoniam, Italiam, Ruriam (e), Liguriam, Dalmatiam, Illuricum, Bizemilia (f) cunctamque Europam.

CAPUT III.

Trebeta mortuo, Hero filius in principatu successit, qui patrem secundum ritum gentilitatis (g) igne combustum, in vertice Jurani montis tumulavit, cui etiam aras (h) instituit, et sibi subjectis, ut Deum (i), adorare praecepit. Error magnus, et a Nino, ipsius Heronis avo adinventus, qui primus patris sui Beli simulachrum fudit et hominem pro Deo venerari jussit. Hero patris sui merita tabulae

---

(a) Ninus dicitur filius Beli.

(b) Quidam codd. habent: LXX.

(c) Leib. hic interponit: nomine duxit. Cod. Eb. Cl. scribit: Originem autem ipse Trebeta, qui prima fundamenta ejus posuit, de Jomer, filio Japhet etc. etc.

(d) Baeticam?

(e) Hetruriam?

(f) Bohemiam intelligit Leibnitius. — Scriptorem hujus capitis hinc inde Berosi (Chaldaei) fragmentis historicis usum esse, satis liquet.

(g) Al.: gentilium.

(h) et aras: Leibn.

(i) colere et: ibid.

marmoreae inscripsit, quam ad ejus memoriam pariter et futurorum noticiam cum eo recondidit, ad instar hujuscemodi:

Nini Semiramis, quae tanto conjuge felix,
Plurima possedit, sed plura prioribus addit,
Nec contenta suis, nec totis finibus orbis,
Expulit a patrio privignum Trebeta regno,
Profugus insignem nostram qui condidit urbem;
Treberis huic nomen dans ob factoris amorem:
Quae caput Europae cognoscitur anteritate.
Filius hujus Hero patris haec epigrammata pono:
Cujus ad inferias hic cum Jove Mars tenet aras;
Sidere concordi pax est, non dissocianti (a).

CAPUT IV.

Post Heronem Trebirorum ex ipsa gente orti principes extiterunt et duces; jamque (b) Treberenses, et numero aucti et opibus, urbem suam munire et modis omnibus decreverunt adornare. Primo itaque ad aquilonarem plagam urbis ex quadris lapidibus cum turribus magnis portam exstruxerunt (c), ipsa sui magnitudine et minaci proceritate mirabilem, eamque portam nigram, portam Martis, appellavere; cujus lapides non cemento, sed ferro conglutinabantur et plumbo. Hanc autem portam Martis a Marte, qui Deus belli credebatur, nominabant (d), et per hanc portam, bellum gesturi, profi-

---

(a) Godefr. Viterbiensis (Chronicorum part. 3. in fine) hos habet versus:

Filius est Trebeta de Nini semine regis,
Cedere quem regno regina noverca coëgit,
— — — — — —
Pulsus abhinc Trebeta subiit Germanica regna,
Fundat ibi Trevirim fluvio praesente Mosella,
Post, eadem Treveris Belgica Roma fuit,

Has et similes inscriptiones medii aevi esse productiones poeticas, in aperto est.

(b) Namque: Leibn.

(c) aedificaverunt: ibid.

(d) De hac porta Martis (nigra), postea ecclesia S. Simeonis ad novissima usque tempora nominata, tempestate exeuntis saeculi XVIII. deserta, et cujus antiquissima for-

ciscebantur; nigram autem ob tristitiam, quia de bello fugientes per eandem tristes revertebantur. Campus autem, longitudine et latitudine spaciosus, Martis vocabatur, ubi tyrones armis instruebantur.

Secunda deinde porta ad ortum solis cum turribus speciosis est constructa (a), ad quam victores, de bello revertentes, totius civitatis occursu excipiebantur et laetitia, et ob hoc alba porta nominata (b). Tertia porta ad plagam meridianam cum turribus firmis et altis in medio est urbis constructa (c), eaque de causa porta media nuncupata; forum vero venalium maximum ante hanc portam constitutum habebatur; locus etiam, quo mortui ad sepeliendum efferebantur. Quarta porta versus occidentem constructa est, ad litus Mosellae, quae mira sui operositate et turrium incomparabili pulchritudine ceteras portas excelluit, et ob hoc inclytae portae vocabulum sumsit. Hanc portam stellis, ex auro factis, mirabiliter pinxere, quae portui navium proximo (d), nocte et die, luminis officium praebuere. Fecerunt ibidem et capitolium maximum, templum quoque idolorum, in quo non minus, quam centum statua idola, generaliter ab omni populo colebantur, et per ea miseri responsis daemonum, ac variis praestigiis deludebantur. Fecerunt etiam in honorem Mercurii, quem Deum summum, et inter Deos et homines quasi mediatorem et arbitrum pacis volare (e) arbitrabantur, fornicem magnae altitudinis, in qua ferream imaginem mirae magnitudinis ejusdem Mer-

---

ma curis nostri Regiminis anno 1817 restituta est — varii varia dixerunt atque scripserunt, quae hoc loco repetere nolumus, nec hic nostrum pronunciare judicium placet de hujus monumenti antiquitate et primaeva destinatione. Alia occasione nostram hac de porta Romana opinionem notam fecimus.

Pleraque Romanae periodi monumenta in agro Treverico jam senium solvit, nam et saxis sua mors imminet: multa tempore praeterito subruerunt manus inimicae, quaedam et amicae! —

Dolenter igitur referimus, structuram hanc veterem et admirandam portae Romanae, multo labore restitutae, multis jam annis sine tecto pluviae et omni temporis injuriae patere! —

(a) aedificata: ap. Leibn.

(b) Hic imperite miscentur varia tempora. Conf. cap. 23.

(c) constituta: Leibn.

(d) proximum: ibid.

(e) volare: deest ib.

curii, quasi volantis (a) in aere, pendere fecerunt cum scriptura hujuscemodi:

Ferreus in vacuis pendet caducifer auris.

Erat autem lapis magnes, unus in summitate, alterque unus in pavimento fornicis junctus, cujus naturalis vis e regione sibi ferrum ascivit, sicque ferrum ingens quasi dubitans in aere pependit.

CAPUT V.

Non longe ab hinc super Mosellam ex magnis lapidibus, ferro plumboque compactis, pontem construxere, quem nulla vetustas labefactare, nulli fluctus possunt dissolvere. Fecerunt quoque per diversa urbis loca turres firmas et altas, capitolia, palatia, templa, statuas, thermas, lavachra, theatra. Sub terra etiam intra urbem et extra, et in omni sua potestate, ignorantibus quidem veritatem, incredibilia miracula (b) multa fecere. Aquarum quoque habundantiam habere cupientes (c), rivulum, qui a modernis Olivia dicitur, sub monte Jurano (d) introduxere; qui divisus in partes, vix mediae civitati ad usum sufficere potuit (e). Tunc rivulum, nomine Ruverias, miliario ab urbe secundo, et alterum rivulum, qui Riveris vocatur, marmore habundans (f), influentem (g) primo, super eandem Ruveriam lapideis fornicibus, per diversa montium latera et vallium profunda ducentes (h), universas civitatis plateas viventibus aquis implevere; quae interdum

---

(a) volautem: ibid. Conf. cap. 23., in quo eadem cum quadam amplificatione narrantur.

(b) miracula, non legitur ibid.

(c) siquidem aquarum habundantiam &. &. ibid.

(d) Alii codd. mss. montem Juranum dicunt montem ab ortu solis urbi imminentem, et qui Martis vocabulum tulit.

(e) Hujus aquaeductus Romani vestigia, qui in thermas directus fuisse videtur, nostro tempore plura detecta sunt.

(f) Ruverias h. Ruver. — Riveris h. Riveris. — ...... marmore clarus Erubrus: scribit Auson. (Mos. v. 359.)

(g) in fluente: Leibn.

(h) Hocce loco sermo est de altero aquaeductu Romano, qui ad amphitheatrum directus erat, et cujus vestigia novissimo tempore detecta hinc inde satis clare conspiciuntur — Et in hac narratione tempora Belgicae et Romanae periodi commutari, res minime dubia est.

pluvialibus aquis adauctae, cunctas platearum sordes in Mosellam vexere. Hunc autem rivulum, Riveris posterius nominatum, introducendum, simul et amphitheatrum construendum, Catholdus princeps sorte acceperat. Qui cum haesitaret, quomodo illum rivulum tam longe per tot montes et valles circumduceret; servus domesticus, sumpta fiducia, spondet firmissime, sibi datis impensis, eum se in urbem praesentaturum, quocunque die dominus amphitheatrum foret perfecturus. Reluctari dominus graviter (a), et hoc eum nequaquam esse facturum asseverare. Tandem hoc pacto finem dedere certamini, ut, si die constituta servus, quod promiserat, non implesset, a domino capite plecteretur; si vero effectum demonstrasset, pari modo dominus a servo puniretur. Animaverat servum ad hoc facinus uxor domini sui, quae, mentita fide maritali, saepius cum eo in adulterio miscebatur. Quid plura? Coeptum opus fervebat utrimque; servus interim contrariis conjugi (b) studiis et sumptibus juvabatur, dum maritus necem servi, vitam sibi, mulier necem mariti, vitam servi conrivalis operiebatur. Die denominata perfecta (c) erant amphitheatrum et aquae ductus, qui ex inscitia artificis (d) undique obstrusus, cum nulla in se admitteret aurarum spiramina, impeditae aquae non pervenere ad destinata. Anxium de hac re servum mulier incestuosa nocte, diem illam praecedente, occultat sub lectulo, in quo ipsa cum marito hujusmodi (e) habuit mentionem. Eja, inquit maritus, servus ille noster, qui tam superbe gloriatus est, quam dejectus et confusus est! Ego autem novi, qua arte posset sibi certo consulere. Tum mulier virum aggreditur, rogat, sibi artem indicari, pollicetur fidem silentii, illicit, persuadet; postremo hoc ab eo responsum accepit: Si, inquit, quibusdam in locis, quantum jactus est lapidis ab invicem distantibus, parvo foramine aquae ductum irrumperet, sine mora cursum suum aqua perageret. Hoc avido auditu percepto, paulo post soporato domino, servus sub

(a) coepit: additur ap. Leibn.
(b) conjugis: ibid.
(c) perfectum: ibid.
(d) artificis: deest ibid.
(e) Al.: ejusdem.

lecto latitans (a) egreditur clanculo, accitisque operariis, celerrime, quod doctus erat, implevit et aquam secum (b) pariter urbi praesentavit. Quod ubi Catholdus mane comperit, clamante servo: domino, ecce aqua! volens dedecorosum servilis mucronis jugulum praevenire, sceleratae uxori funesta imprecatus, raptam eam secum ex amphitheatro praecipitavit, et aeternum loco vocabulum, id est Catholdi solarium, indidit (c).

CAPUT VI.

Erat itaque civitas non solum humanis laboribus valde munita, sed etiam naturaliter, fluminibus, silvis ac montibus arduum et angustum, iter pandentibus vix accessibilis, et munitissima montibus quoque Jurano et Cebenna (d), quorum alterum castellum superpositum ad tutelam urbis continebat. Successu deinde temporum prosperoque eventu bellorum, finitimis undique gentibus et urbibus devictis jugum imposuerunt, in quibus quinque urbes nobilissimas in ripa Rheni fluminis constitutas, hoc est, Basileam, Argentinam, Wangiam, Mogontiam, Coloniam cum populis suis subjugaverunt, a quibus et plurimum vectigal annualiter accipere et eo longe lateque dominari coeperunt.

CAPUT VII.

Post multos vero annos hae quinque urbes libertatem sibi propriam vendicare cupientes rebellaverunt, et censum debitum triginta

(a) sub l. lat.: deest ibid.

(b) implet, et secum aquam: ibid.

(c) Amphitheatrum Romanum et specialiter ejusdem porticum subterraneum, qui ducit ad arenam seu caveam, hodiernum vulgus appellat Caſ-Keller (Caji cellam); sed remotior aetas appellabat Catholdi solium (solarium). Wilh. Wilthemius, doctissimus S. J. collega (Hist. Luxemb. antiquariae disquis. ms. bibl. Trev. No. 36. sig.), disputat de hac re in hunc modum: „Cavea (amphith. Trev.) dicta utique cella Caji, non tam „a Cajo, Romano pronomine, ut vulgus opinatur, vel a Catholdo illo Barbaro, de „quo Gest. Trev., quam ab antiqua Gallica voce Kaio seu Caio, quod significat „cohibeo, coerceo, eo quod ibi ferae claustris suis cohiberentur. Locum illustrat Scaligeri observatio in Ausonium: Kai, inquit, pervetus glossa, sunt cancelli.“ —

(d) Conf. notas ad calcem voluminis.

annis continuis persolvere noluerunt; sed grando de coelo veniens cum maximo agrorum et vinearum detrimento eas populabatur. Hinc rumor et timor magnus increvit civibus illis, putantibus, hanc tempestatem grandinis a Diis Trevirorum sibi propter retentum vectigal inferri (a), et, idcirco inito consilio, censum triginta annorum collectum Treberis retulerunt et deinceps se persoluturos (b) quotannis spoponderunt. Tunc Treberenses statuam pretiosi marmoris erexerunt et super eam Jovem, scutulam auream duorum pedum latitudinis in manu tenentem, hoc verborum ordine caraxatam: Jovi vindici Trebirorum ex censu quinque urbium Rheni, per tria decennia denegato, sed coelesti igne et terrore extorto, placabile holocaustum. Item: Ignibus haud mixtus adolet thimiamata discus. Hoc autem arte mechanica factum erat, ut thure vel alia qualibet odorifera (c) specie scutellae injecta, sine igne fumum odoriferum flagrans exhiberet, nec tamen species (d) ipsa in aliquo minuta deficeret. In urbe etiam Lingonis, ad usque quam suam potestatem extenderant, super portam in lapide adhuc scriptum legitur: Hucusque jura Trebirorum. Cum Remensibus etiam (e) foedus et amicitiam iniere, propter (f) quod Remenses portam construxerunt eamque Trebericam appellaverunt.

CAPUT VIII.

Treberi et Remenses principales sunt in Gallia Belgica; nam Gallia trifariam dividitur, in Galliam comatam, braccatam et togatam. Gallia comata postea dicta est Gallia Belgica a Belgio, duce Trebirorum, ex cujus nomine Treberis dicitur Belgis (g). Cum quo etiam Belgio portio maxima Gallorum in Graeciam transivit hoc modo: Nam-

(a) adinferri: Leibn.
(b) soluturos: ib.
(c) odorifera: deest ib.
(d) ne tamen spes: ib. — Conf. quae repetita leguntur in capite 23.
(e) etiam: deest ibid.
(f) propterea: ibid.
(g) Treveres dicuntur Belgae: ibid.

que Galli, cum tanta habundarent multitudine, ut eos non caperent terrae, quae genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quaerendas emiserunt (a). Ex his portio in Italia consedit, quae sedibus propriis Tuscos expulit (b) et civitates has, Mediolanum, Ariminum, Comum, Brixium, Veronam, Bergomum, Tridentum Vicentiamque condidit; et portio Illiricos sinus, ducibus avibus (nam augurandi studio Galli praeter caeteros (c) callent) per strages Barbarorum penetravit et in Pannonia consedit: gens aspera, audax et bellicosa, quae prima post Herculem, cui res ea virtutis admirationem et immortalitatis fidem dedit, Alpium invicta juga et frigore intractabilia loca transcendit. Ibi, domitis Pannoniis, per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hortante deinde successu, divisis agminibus, alii Graeciam, alii Macedoniam, omnia prosternentes ferro petivere, tantusque terror Gallici nominis erat, ut etiam reges non lacessiti pacem ultro ingenti pecunia mercarentur. Solus rex Macedoniae Ptolomeus adventum Gallorum intrepidus audivit; hisque cum paucis et incompositis, furiis parricidiorum agitatus, occurrit (d). Igitur Galli, duce Belgio, ad temptandos Macedonum animos, legatos ad Ptolomeum mittunt, offerentes pacem, si emere velint (e). Sed Ptolomeus inter suos belli metu anxios (f) pacem Gallos petere gloriatus est; nec minus ferociter se legatis, quam inter amicos, jactavit (g), aliter se pacem daturum negando, nisi principes suos obsides dederint et arma tradiderint: non enim se fidem, nisi inermes fuerint (h), habiturum fatetur (i). Renuntiata legatione, risere Galli, undique acclamantes, brevi sensurum, sibi an illi

---

(a) Id sub annum fere 390 ante Christum factum legimus.

(b) Illa, quae de Gallorum irruptione scriptor disserit, ex Trojo Pompejo mutuavit. V. Justini lib. XX. c. 5., XXIV. c. 4. et 5., et XXV. c. 3. —

(c) caeteras: ap. Leib.

(d) In Justini editionibus hic sensus alio modo expressus est. Quae ibidem sequuntur usque ad voculam Igitur, Gestormm scriptor omisit.

(e) velit: ibid., et ap. Leibn.

(f) anxios: deest ibid.

(g) inter inimicos jactat: ap. Leibn.

(h) nisi inermibus: ibid. et in edd.

(i) fatetur: non legitur ibid.

consulentes pacem obtulerint. Interjectis diebus, proelium conseritur; victi Macedones caeduntur. Ptolomeus multis vulneribus saucius capitur; caput ejus amputatum et lancea fixum tota acie ad terrorem hostium circumfertur. Paucos ex Macedonibus fuga servavit; ceteri aut capti, aut occisi.

CAPUT IX.

Tantae foecunditatis ea tempestate Gallorum fuit juventus, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent (a). Denique neque reges orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt, neque, pulsi regno, ad alios, quam ad Gallos, confugerunt. Tantus terror Gallici nominis et armorum invicta erat felicitas, ut aliter neque majestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur. Itaque in auxilium a rege Bithiniae vocati, regnum cum eo parta victoria diviserunt; eamque regionem, ex Gallis et Graecis composito nomine, Gallo-Graeciam cognominaverunt (b). Ibi exercitus Trebirorum pars in patriam remissa, et pars, quae remansit, Gallicum genus procreavit et duas linguas deinceps in usu habuit: id est, Gallicam et Graecam. Denique Galathae, qui ex Gallo-Graecis orti sunt, excepto sermone Graeco, quo omnis Oriens loquitur, eandem pene proprietatem sermonis habent, quam Treberi; nec refert, si aliqua exinde corruperint, cum et Afri Fenicum linguam nonnulla parte mutaverint, et latinitas ipsa et regionibus cottidie mutetur et tempore. (c).

CAPUT X.

Igitur Trebirorum dominatus (d), longe lateque dilatatus, usque ad

---

(a) Ex cap. 3. libr. XXV. Justini.

(b) agnominaverunt: ap. Leibn. Hactenus ex Trojo sive Justino.

(c) Scholasticus St. Mathianus hocce loco refert, quae dixerat S. Hieronymus in Proem. ad librum II. Commentar. in Epist. ad Galatas.
V. animadversiones nostras ad hoc cap. in fine voluminis.

(d) Treberorum ducatus: ap. Leibn.

tempora Romanorum mansit inviolatus. Deinde etiam cum Romani totum orbem armis et prudentia domuissent, amicitiam cum Treberibus et foedus firmissimum iniere; et hanc urbem propter antiquam nobilitatem et civium sibi quodammodo parem dignitatem secundam Romam (a) appellavere. Tunc etiam Treberi Romana jura et leges habere coeperunt, quas usque in hodiernum diem tenere (b) noscuntur. Hisdem temporibus venit ad Treberim Arimaspes, urbis Romae senator et rector, volens auditam saepius de Treberibus virtutum eminentiam ipsa suimet melius experiri sententia. Cui Treberi idem, quod in Romana urbe administraverat, rectoris officium commmisere, et egregium virum tanta liberalitate et amicitia fovere, ut nequaquam ulterius cuperet ad patriam remeare. Adhuc autem, eo Romanum jus regente, contigit, quendam, nomine Epten, reum ab ipso Arimaspe capite condempnari; qui, judicium fugiens, hac et illac incertus vagabatur et profugus. Hic ergo, ubi fama volante cognovit, qualibus honoribus Arimaspes in Treberis floreret, invidit et mortem, sibi olim ab ipso destinatam, ulcisci desiderans, Treberim venit, ubi, se nemine cognoscente (c) et ob hoc nichil in se (d) sinistri suspicante, tandem post multas insidias (e) Arimaspem inventum occidit. Qui sentiens, hoc se vulnere mortem non posse effugere, in porta Martia se rogavit (f) sepeliri et hoc epitaphium ad gratiam Trebirorum sepulchro suo superinscribi:

Exul Arimaspes hac Martis in arce quiesco;
Belgica Roma (g) mei, non mea digna fuit.
Jure bono meritorum, nobilitate triumphis,
Dii tueantur, ei par (h), nisi Roma, nichil.

(a) V. notam ad hoc cap. ad calcem volum.
(b) habere: Leibn.
(c) agnoscente: ibid.
(d) in se: deest ibid.
(e) post multa: ibid.
(f) rogat: ibid.
(g) Bellica Roma: Cod. ms. Stuttg., sed male.
(h) Leibnitius habet: pax et pars; interim textus manet satis obscurus. — Unde haec hauserit Gestorum scriptor, nescimus. —

Vulneror Epte reo consul primusque senator (a);
Hic gaudete mei, sic meruisse mori.

CAPUT XI.

(b) Anno vero (c) ante incarnationem Domini quinquagesimo octavo, cum Julius Caesar (d) ad Gallias de Roma fuisset missus; Treberi (e), quorum inter Gallos opinio est virtutis singularis, auxilium equitum Caesari miserunt; sed cum apud Attrabatas et Viromandos (f) pugnandum foret et viderent, Romanorum castra multitudine hostium compleri, legiones premi et pene circumventas teneri, calones, equites, funditores Numidas diversos dissipatosque in omnes partes fugere vidissent, desperatis Romanis, domum contendere voluerunt, Romanos pulsos superatosque, castris impedimentisque eorum hostes potitos, civitati renuntiaverunt. Deinde inito consilio, neque ad concilia Caesaris veniebant Germanosque transrhenanos contra Romanos sollicitare coeperunt. Hac de causa Caesar cum legionibus quatuor et equitibus octingentis in fines Trebirorum profectus est. Haec civitas longe plurimum totius Galliae equitatu valebat magnasque copias peditum habebat, Rhenum, ut supra docuimus (g), tangens. In ea duo de principatu (h) contendebant, Induciomarus et Cingetorix. Ex quibus alter, ubi de Caesaris legionumque adventu cognitum est, ad eum

---

(a) Alii: S e n a t u s.

(b) Scriptorem nostrum illa, quae capite XI. et seqq. usque ad cap. XVIII. narrantur, ex C a e s a r i s d e b e l l o G a l l i c o c o m m e n t a r i i s (L. V. et VI.) hausisse, immo ex cod. quodam ms. antiquissimo transcripsisse, et ea, quae ad Treviros spectant, in modum Breviarii seu Epitomes composuisse, palam ante oculos est.

(c) A n n o V[to]. a n t e: ap. Leib. — Cod. ms. bilbl. Ecclesiae cathed. Trev. pessime scribit: q u i n g e n t e s i m o.

(d) In recentioribus codd. mss., sic in Eb. Clus., additur haec amplificatio: J u l i u s, q u i d i c e b a t u r C a e s a r, a p u d R o m a n o s C o n s u l a t u s o f f i c i u m a d m i n i s t r a b a t, s i m u l q u e a S e n a t u h o c i n m a n d a t i s a c c e p i t, u t a d v e r s u m G a l l o s a c i e m d i r i g e r e t e t R o m a n i s o b e d i r e c o m p e l l e r e t.

(e) T r e b e r i m: ap. Leibn., sed male.

(f) Ibid.: A t t r e b a t a s e t V i r a m a n d o s.

(g) d e m o n s t r a v i m u s: lectio edd. Commentt. Caes.

(h) additur ib.: i n t e r s e.

venit, se suosque omnes in officio futuros confirmat, neque ab amicitia publicae rei (a) defecturos; quaeque in Treberis geruntur (b), ostendit. At Induciomarus equitatum peditatumque cogere, eisque, qui propter aetatem in armis esse non poterant, in Arduennam silvam abditis, quae silva totius Galliae maxima est (c) et ingenti magnitudine per medios fines Trebirorum a flumine Rheno usque ad initium Remorum pertinet, bellum parare instituit. Sed posteaquam nonnulli principes ex ea civitate et auctoritate (d) Cingetoricis adducti et adventu Romani exercitus perterriti, ad Caesarem venerunt et de suis privatis (e) rebus ab eo petere coeperunt, quod (f) suae civitati consulere non possent: Induciomarus veritus, ne ab omnibus desereretur, legatos ad Caesarem mittit, sese idcirco a suis discedere atque ad eum venire noluisse, quo facilius civitatem in officio retineret, ne omnis nobilitatis discessu plebs propter imprudentiam laberetur. Itaque civitatem in sua potestate esse seque, si Caesar permitteret, ad eum in castra venturum (g) civitatisque fortunas ejus fidei permissurum. Caesar, etsi intelligebat, qua de causa ea dicebantur quaeque eum res ab instituto consilio deterreret, tamen, ne aestatem in Treberis consumere cogeretur, omnibus rebus ad Britannicum bellum comparatis, Induciomarum ad se cum ducentis obsidibus venire jussit. His (h) adductis et filiis (i) propinquisque ejus omnibus, quos Caesar nominatim evocaverat, consolatus Induciomarum hortatusque est, ut in officio permaneret. Nichil tamen egit aliud, sed principibus (k) Trebirorum, ad se evocatis, eos singillatim Cingetorici reconciliavit; quod cum merito ejus ab se fieri intelligebat, tum (l) magni inter-

(a) populi Romani: ibid.
(b) neque reos se, quaeque in treberis gerantur, ostendit: Leib. — gererentur: in edd. commentt. Caes. —
(c) quae silva totius Galliae maxima est: non legitur in edd. Caes.
(d) familiaritate: ibid.
(e) ibid.: privatim.
(f) quoniam: ibid. et ap. Leibn. — suae: abest in edd. Caes.
(g) et suas: addunt edd. Caes.
(h) Hos: ap. Leibn.
(i) in iis filio: edd. Caes.
(k) Ibid.: nihilo tamen secius, principibus etc.
(l) Al.: tamen.

esse arbitrabatur, ejus auctoritatem inter suos quam plurimum valere, cujus egregiam voluntatem in se perspexisset. Id factum graviter tulit Induciomarus, suam gratiam inter suos minui, et qui jam ante inimico animo in Romanos fuisset, multo gravius hoc dolore exarsit.

CAPUT XII.

Bello igitur Britannico confecto, cum frumentum Galliae propter siccitates angustius provenisset, coactus Caesar est, aliter (a) ac superioribus annis, exercitum in hyberna (b) collocare legionesque in plures civitates distribuere, ex quibus unam cum Tito Labieno in confinio Trebirorum ac Remorum hyemare jussit; alteram cum Titurio Sabino et Cotta in Eburonas, quorum pars maxima est inter Rhenum et Mosam sub imperio Ambiorigis, ad hyemandum misit. Induciomarus missis nuntiis Ambiorigem impulit, ut legiones, cum legatis in suis finibus hyemantes, occideret. Quas cum Ambiorix insidiis circumventas funditus interfecisset, Induciomarus magnas armorum copias habens, postquam etiam de consensu totius Galliae certior factus est, Labienum legatum legionemque, cui is praeerat, quod facile factu arbitrabatur, delere statuit; ac deinde Eburonibus Nerviisque conjunctus (c), ad opprimendum Caesarem pergere. Labienus, interitu Sabini et cede cohortium cognita, cum omnes ad eum Trebirorum copiae convenissent, veritus, si ex hybernis fugae similem profectionem fecisset, quod (d) hostium impetum sustinere non posset, praesertim quos recenti victoria efferri sciret, litteras Caesari mittit, quanto cum periculo legionem ex hybernis educturus esset, rem gestam in Eburonibus perscribit (e), docet omnes equitatus peditatusque Trebirorum tribus millibus passuum a suis castris consedisse.

(a) aliter quam ac: ap. Leibn.
(b) Al.: hybernia.
(c) est, et: ap. Leibn.
(d) quod: deest ibid.
(e) perscripsit: ibid.

Caesar mira celeritate venit ad Nervios. Ibi copias Ambiorigis, Ciceronem legatum cum legione secunda delere meditantes, Ambiorige fugato, celeriter superavit eaque de victoria velocissimum nuntium Labieno misit. Hac fama ad Trebiros perlata, Induciomarus, qui postero die castra Labieni oppugnare decreverat, noctu profugit omnesque copias in Trebiros reduxit. Deinde totius sequentis hyemis nullum tempus intermiserunt, quin trans Rhenum legatos mitterent, civitates sollicitarent pecuniasque pollicitarentur (a), magna parte exercitus Romani interfecta, (b) minorem superesse dicerent; nec tamen ulli civitati persuaderi potuit, ut Rhenum transiret, cum se his (c) expertos esse dicerent Ariovisti bello, non esse fortunam tentandam (d). Hac spe lapsus Induciomarus, nichilominus copias cogere, arma exercere, a finitimis equos (e) comparare, exules damnatosque tota Gallia magnis praemiis ad se allicere coepit. Ac tantam sibi jam his rebus in Gallia auctoritatem comparaverat, ut undique ad eum legationes concurrerent, gratiam amicitiamque ejus publice privatimque peterent. Ubi intellexit ultro ad se veniri, altera ex parte Senones Carnotesque conscientia facinoris instigari, altera Nervios Attuaticosque bellum Romanis parare neque sibi voluntariorum copias defore, si ex finibus suis progredi coepisset: armatum concilum indicit. Hoc more Gallorum initium est belli, quod (f) communi lege omnes puberes armati convenire coguntur; qui ex his novissimus venit, in conspectu multitudinis, omnibus cruciatibus afflictus (g), necatur. In eo concilio Cingetorigem, alterius principem factionis, generum suum, quem supra demonstravimus, Caesaris fidem secutum, ab eo non cessisse, hostem judicandum (h) curat, bona ejus publicat. His rebus confectis, in con-

---

(a) pollicerentur: in edd. comm. Caes.
(b) multo: additur ibid.
(c) ex his: ap. Leibn. — bis: in edd. Caes.
(d) temptandam: ap. Leibn. — In edd. Caes. (L. V. c. 55.) hic locus legitur tali modo: quum se bis expertos dicerent, Ariovisti bello et Tenchtherorum transitu non esse amplius fortunam tentandam.
(e) equos: deest ap. Leibn.
(f) in quod: ibid. — quo: in edd. Caes.
(g) afflictus: deest ap. Leibn. — adfectus: in edd. Caes.
(h) In edd. Caes.: hostem judicat.

cilio pronuntiat, accersitum se ab omnibus (a) Senonibus et Carnotibus aliisque compluribus Galliae civitatibus; hoc iter facturum per fines Remorum eorumque populaturum agros; ac, priusquam id faciat, castra Labieni oppugnaturum: quae (b) fieri velit, praecipit.

CAPUT XIII.

Labienus, cum et loci natura, et manu munitissimis castris sese teneret, de suo ac legionis periculo nichil timebat, et (c), ne quam occasionem rei bene gerendae dimitteret, cogitabat. Itaque a Cingetorige atque ejus propinquis oratione Induciomari cognita, quam in concilio habuit, (d) circummittit ad finitimas civitates equitesque undique evocat: his certum diem conveniendi dicit. Interim prope cottidie cum omni equitatu Induciomarus sub castris ejus vagabatur, alias ut situm castrorum cognosceret, alias colloquendi aut terrendi (e) causa. Equites plerumque omnes tela intra vallum conjiciebant (f). Labienus suos intra munitiones continebat, timorisque opinionem, quibuscunque poterat rebus, augebat. Cum majore indies contemptione Induciomarus (g) accederet, nocte una, intromissis equitibus omnium finitimarum civitatum, quos accersendos curaverat, tanta diligentia omnes suos custodiis intra castra continuit, ut ea res nulla ratione enuntiari aut ad Trebiros perferri posset. Interim Induciomarus ex consuetudine cottidiana ad castra accedit atque ibi magnam partem diei consumit; equites tela conjiciunt et magna contumelia verborum Romanos ad pugnam evocant. Nullo a Romanis responso dato, ubi visum est, sub vespero dispersi ac dissipati discedunt. Subito Labienus duabus portis omnem equitatum emittit; praecipit atque interdicit, perterritis

---

(a) omnibus: non legitur in edd. Caes.
(b) et quae: ap. Leibn.
(c) et: deest in edd. Caes.
(d) nuntium: ap. Leibn. — In edd. Caes.: nuncios.
(e) territandi: ap. Leibn. et in Caes. edd.
(f) conciebant: ap. Leibn.
(g) ad castra: addunt edd. Caes.

hostibus atque (a) conjectis, quod, sicut solet (b) accidere, videbat, omnes unum petant, (c) neve prius quisquam alium vulneret, quam illum interfectum videret (d), quod mora reliquorum spatium nactum illum effugere nolebat: magna proponit his, qui occiderint, praemia: submittit equitibus cohortes subsidio. Comprobat hominis consilium fortuna, et cum omnes unum peterent, in ipso fluminis vado deprehensus Induciomarus interficitur; caput ejus refertur ad castra; redeuntes equites, quos possunt, consectantur et occidunt. Hac re cognita, omnes Eburonum et Nerviorum, quae convenerant copiae, discedunt, pauloque habuit post id factum Caesar Galliam quietiorem.

CAPUT XIV.

Igitur (e) interfecto Induciomaro, ad ejus propinquos a Treberis imperium defertur. Illi finitimos Germanos sollicitare et pecuniam polliceri non desistunt. Cum a proximis impetrare non possent, ulteriores temptant. Inventis nonnullis civitatibus, (f) jurejurando inter se confirmant obsidibusque de pecunia cavent: Ambiorigem sibi societate et foedere adjungunt. Quibus (g) cognitis, Caesar, concilio habito, cum reliqui praeter Senones ac Carnotas Trebirosque venissent, totus et mente et animo in bellum Trebirorum et Ambiorigis succensus, cum Senonibus Carnotibusque paciscitur, acceptis eorum obsidibus. Erant Menapii propinqui Eburonum finibus, perpetuis paludibus silvisque muniti, qui uni ex Gallia de pace ad Caesarem non (h) miserant. Cum his erat hospitium Ambiorigis (i); item (k) per Trebiros in amicitiam Germanorum pervenerant. Haec prius Ambiorigi

---

(a) proterritis — in fugam conjectis: ibid. — in fugam: etiam additur ap. Leibn.
(b) quod fore, sicut accidit, videbat: ibid. et in edd. Caes.
(c) Induciomarum: ibid.
(d) neu quis quem prius vulneret — — viderit: in edd. Caes.
(e) Igitur: deest ap. Leib.
(f) civitates: ibid.
(g) rebus: additur in Caes. edd.
(h) legatos numquam: ibid.
(i) esse — Ambiorigi sciebat: ibid.
(k) idem: ap. Leibn.

et Treberis (a) detrahenda auxilia existimabat, quam ipsos (b) bello lacesseret. Hoc inito consilio, totius exercitus impedimenta ad Labienum in Trebiros mittit duasque ad eum legiones proficisci jubet: ipse cum legionibus expeditis quinque in Menapios proficiscitur. Illi, nulla (c) coacta manu, loci praesidio freti, in silvas paludesque confugiunt suaque eodem* conferunt. Caesar, partitis copiis cum centurione Fabio (d) et Marco Crasso qnaestore, celeriter effectis pontibus, adit tripertito, aedificia vicosque incendit, magno pecoris atque hominum numero potitur. Quibus rebus coacti Menapii, legatos ad eum pacis petendae causa mittunt. Ille, obsidibus acceptis, hostium se numero eos habiturum confirmat, si aut Trebiros (e), aut Ambiorigem, aut eorum legatos finibus suis accepissent. His rebus confirmatis, Cominium (f) Attrabatem cum equitatu, custodis loco, in Menapiis relinquit (g).

CAPUT XV.

Inter haec Treberi, magnis coactis peditatus equitatusque copiis, Labienum cum una legione, quae in eorum finibus hyemabat, adoriri parabant; jamque ab eo non longius via bidui aberant, cum duas venisse legiones jussu (h) Caesaris cognoscunt. Positis castris a millibus passuum XV., auxilia Germanorum exspectare constituunt. Labienus, cognito hostium consilio, sperans, temeritate eorum aliquam fore dimicandi facultatem, quinque cohortibus, praesidio impedimentis relicto (i), cum XXV cohortibus, magno equitatu contra Trebiros pro-

(a) Treberis: deest ap. Leibn.
(b) ipsum: ibid.
(c) mille coacta manu: cod. ms. Stuttg., sed pessime.
(d) cum C. Fabio Legato: in edd. Caes.
(e) Trebiros: non habent edd.
(f) comitum: ap. Leibn.
(g) ipse in Treviros proficiscitur: addunt edd. Caes.
(h) missu: ibid. et ap. Leibn.
(i) In edd. haec constructio: praesidio cohortium quinque impedimentis relicto.

ficiscitur, et mille passuum relicto (a) spatio, castra communit. Erat inter eos et Labienum difficili transitu flumen ripisque praeruptis: hoc neque ipse transire in animo habebat, neque Trebiros transituros existimabat. Augebatur cottidie auxiliorum spes Treberis. Labienus loquitur in concilio palam, cum Germani appropinquare dicantur, sese suas exercitusque fortunas in dubium non devocaturum et postero die prima luce castra moturum. Celeriter haec ad Trebiros deferuntur et ex magno suorum equitatus numero nonnullos Gallicis rebus favere, natura cogebat. Labienus nocte tribunis militum primisque ordinibus coactis, quid sui sit consilii, proponit, et quo facilius det hostibus timoris suspicionem, majore strepitu et tumultu, quam publicae rei (b) fert consuetudo, castra moveri jubet. His rebus fugae similem profectionem efficit. Haec quoque per exploratores ante lucem ad Trebiros deferuntur. Vix agmen novissimum extra munitionem processerat, cum Galli, cohortati inter se, ne speratam praedam ex manibus dimitterent; longum esse perterritis Romanis, Germanos (c) exspectare, neque suam pati dignitatem, ut tantis copiis tam exiguam manum, praesertim fugientem atque inpeditam, adoriri non audeant: flumen transire et in loco iniquo bellum committere non dubitant (d). Quod fore suspicatus Labienus, ut omnes citra flumen eliceret, eadem usus simulatione itineris, placide egrediebatur. Tum (e) remissis paululum impedimentis atque in tumulo quodam collocatis, cohortatus milites, simul signa ad Gallos converti aciemque dirigi jubet, paucis turmis ad impedimenta dimissis, reliquos equites ad latera disponit. Romani celeriter, clamore sublato, pila in Trebiros mittunt, Illi, ubi praeter spem, quos fugere credebant, infestis signis ad se ire viderunt, impetum modo ferre non potuerunt, ac primo concursu in fugam ejecti, proximas silvas petierunt: quos Labienus equitatu consectatus, magno numero interfecto, compluribus captis, paucis post diebus ci-

---

(a) intermisso: in edd.
(b) quam populi Romani fert: ibid.
(c) Germanorum auxilium: ibid.
(d) non dubitarunt: ap. Leibn.
(e) Cum: ibid. — praemissis: in edd.

vitatem recepit: nam Germani, qui auxilio venerant, percepta Trebirorum fuga, sese domum contulerunt. Cum his Inducionari propinqui, qui defectionis auctores fuerant, comitati eos, ex civitate excesserunt. Cingetorigi, quem ab initio permansisse in officio demonstravimus, principatus atque imperium est traditum.

CAPUT XVI.

Caesar vero, postquam ex Menapiis in Trebiros venit, duabus ex causis Rhenum transire voluit (a): quarum erat altera, quod contra se auxilia Treberis miserant; altera, ne Ambiorix receptum ad eos haberet. Firmo in Treberis praesidio ad pontem relicto, ne quis ab his subito motus oriretur, cum reliquis copiis contra Suevos, qui auxilia Treberis miserant, Rhenum transivit — —

Non alienum videtur esse, de moribus Trebirorum vel Gallorum proponere, quibus videlicet moribus ex parte foedus est laesum, quod cum Romanis habuerant. In Treberis non solum in omnibus pagis et partibus, pene etiam in singulis domibus, factiones earumque factionum principes fuerunt, qui summam auctoritatem eorum judicio (b) habebant, quorum ad arbitrium judiciumque summa omnium rerum consiliorumque redibat. Idque ejus causa antiquitus institutum est, ne quis ex plebe contra potentiorem auxilii egeret; suos enim quisque opprimi et circumveniri non patitur; neque enim aliter si faciant, ullam inter suos habent auctoritatem. Haec eadem ratio est in summa totius Galliae: namque haec civitas ideo detrimentum sustinuit, quia (c) alterius factionis erat Induciomarus, alterius Cingetorix.

CAPUT XVII.

In ea, sicut et in omni Gallia, eorum hominum, qui in aliquo

(a) constituit: in edd.
(b) ex judicio: ap. Leibn.
(c) quod: ibid.

numero et honore censentur (a), genera erant duo; nam plebs pene servorum habebatur loco, quae per se nichil audebat, nullo adhibebatur consilio. Plerique, cum aere alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premebantur, in servitutem se dicabant nobilibus; in hos omnia jura, quae domini in servos. Sed de his duobus generibus alterum erat Druidum (b), id est, philosophorum, alterum equitum. Illi divinis rebus intererant, sacrificia publica ac privata procurabant, religionem interpretabantur. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrebant magnoque hi erant apud eos in honore; nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituebant; et si quod facinus admissum, si caedes facta, si de haereditate, de finibus controversia erat, iidem decernebant, praemia poenasque constituebant. Si qui autem privatim (c) aut publice eorum decreto non audiebant (d), interdicebant. Haec poena apud eos gravissima. Ab his omnibus (e) discedebant: aditum eorum (f) sermonemque diffugiebant, ne quid ex communione (g) incommodi acciperent; neque his petentibus jus reddebatur, neque honos ullus communicabatur. His autem omnibus Druidibus praeerat unus, qui summam inter eos habebat auctoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excelluit dignitate, successit; aut si erant pares plures, suffragio Druidum allegabatur (h). Nonnunquam etiam armis de principatu contendebant. Hi certo tempore anni in finibus Carnotum, quae regio totius Galliae media habetur, considebant in loco consecrato. Huc omnes undique qui controversias habebant, conveniebant eorumque decretis judiciisque parebant. Disciplina in Britannia reperta atque

---

(a) sunt numero etc.: in edd.

(b) Cod. St. Math. constanter scribit: Driuidum, Driuides &c. — Non habent Commentariorum edd. verba: id est philosophorum. — Apud Diodor. Sic. (V. 31.) nominantur φιλόσοφοι και θεολόγοι; magistri sapientiae: ap. Pomp. Mel. (III. 2.)

(c) siquis autem privatus, aut populus &c. ap Leibn. — privatus aut publicus: in edd.

(d) non stetit, sacrificiis &c. in edd.

(e) omnes decedunt: ibid.

(f) eorum: non habet Leibn.

(g) contagione: in edd.

(h) eligebatur: ap. Leibn. — deligitur: in edd.

inde in Galliam translata existimatur; et qui diligentius eam rem cognoscere volebant, plerumque illo discendi causa proficiscebantur. Druides a bello esse liberi (a) consueverunt, neque tributa unquam (b) cum reliquis pendebant, militiae vacationem omniumque rerum habebant immunitatem. Tantis excitati praemiis, multi et sua sponte in disciplinam veniebant et a parentibus propinquisque mittebantur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicebantur: itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanebant. Neque fas esse existimabant, eam (c) litteris mandare, cum in reliquis rebus, fere publicis privatisque rationibus, Graecis (d) uterentur litteris. Id nobis duabus ex magnis (e) causis instituisse videntur, quod neque in vulgum (f) efferri disciplinam vellent, neque eos, qui discebant, litteris confisos, minus memoriae studere: quod plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam amittant (g). In primis hoc volebant persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios: atque hoc ad virtutem exercitari (h) putabant, metu mortis neglecto. Multa praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura (i), de vi ac potestate Deorum disputabant et juventuti tradebant.

Alterum genus erat Equitum. Hi, cum erat usus atque aliquod bellum accidit (k), quod ante Caesaris adventum fere quotannis accidere solebat, uti aut ipsi injurias inferrent, aut illatas propulsarent, omnes in bello versabantur; atque eorum ut quisque erat genere et copiis amplissimus, ita plurimos circa se abactos (l) clientesque habebat. Hanc unam gratiam potentiamque noverant.

(a) immunes: ap. Leibn. — a bello abesse consuerunt: in edd.
(b) una cum reliquis: ibid.
(c) ea: ibid.
(d) Graecorum. ap. Leibn. — reliquis fere rebus: in edd.
(e) duabus de causis: ibid.
(f) vulgus: ap. Leibn.
(g) remittant: in edd.
(h) excitare: ap. Leibn. — maxime ad virtutem excitari: in edd.
(i) Seriem et sublimia naturae pandere conabantur: scribit de eis Ammian. Marc. XV. 9. —
(k) acciderat: ap. Leibn.
(l) ambactos: in edd.

Natio erat omnis Gallorum adeo (a) dedita religionibus atque ob eam causam, quo (b) erant affecti gravioribus morbis quodque (c) in periculis proeliisque versabantur, aut pro victimis homines immolabant, aut se immolaturos vovebant ministrisque ad ea sacrificia Druidibus utebantur; quod pro vita hominis, nisi vita hominis redderetur, non posse aliter Deorum immortalium placari numina arbitrabantur publiceque ejus generis habebant instituta sacrificia. Alii magnitudine immani simulachra faciebant (d), quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complebant, quibus succensis, circumventi flamma exanimabantur homines. Supplicia eorum, qui in furto, aut latrocinio, aut aliqua noxa forent comprehensi, gratiora Diis immortalibus (e) esse arbitrabantur; sed cum ejus generis copia deficeret, etiam ad innocentium supplicia descendebant. Deum maxime Mercurium (f) colebant. Hujus erant plurima simulachra; hunc omnium artium inventorem ferebant, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam, arbitrabantur. Post hunc Apollinem, et Martem, et Jovem, et Minervam. De his eandem, (g) quam reliquae gentes, habebant opinionem: Apollinem morbos depellere; Minervam operum atque sacrificiorum initia tradere; Jovem imperium coeleste (h) tenere; Martem bella regere. Huic, cum bello dimicandum (i) foret, ea, quae bello cepissent, plerumque devovebant. Quae superassent capta animalia, immolabant; reliquas res in unum locum conferebant. Multis in civitatibus harum rerum ex-

---

(a) admodum: in edd.
(b) qui: ibid. et ap. Leibn.
(c) quique: ibid.
(d) habent: ibid.
(e) mortalibus: male leg. Leibn.
(f) Gallorum Teutates. — Apollo eorum Belen, Belenos; Mars Caesaris est Gallorum Esus (Hesus); Jupiter — eorum Taranis, et Minerva — Isis.

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus,
Et Taranis Scythicae non mitior ara Dianae. (Lucan. I. 444. seqq.)

Hocce autem loco Lucani Taranis, quasi Dea esset, comparatur Dianae Scythicae.
(g) fere: additur in edd.
(h) caelestium: ibid.
(i) proelio dimicare constituerunt: ibid.

structos tumulos, consecratis locis, olim et adhuc, conspicari licet. Neque saepe accidit, ut neglecta quispiam religione, aut capta occultare, aut posita tollere auderet; gravissimumque supplicium ibi horum delictorum (a) cum cruciatu constitutum erat. Treberi se, sicut et omnes Galli, a Dite patre progeneratos (b) praedicabant, idque ex (c) Druidibus proditum dicebant. Ob eam causam spatium omnis temporis, non numero dierum, sed noctium finiebant, et dies (d) natales, et mensium, et annorum initia sic observabant, ut noctem dies subsequeretur. In reliquis vitae institutis hoc fere a reliquis gentibus differebant, quod suos liberos, nisi cum adolevissent, ut munus militiae sustinere possent, palam ad se ire non patiebantur, filiumque in puerili aetate in publico in conspectu patris assistere, turpe ducebant (e). Viri, quantas pecunias dotis nomine accepissent, tanta (f) ex suis bonis, existimatione facta, cum dotibus communicabant. Hujus omnis pecuniae conjunctim ratio habebatur, fructusque servabantur: ut cujus vita superavisset, ad eum pars utriusque cum fructu superiorum temporum perveniret. Viri in uxores, sicut in liberos, vitae necisque habebant potestatem; et cum pater familiae illustriore loco natus decessit (g), ejus propinqui conveniebant, et de morte, si res in suspicionem venit (h), de uxoribus in servilem modum quaestionem habebant, et si compertum est, igne atque omnibus tormentis excruciatas interficiebant. Funera erant pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa; omnia, quae vivis cordi fuisse arbitrabantur, in ignem inferebant, etiam animalia: ac paulo supra hanc memoriam servi et clientes, quos ab his dilectos esse constabat, bustis (i) confectis, una cremabantur. Habebant et hoc legibus sancitum (k), siquid de re

---

(a) ei rei: in edd.
(b) prognatos: ibid.
(c) ab: ibid.
(d) dies: deest ap. Leibn.
(e) ducebant: deest ibid.
(f) tantam: ibid. — tantas: in edd.
(g) decessisset: ap. Leibn.
(h) venisset: ibid.
(i) justis: ibid. — justis funeribus: in edd.
(k) sanctum: in edd.

publica a finitimis rumore accepissent, uti ad (a) magistratum deferrent, neve cum alio reliquo communicarent, quod saepe homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri, et ad facinus impelli, et de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus, quae visa erant, occultabant; quae esse utilia (b) judicassent, multitudini prodebant. De re publica, nisi per concilium, loqui non concedebatur.

CAPUT XVIII.

Caesar igitur, sicut praediximus, obtenta Treberica urbe (c), Cingetorigi principatum Treberorum concessit, civitati autem, ob egregiam in se et bene meritam Cingetorigis fidem et societatem, pristinam libertatem (d) indulsit. Ipse omni Galliae (e), quae saltu Pyrenaeo Alpibusque et monte Gebenna, qui est ad occidentem urbis Trebirensis, et fluminibus Rheno ac Rodano continetur patetque in circuitu ad bis et tricies centum millia passuum, in provinciae formam redacta, stipendii nomen imposuit, excepta, ut diximus, Treberorum civitate propter ejus antiquissimam auctoritatem et Cingetorigis egregiam fidem, et sic ipse, omni Gallia pacata (f), Romam ire disposuit. Sed cum intellexisset, a Pompejo et Senatu triumphum sibi ob invidiam denegari, reversus in Galliam, Germanos et Gallos in amicitiam sibi ascivit et eorum auxilia magna accepit. Cui et Treberi nichilominus auxilia contulere. Grata (g) fuit Gallis haec

---

(a) ad: deest ap. Leibn.

(b) quaeque esse ex usu judicaverint: in edd.

(c) Ap. Leibn. non legitur: obt. Treb. urbe.

(d) et societatem pristinam et libertatem &c.: ibid.

(e) Ex Suetonii Julio Caesare (cap. 25.) maximam hujus periodi partem scriptor noster mutuavit; sed quaedam ex propriis addidit; quaedam ad suum sensum immutavit, alia omisit. Suetonii enim verba sunt: „Omnem Galliam, quae saltu Pyrenaeo „Alpibusque et monte Gebenna, fluminibusque Rheno et Rhodano continetur, patet„que circuitu ad bis et tricies centum millia passuum, praeter socias ac bene „meritas civitates, in provinciae formam redegit, eique quadringenties in „singulos annos stipendii nomine imposuit &c." —

(f) Haec desunt ap. Leibn.

(g) Al.: Gratis.

belli amministratio, videlicet gaudentibus (a), ad Romam bellum referri, a qua sibi dudum fuerat per Caesarem illatum. Qua multitudine fretus (b), Caesar Pompejum et Senatum Roma expulit, postea ad mortem coegit. Romanum regnum solus obtinuit; post aliquantos annos a senatoribus occisus interiit.

CAPUT XIX.

Huic successit Octavianus (c), ejus ex sorore nepos, qui Claudium Tiberium Neronem, et Drusum (d), privignos suos, misit ad Gallos rebellantes pacandos. Iste est Tiberius, qui post Augustum imperavit. Hic ergo cum Druso ad Rhenum in loco, qui dicitur Bingis (e), contra Gallos dimicavit, in quo conflictu Drusus occisus est (f). Tiberius post magnam Drusiani exercitus stragem tandem cruentissime vicit. Ceciderunt in eo proelio omnes copiae Trebirorum. Galli usque ad internecionem deleti sunt. Ibi, sicut Ausonius dicit:

Aequavit Latias infelix Gallia Cannas,
Inflataeque jacent inopes super arva catervae.

Drusus Mogonciam relatus est ibique sepultus est. Dicit tamen Suetonius, eum Romam relatum Tiberiumque peditem (g) funus ejus prosecutum.

CAPUT XX.

Anno circiter (h) imperii Octaviani Augusti XLII. (i), quo fir-

---

(a) Leibn.: videntibus.

(b) Ibid.: victus, omnino male.

(c) Cod. ms. Eb. Clus. has res Romanas prolixius reddidit, addens aliqua capita 1°) de Octaviano primo Augusto; 2°) de dispositione et moribus Octaviani; 3°) de imperio Tiberii, quae cuncta scriptor hujus codicis ex Suetonio potissimum excerpsit.

(d) Pessima ap. Leibn. interpunctio: Claudium, Tiberium, Neronem et Drusum.

(e) in loco quodam Bingis: ibid.

(f) Ex quibus fontibus haec hauserit scriptor noster, nescimus. Conf. Trossii et Böckingii notas in Aus. Mos. v. 3 — 4.

(g) pedibus toto itinere praegrediens &c. Suet. Tib. c. 7. —

(h) Igitur anno: in edd. Gestt. — Hic incipit ed. d'Acheriana.

(i) Quae sequuntur usque ad verba: Natus est, transscripta sunt ex Orosii L. VI. c. 22

missimam verissimamque pacem, Dei ordinatione, idem Caesar composuerat, natus est Christus, cujus adventui pax ista famulata est; in cujus ortu audientibus hominibus exultantes angeli cecinerunt: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis! Natus est autem Dominus eo tempore, quo erat pax in toto orbe, quod numquam contigerat a tempore mortis Numae Pompilii, secundi regis Romanorum, usque tunc: sed semper fuerunt Romani in proeliis, nisi per unum annum (a). Augusto defuncto, Tiberius successit, cujus imperii anno XV. Christus jam XXX. annorum a Johanne baptizatus est. Deinde XII. Apostolos elegit et in eorum solatium LXXII. discipulos postea designavit. Postquam vero Dominus noster passus, mortuus et sepultus, a mortuis resurrexit et in coelum ascendit: beatissimus Petrus Apostolus, Antiochenam ecclesiam primam confessione Christiani nominis (b) super solidissimam petram fundavit, et Pontum et Galatiam, Cappadociam (c) atque Bithyniam verbo praedicationis illustravit. Cum igitur beatissimus Petrus, princeps Apostolorum ac universalis ecclesiae a Domino pastor constitutus, Antiochenam primitus fide, quae in Domino est (d), katholicam (e) fundasset ecclesiam, eamque VII. circiter annis continuis rexisset (f): urbi, quae tunc in gentilitate, nunc (g) in christianismo meritis videlicet beati Petri totius orbis principatum sortita est, Romae videlicet (h), ejusdem fidei normam pastorali solertia inferre ordinavit. Cujus rei gratia anno, sicut ab historiographis accepimus, regni Claudii Caesaris quarto illuc ingressus, largiente Domino signis et virtutibus, ac per verbum sacrae praedicationis, non modica populorum fruge acquisita, civitates et nationes ubique locorum, daemonio-

---

(a) Haec periodus, quae incipit: Natus est &c. non legitur in plurimis mss., nec in edd.

(b) V. Act. Apostolor. cap. XI. vers. 26.

(c) Asiam: addit ed. d'Ach.

(d) in Deum est: Leibn.

(e) catholica: ibid.

(f) regeret: ibid.

(g) quae sicut &c. ita in &c. &c.: sic quidam codd. mss.

(h) Romae videlicet: deest ap. Leibn. — Plurima hujus capitis in ed. d'Ach. aut plane omissa sunt, aut brevius reddita; sic etiam in subsequentibus capitibus.

rum, ne dicamus Deorum, cultui esse deditas saepius ingemiscens, ideoque, quod sine ulla ambiguitate credi potest, interpellato saepius in oratione sua Domino, quatenus novellae plantationi suae provideret incrementa coelestia, scilicet ut operarios mitteret in messem suam. Tandem salubri consilio deliberato beatum Eucharium suum discipulum (a), qui sanctitatem suam ab Jherusalem usque Romam fuerat prosecutus (b), qui, sicut nomen indicat, Graecus et gratiosus (c) erat, pontificatus honore (d) sublimatum in hoc opus misit. Cui ex discipulis suis, quos per evangelium suum filios Dei genuit, probatae sanctitatis viros, cooperatores verbi (e), conjunxit, qui populum a diaboli servitute eruerent, et ad creatorem suum sacris eruditionibus converti persuaderent: beatnm videlicet Valerium et Maternum, Synicium et Mansuetum, Clementem et Felicem atque Memmium (f), aliosque quamplures (g). Quorum omnium quosdam (h) ad episcopatus promovit dignitatem, in pluribus Galliae civitatibus verbum Dei evangelizaturos: beatum videlicet Eucharium, Clementem, Mansuetum, Synicium atque Memmium; quosdam autem ceterorum dyaconatus sive subdyaconatus fecit habere officium.

CAPUT XXI.

Verumtamen his omnibus, quod non sine remurmurante invidia dictum noverimus, beatum praefecit Eucharium tam copiosiore ministerio, quam et dignitatis privilegio: quippe qui secum pariter ab ipso Domino in carne commorante, sicut a majoribus nostris traditum accepimus, sacrae fidei rudimenta percepit; qui et in illa sacratissima (i)

(a) Ibid. condiscipulum.
(b) Ibid. prosecutum, omissis: qui fuerat.
(c) gratiosus non legitur ibid.
(d) Ibid. gratia.
(e) Ibid. verbo.
(f) Al.: Meminium.
(g) Conf. animadversiones nostras ad cap. 20, 21, 26 et 27.
(h) quorum omnes: Leibn.
(i) sanctissima: Leib.

cena, in qua discipulis suis Dominus Salvator (a) preciosa corporis et sanguinis sui misteria celebranda contradidit, convescentibus affuit, resurgentemque a mortuis ac in coelos ascendentem, cum Apostolis beata visione videre promeruit, sanctum quoque Spiritum ac linguas omnium nationum in ignis apparitione percepit. Abierunt autem omnes hi sancti patres ad Galliarum populos verbo salutis Deo lucrifaciendos: pergentes per viam, sanam doctrinam cunctis evangelizando. Tunc itaque divertit Clemens cum Felice Mediomatricum, Mansuetus Tullum, Synicius Remis, Memmius Catalaunum, ceterique in loca sibi a Deo praeordinata: et prosperatum est verbum Dei in manibus eorum. Beatus vero Eucharius cum dyacono suo Valerio apud Elegiam (b), qui est vicus grandis provinciae Gallicanae, Materni commilitonis per maximam valetudinem desolatus substitit, qui crescente ejusdem infirmitatis molestia animam reddidit. Quod multorum salutis causa accidisse, sequens lectio demonstrat. Nam cum eum terrae commendassent sancti viri, pie pro depositione ejus lugentes, concito gressu Romam revertuntur, magistro suo supra dicto beato Petro, quae in via gesta sunt, nunciantes, hoc adjicientes, quod in populum durae cervicis devenissent, in quo convertendo, nisi virtus Domini nostri Jhesu Christi Materni resuscitatione manifestaretur, parum se profecturos. Quos beatus Petrus consolans (c) ait: Nolite lugere, karissimi mei, quia mortem fratris vestri Dominus Deus noster ad vitam multis providit. Confidite in Domino et nolite desperare; aderit enim divina clementia, quae vos super tristitia vestra consoletur: dansque Euchario baculum, quo senilia sua membra sustentabat, ita dixit: Via, qua venistis, indubitanter recurrentes hunc baculum meum deferte vobiscum, accedentesque ad locum sepulchri effosso corpori baculum superponite dicendo: Materne, in nomine Domini nostri Jhesu Christi surge! Denique accepta benedictione magistri denuo ad Elegiam cum fiducia properabant. Quo cum pervenissent et

---

(a) Salvator: deest ibid.

(b) videlicet Elegie: ibid. — Al.: Elegiam Alsatiae. — Elegiam Albertus Stadensis (in Chron.) Gellenheimium interpretatur.

(c) consolatus: ibid.

accessissent ad sepulchrum, multa cum eis turba per voluntatem Dei (a) concurrente, videndi causa, quid fieret: Eucharius nichil de se praesumens, sed magis (b) auctoritatem magistri commendans, praemissa oratione dicebat: Materne frater, praecepit tibi magister meus Petrus Apostolus, ut in nomine filii Dei Domini Jhesu Christi a morte resurgas et nobiscum populo huic, qui circumstat, creatorem suum contesteris! Et ille, quasi de suavi somno evigilans, in vivis et sanae mentis (c) nomine (d) Christi resurrexit, habens jam in sepulchro dies quadraginta. Quo viso miraculo, non solum omnes hi, qui aderant, sed et multi longe positorum, ad quos fama haec perlata est, eadem hora idolis abrenuntiantes, coeperunt ad sanctos Dei confluere, et ut cognitionem fidei Christi et baptisma ipsis darent, postulare: confitententes clara voce, hunc esse verum et tremendum omnique nationi Deum adorandum, cujus invocato nomine servi ejus talia possent miracula facere. Et acceptis fidei rudimentis et regeneratione baptismatis, cum celeritate ipso in loco basilicam in honore et memoria virtutis Domini nostri Jhesu Christi construxerunt. Cui ex resurrectione, quae illic celebrata est, nomen imposuerunt, tam spiritualem animarum suarum, quam corporalem Materni resurrectionem recolentes. Omnibus igitur per gyrum in confessione fidei solidatis, aliis etiam regionum gentibus beati viri verbum salutis impertitum ire disponebant et, commendatis omnibus ei, cui se per fidem subsiderunt, abeuntes, per viam semina vitae serendo, tandem divino ductu Treberim, quae magna civitas est, metropolis Belgicae Galliae, pervenerunt anno Dominicae incarnationis quinquagesimo quarto. Hoc in loco, salva lectoris karitate, libet quaedam de illius civitatis antiquitate ac situ commemorando aliquantisper immorari, quod series rerum inibi gestarum, quas dicere conamur, aliqua ex parte monstrabit non esse abs re.

(a) Deest ibid.: Dei.
(b) ibid.: magnam.
(c) vivus et sanae meritis: ibid.
(d) Al.: nomini

CAPUT XXII.

Sicut Gallica narrat historia, sub temporibus Abrahae patriarchae, Ninus (*), potentissimus rex, qui aedificavit civitatem Niniven, de qua Jonas propheta perhibet, quod magna sit itinere trium dierum, de regina quadam Chaldaeorum filium Trebetam dictum procreavit. Cui reginae, inquam, si, dum adhuc viveret, an post ejusdem mortem, nescio (a), uxorem aliam, dictam Semiramin, superduxit, quae longo post tempore, Nino defuncto, eundem Trebetam voluit sibi in conjugio copulare. Cui cum juvenis noluisset in re tam nefaria consentire; illa, ut erat acris animi, multis eum dolis ac veneficiis aggreditur, demum innumeris bellorum persecutionibus fatigatum totius regni finibus propulsavit. Qui pervagatis plerisque orbis partibus, nec invento, in quo sibi remanere placuisset, loco; tandem sorte ductus Belgicam Galliam elegit. Qua perlustrata, in eum, qui nunc Treberis est, locum devenit, qui ad inhabitandum sub oculis ejus valde complacuit et digne; erat enim, ut nunc est, visu delectabilis; nulla inhabitantibus aëris incommoditate nociva; planitie satis ampla; et, ut paucis dicamus verbis, omni deliciarum speciositate referta; natura munitissima, quoniam altis montibus (b), quasi muris, ac desuper nemoribus ex omni parte circumsepta, et secus eam versus occidentalem plagam in pede montis fluvius decurrens, cui Mosella nomen est (**), gustu dulcis ac lavationi salubris, locuples piscium et magnarum fertilis navium; in cujus ripa, ea videlicet, quae ad occidentalem est plagam, fluviolus quidam, quasi (c) civitatem intuens, Belgis nomine, influit,

---

*) Conf., quae de hujus narrationis fide diximus in animadversionibus ad calcem voluminis. Hic multa repetuntur, quae jam in initio Gestorum dicta sunt. — Quaenam sit illa Gallica historia, fatemur nos ignorare. Orosius (L. I. c. 1.) scribit: „Omnes „prope modum tam apud Graecos, quam apud Latinos studiosi ad scribendum viri, „qui res gestas regum populorumque ob diuturnam memoriam verbis propagaverunt, „initium scribendi a Nino, Beli filio, rege Assyriorum, fecere &c. &c.

(a) Si dum adhuc viveret nescio uxorem &c.: ap. Leibn.

(b) quam altis muris: ibid.

**) Varie scribitur: Mosella a Tacito et Ausonio, Mosula a Floro, Musella a Venantio Fortunato, Musalla in Tabula Peutinger., in politiori sermone Teutonico Mosel, in vulgari Musel.

(c) qui civitatem: ap. Leibn.

a quo tota provincia nomen accepit. Hac in valle cum nobilis ille juvenis consedisset et placuisset ei, ut inhabitaret ibi, fretus auxilio non tam suorum, qui secum venerant, quam et aliorum, qui de diversis regionibus, tum ob auditam herilium advenarum nobilitatem ac fortiorum factorum, quae de eis fama disperserat (a), patrationem, tum et propter loci firmitatem confluebant, coepit aedificare civitatem, post in processu temporis civitatibus multis honore ac dignitate praeeminentem: ita, ut omnium diceretur caput regionum in Europa, tertia videlicet orbis parte, consistentium, quam in sui memoriam, eo quod primus eam coepisset inhabitare, eamque moriens filio suo, Hero nomine, gubernandam dereliquit, Treberim appellavit, ex nomine Trebetae. Hoc nimirum, quod multis totius Galliae civitatibus eadem civitas fortitudine praelata sit earumque gentes armis subegerit, testantur usque in hodiernum in pluribus locis earundem devictarum civitatum ab ipsis triumphatoribus constructae tunc munitiones firmae, nunc autem veteres ruinae, quae hoc vel huic simile in suis superficiebus scriptum continent: Huc usque jura Trebirorum. Namque, ut ferunt, id erat moris victoribus, ut, si gentem vel regionem armis caperent, mox ipsis in finibus (b) ad tutamen ditionis eorum municipia construerent gentemque legibus suis cum traditionibus deservire (c) cogerent.

CAPUT XXIII.

Crevit itaque civitas illa regia, omni, ut dictum est, excellentia sublimis; muris ac vallo circumdata, turribus altis et firmis munita, quatuor habens publicas portas (*), quatuor mundi climatibus oppositas; quarum prima, quae ad septentrionem respicit, ex lapidibus quadratis, non cemento, sed ferro mirabili arte compaginatis constructa, nigra

---

(a) de ei: ibid.
(b) a principiis in finibus: ap. Leibn.
(c) servire: ibid.
*) Supra (cap. 4 et seq.) dicta repetuntur cum quadam amplificatione. Verisimile nobis est, haec per unam alteramve posteram Gestorum recognitionem esse interposita. V. Prolegomena nostra.

porta vel Martis nomen accepit: Martis, eo quod inde viri civitatis, ad bella processuri, egrederentur; nigra vero pro eo, quod, cum non bene illis in bello successerat, per eam tristes regrederentur, vel quod per eam defuncti civitatis sepeliendi efferrentur. Secunda, quae est ad orientem porta, alba dicitur idcirco, quia, cum de bello victores revertebantur, apud illam, bobus albis invecti, cum laudibus et triumphis a concivibus solempniter excipiebantur. Tertia vero, quae ad meridionalem spectat plagam, porta media nominatur ideo, (a) quod per eam ingredientibus per medium civitatis (b) iter pateat. Quarta autem, videlicet ad solis occubitum sita, ex lapidibus quadrangulis opere praeclarissimo fuit instituta, cujus in exitibus statio vel portus erat navium, per alveum supra nominati fluminis secus decurrentis hinc et inde venientium, pro quibus per noctem illuminandis haec eadem porta, quasi sole et luna ac stellis erat auro ac lapidibus pretiosis artificiose insignata; unde ab operis, dico, praeclaritate inclyta porta dicta est nomine usque huc (c).

Adhuc plura de ejusdem civitatis vel decore vel firmitate libet prosequendo (d) commemorare, si te, o lector, non pigeat auscultare!

Haec utique civitas conditione multo antiquior est Roma (e). Quae cum fuisset, ut dictum est, muris, portis ac turribus circumquaque munita, unanimiter omnes inhabitantes, populus ac principes, ad ornatum illius animos converterunt et exstruxerunt in parte occidentali templum, studiosissime intus et foris auro decoratum, multorum idolorum numinibus illud dedicantes; quorum effigies qui adhuc diligenter consideret inscriptas ibi vel affixas parieti, reperiet, quod (f) usque ad hodiernum diem, quia innumeris fuerit daemonibus consecratum, vulgus dicit centifanum appellatum. Hujus in vestibulo ex lapide

(a) ideo: ap. Leibn. deest.

(b) mediam civitatem: ibid. — Rationem hujus denominationis (porta media) confirmant varia hujus viae rudera, novissimo tempore detecta. Conf. Dissert. s. t. Neue Beiträge zur antiken, heidnischen und christlichen Epigraphik. Trier, 1833. —

(c) ex nomine, omissis verbis: usque huc: ibid.

(d) persequendo: ibid.

(e) multo est Romae conditione ant. &c.: ibid.

(f) quae: ibid.

quadro insignis arcus exsurgens habet ferream Mercurii imaginem, dictu mirabile! in aëre pendentem: seorsum autem Jovem marmoreum, scutellam auream manibus tenentem, cui thus immissum redolebat in naribus circumstantium, tanquam si igni injiceretur (a), nec tamen urebatur. Quod ne forte nostris dictum verbis, tanquam a nobis confictum, credere quis detrectet: non nos, sed potius audiat Galbam Viatorem Licinio Sophistae (b) hoc ipsum inter cetera rerum stupendarum, quas viderat et audierat, his verbis contestantem. Sic enim ait: Audi praeterea, quod mireris: Treveris est civitas Galliae nobilis, ubi Senecio quidam, cujus hospitio usus sum per duodecim dies, in suburbio civitatis ferream effigiem (c) Mercurii volantis, magni ponderis, ostendit in aëre pendentem. Erat autem magnes, ut hospes idem mihi ostendit, supra in fornice itemque in pavimento, quorum naturalis vis (d) e regione sibi ferrum ingens adsciscebat (e); sicque ferrum quasi dubitans in aëre remansit. Vidi etiam in eadem urbe ingenti et pretioso marmore Jovem, scutellam auream duorum pedum latitudinis tenentem; ubi hoc inerat scriptum:

Jovi Vindici Trebirorum.
Ex Censu Quinque Civitatum Rheni
Per Tria Decennia Denegato.
Sed Fulmine Et Coelesti Terrore Extorto.
Factum Arte Mechanica.

Nam thus, quasi prunis impositum, redolet, si immiseris; nec tamen deficit: quod ita probavi esse (*).

(a) mitteretur: ap. Leibn.
(b) Lucinio: ibid. — Quo tempore iste Galba Viator vixerit, nescimus: liber ejus excidit.
(c) imaginem: ibid.
(d) naturali vi: ibid.
(e) Hoc verbum ibi deest.
*) Hactenus Galba.

CAPUT XXIV.

Hujus etenim opinatissimae civitatis fama, cum fuisset suo adhuc in tempore ubivis divulgata, quod esset inexpugnabilis inhabitantium fortitudine quodque non esset ei similis jure bono (a), meritorum nobilitate, triumphis, longe post cum fuisset Roma condita, et viri potentes dominarent in ea, quidam eorum nobilis, Arimaspes nomine, consul primusque senatus illo (b) divertit, videndi causa, si vera sunt, quae de illa fama disperserat, et ut vidit, non ultra Romam rediit; sed, concesso sibi illic magnatorum collegio, secundum Romanas consuetudines cultum et officia ac diversa dignitatum nomina, concilium, duces (c) instituit. Hoc equidem a veritate non discrepare, satis evidentia sunt testimonia, imagines et tituli, qui consulum aut senatorum vel patriciorum aliarumque dignitatum nominibus et gestis, ad perpetuandam eorum memoriam lapidibus insculpti, per omnem fere civitatem sub collibus et piramidibus vel acervis lapidum defossi inveniuntur. Itemque astruunt hoc (d) ruinae theatri adhuc superstites; quod, ut diximus, juxta Romanum ritum, ad exercendos Circensium ludos et palaestras institutum est.

CAPUT XXV.

Itaque, modo quo diximus, civitas illa Treverica (e) se extulerat, ut post, cum Romani totam terram suo decreverunt subjugare imperio, subactis omnibus regionibus juxta vel procul consistentibus, sola haec nimium confidens in viribus suis, cum pertinentiis suis, tota videlicet Gallia, Francia et Germania resistere praesumpsit (*). Tempore illo venit ergo Julius, qui dicebatur Caesar, et obsedit Treve-

(a) bonis: ap. Leibn.
(b) illorum: ibid.
(c) Al.: consilium ducens.
(d) haec: ibid.
(e) Varie scribitur nomen hujus populi in Gestis et in veterum auctorum operibus: Treberi, Treveri, Treviri.
*) Pauca hic repetuntur de Caesaris bello contra Treviros.

rim, metropolim Gallicae provinciae; de cujus speciali praerogativa fortitudinis in toto, ut praemisimus, orbe fama pervolavit: ubi per totum fere decennium in pugnando frustra laboravit. Quam diu namque unanimitatem et concordiam inhabitantes servaverunt invicem, ab hostibus vinci non potuerunt: mox vero, ut hanc praeterierunt, non substiterunt.

Tunc, et enim magno quodam infortunio, duo de optimatibus, qui civitati principabantur, Induciomarus et Cingetorix, quorum alter patricia, alter consulatus dignitate pollebat, inter se de primatu (a) contendebant, quis eorum videretur esse major. Cumque hujuscemodi dissensio inter eos ageretur, Cingetorix clam foras egressus, Julii castra adiit; et si ei principatus concederetur, dediturum se civitatem repromisit. Quod cum ad petitionem ejus firmatum fuisset, egit, ut hostibus pateret ingressus; sicque regiae illius civitatis fastus magna est ex parte attritus.

Sed quid confert, ejusdem civitatis secularem gloriam et regiam nobilitatem commemorare? Utilius est, namque et plus habet spiritualis (b) laetitiae, si eam, qua ad meliorem vitam est per gratiam Dei provecta, conditionem studeamus exponere.

CAPUT XXVI.

Anno Dominicae incarnationis quinquagesimo quarto, regni autem Claudii XI. (c), episcopatus vero beati Petri Apostoli in Roma anno octavo, sanctus Eucharius tertius in ordine septuaginta duorum discipulorum Domini, cum sociis suis Valerio et Materno, ad praedicandum Gallicis gentibus directus, demum Treverim pervenit (*). Cujus infidelitatis aciem devincens, verae religionis arcem obtinuit et ejusdem urbis pontificatum viginti tribus annis tenuit felixque ad Dominum sexto Id. Decembris migravit (d) et sepultus est in ecclesia be-

(a) principatu: ap. Leibn.
(b) specialis: ibid.
(c) IX.: ibid.
*) Conf. cap. 20.
(d) obiit autem VI. Id. Decembr. ibid.

ati Johannis Evangelistae, quam ipse ante portam mediam construxerat et in circuitu ejus cymiterium benedixerat. Post cujus obitum beatus Valerius in ministerium sacerdotale successit illudque per quindecim annos, sancte vivendo et verbum vitae praedicando, probatissime rexit. Cujus praedicationis tanta fuit instantia, ut jam tunc per Galliam et Germaniam Christiani paganos et numero superarent et religione. Sepultus est et ipse in eadem ecclesia juxta corpus S. Eucharii, quarto Kalendas Februarii (a).

Post cujus decessum beatus Maternus, pontificialem suscipiens apicem, quadraginta annis talentum sibi redditum fideliter multiplicavit. Hinc Tungrenses et Agrippinenses ad fidem Christi convertit et his tribus civitatibus pontificiali jure praesedit: in quibus singulis fertur, uno eodemque paschali die, divinum officium celebrasse.

In hoc tempore fecerunt Treberi subterraneum vini ductum a Treberi usque ad Coloniam, per pagum Bedonis (b), per quem magnam copiam vini Coloniensibus, amicitiae causa, misere (c). Hisdem diebus venit Treberim sanctus Nazarius, praedicans Christum; sed a civitatis infelicissimo principe Cornelio Domitiano imperatori delatus est.

Igitur sanctus Maternus apud Coloniam octavo decimo Kalendas Octobris obiit senex, anno Dominicae incarnationis C. XX. VIII. Cujus obitu Treberi comperto, mox Coloniam profecti sunt, pastorem suum repetentes. Aderant et Tungrenses, qui simul cum Coloniensibus (d) eum sibi retentare satagebant. Certamen tum (e) ab utrisque geritur (f). Interim venerandus quidam senex in urbe apparuit, monens cives, ut a lite desistentes suis parerent consiliis, et corpus pontificis in navi ponentes, deinde a littore fluctibus impellentes, quo

---

(a) Obiit autem 1. Kal. Febr.: ap. Leibn.

(b) Hedonis: male ibid. — In hoc pago situm erat Bedaburgum, h. Bidburg.

(c) Scriptoribus medii aevi et hoc loco fabulam pro historia venditare accidit. Vini ductus nempe erat Aquae ductus, late diffusum opus, cujus vestigia hinc inde in Eiflia et nunc restant. V. Disquisitionem s. t. Historisch-antiquarische Forschung über das Alter der Moselbrücke zu Trier. Trier, 1826.

(d) Coloniis: ibid.

(e) diu: ibid.

(f) erat: ibid.

Deus velit, abire sinant. Mira res! Mox, ut angelus consuluerat, factum est. Navis sacro corpore onusta, nullo se regente nauclero, angelico remigio contra fluctus dirigitur et parvo horae spatio miliario confecto, in loco, qui ex tristitia Coloniensium Rotkiriche (a) tunc vocatus est, littori applicatur. Tunc Treberi corpus sui pontificis, a Deo sibi destinatum, cum debita gratiarum actione suscipientes, Treverim revexerunt et in ecclesia, non longe a corporibus sanctorum Eucharii et Valerii, honorabiliter sepulturae tradiderunt.

CAPUT XXVII.

Deinde Auspicius quidam ecclesiae regimen tenuit. Dein insignes per legitimas successiones sanctitate et gratia pollentes extiterunt. Auspicio vir quidam nomine et meritis Celsus successit (b). Hic animo sublimis et genere clarus, non segnis, patriae semper ingens affectu, pio honore actuque serenus (c). Celso successit Felix primus; Felici Mansuetus; tum praefuerunt Clemens, Moyses, Martinus primus, Anastasius, Andreas, Rusticus primus, Auctor primus, Mauritius primus (d), Fortunatus primus, Cassianus, Marcus, Navitus, Marcellus (e), Metropolus, Severinus primus, Florentinus, Martinus secundus, Maximinus, Valentinus, quorum octo ultimi etiam Tungrensi ecclesiae praefuisse noscuntur. Qui omnes diversis temporibus, non solum in propria provincia, sed et in extimis et ultimis industres et illustres, non solum confessione, quin et martyrio existentes, regna etiam tyrannorum vicerunt. Qui videlicet episcopi omnes in ecclesia sancti Eucharii

---

(a) Roze: ibid.

(b) Cod. ms. recentior (Eb. Cl.) addit: anno Domini centesimo tricesimo primo, sub Nerva imperatore.

(c) Haec omnia de Celso dicta non leguntur ap. Leibn.

(d) Martinus: ibid.

(e) Cod. Eb. Cl. addit: Hujus Marcelli et praedecessoris sui Naviti per Angliam facta praedicatione ipse rex Britanniae fidem Christi suscepit, et baptizatus est ab eodem Marcello, anno Domini ducentesimo octogesimo sexto.

sepulti esse creduntur. Quorum autem imperatorum vel consulum singuli claruerint temporibus; quosque vita eorum habuerit exitus; quotque singuli annis amministraverint officium pontificatus; seu quantum quisque amplificaverit ecclesiae suae reditus? quia totius Galliae ab Hunis et Nortmannis facta abolevit eversio, nec a nobis lectoris cujusquam requirat exactio; cum et antea diris decem persecutionibus, sub quibus vixere, eorum memoriam fama scriptorum studio minus potuerit divulgando perpetuare. Primus etenim Christianos Nero persecutus est; secundus Domitianus; tertius Trajanus; quartus Marcus Antoninus, quintus Severus Pertinax; sextus Maximinus; septimus Decius; octavus Valerianus; nonus Aurelianus; decimus Diocletianus cum Maximiano. Harum itaque persecutionum temporibus praedicti viri Trebirorum praesulatum, nequaquam manifeste, sed sicut ait Apostolus, in solitudinibus et in montibus, in speluncis (a) et in cavernis terrae peregisse probantur: ut merito eorum vita, tam fervente tunc ubique persecutione, quam postea, exterminata saepius Trebirorum civitate, oblivioni tradita fuisse credatur.

Auxit hoc infortunium humani generis adversarius. Postquam denique inseparabilis (b) Trinitas tres Evangelii sui operarios perpetim remunerandos, scilicet Eucharium, Valerium et Maternum, vocavit ad superos: Treberi rectae fidei credulitatem amiserunt et ad pristinum paganismi vomitum ex maxima parte redierunt.

CAPUT XXVIII.

Anno igitur Dominicae incarnationis CC. XCI. Maximianus, imperator Romanus, cognomento Herculeus, propter frequentes Gallorum tumultus Thebaeos milites ab Oriente in auxilium accersivit (c).

(a) et speluncis. deest ap. Leibn.

(b) Postquam denique insuperabiles tres Evangelii sui operarios &c.: ed. d'Ach.

(c) „Cum Maximianus Herculeus, partito cum Diocletiano dominatu, imperium Occidentis „adeptus est, factio hominum agrestium in Galliis tumultuari coepit: suscitata ea pes„tis est immanitate vectigalium, quae Praefectorum aviditas supra justi modum impo„suerat aratoribus. Factio Bagaudarum (nomine aut sponte arrepto, aut casu in-

Hi Thebaei ab antistite Jherosolimitano fuerant baptizati; deinde a beato Marcellino, papa Romano, qualiter sub armis Romanae libertatis christianam innocentiam custodire deberent, instructi.

Praelati sunt autem huic legioni duces duo, quorum unus Tyrsus, alter Secundus vocabatur, et Mauricius, ejusdem legionis primipilarius: pilam in signo constituisse fertur Augustus propter nationes sibi in cuncto orbe subjectas, ut in aliis figuram orbis ostenderet, et inde dicitur primipilarius, quasi primus ferens pilam (a).

Quorum, ordine et nomine, Secundus apud Victimilium (b), Italiae castrum, martyrio (c) vitam finivit; Mauricius vero apud Agaunum (d) oppidum cum suis sociis pro Christo victimatus occubuit; Tyrsus autem et Bonifacius (e) cum suis plurimis sociis et militibus in Treberim devenerunt ibique in campo Martio castra posuerunt. Ubi ab ejusdem civitatis christianissimis principibus, christianitatis et pacis signa in ipsis cognoscentibus, christianiter et amice, hospitaliter et honeste, summa, quae in Deo est, ordinante hoc (f) karitate, recepti sunt. His ergo principibus dum causam suae ab Oriente profectionis suaeque ad hunc locum (g) perventionis flebiliter retulissent, eorumque consilium simul et auxilium humiliter postulassent: flagranti adeo sancti Spiritus ardore corda omnium et civium et hospitum in Dei

---

„vento) nacta est, et spe libertatis, tota pene Gallia effusis populationibus, ingentem „ubique praebuit terrorem. His motibus componendis Maximianus, accersitis ab Oriente „legionibus, in Gallias cum magnis copiis venit ingressusque per Alpes Penninas „Octoduri ad Rhodanum substitit. — — Erat in exercitu Legio Thebaea, a Thebis, „ut ferunt, Aegyptiis, unde conscriptam putant, id sortita nomen.“ — Ex cod. ms. Alexandri Wilthemii s. t. Origines Maximinianae. —

(a) Verba: pilam in signo &c. usque ad finem, absunt ap. Leibn. — Primipilarius, teste Suida, maximam inter milites suae legionis dignitatem habebat eratque primus centurionum.

(b) Vintimilium: d'Ach.

(c) morte: Leibn.

(d) Aganum: d'Ach. — Ibid. non legitur: pro Christo. — Agaunum, cui hodie a S. Mauritio nomen prope Octodurum in Alpibus ad Rhodanum, Thebaeorum prima palaestra erat. Vide Venantii Fort., auctoris saeculi VI., carm. de sanctis Agaunensibus (L. II. 15.)

(e) et Bonifacius: deest ap. d'Ach.

(f) hac: Leibn.

(g) ad huc: ibid.

amore succensa sunt, ut ad mortis magis pro Christi amore susceptionem, quam ad idolorum venerationem, vel Christianorum oppugnationem, se animas praebere invicem exhortarentur.

Vix igitur sanctae exhortationis armis se invicem munierant, cum, ecce Rictius Varus, a Maximiano imperatore, Trebirorum praefectura (a) donatus, eandem urbem, cum maximo militum agmine stipatus, intravit. Qui vocatos ad se inprimis, quorum causa praecipue venerat, Thebeae legionis Christianos interrogavit: utrum et ipsi Romanorum Deos adorare eorumque detractores armis vellent subjugare? Cui cum dux legionis Tyrsus responderet: se suosque omnes et socios et milites pro Christi amore malle mori, quam hujusmodi sacrilegio pollui: Rictius Varus, diffusis per totum campum militibus, omnes praecepit interfici et corpora eorum feris avibusque devoranda relinqui. Ex his innumeris tanta multitudo ad litus Mosellae juxta Capitolium (b) martyrizata est, ut sanguinis rivuli defluentes in Mosellam, aquae permixti, eam in suum colorem converterent, usque ad castrum, quod Numago (c) dicitur, ut naturali claritate remota, peregrino magis quam proprio colore ruberet. Inhumatis etiam tunc sanctorum corporibus unda praebebat tumulum, quo redeunte grata compage membrorum, futuro ea repraesentaret judicio.

(a) Mediae aetatis poeta, Guilhelmus Brito, Rictium Varum per Vogesum montem Treviros venisse canit. Carmen Britonis tale est:

At Treuirim, Vogesis quàm Rictiovarus ab oris,
Praesidis officio fungens sub Maximiano,
Adveniens, sanctos pro Christi lege peremit. (Philippidos L. 10.)

Rictius Varus iste fortasse Praeses fuit provinciae Lugdunensis primae, coram quo Eumenius pro restaurandis Arduensibus scholis Augustoduni orationem dixit, et quidem, ut opinamur, anno 296.

(b) Eo loco, quo postea monasterium B. M. V. ad Martyres exstructum est. Originem fundamentorum hujus coenobii utique ad Romanorum antiquam efferimus memoriam. Verisimile autem nobis est, occupasse hunc locum, non Trevirorum Capitolium, sed ad similitudinem Romanae aedis, quam dicunt Pantheon, Jovis aliorumque Deorum templum. Sic et Romae Pantheon Agrippae in sacras Christianorum aedes, sub nomine Sanctae Mariae ad Martyres, transformatum est.

Nostro tempore praeclara operis Romani vestigia in ruderibus nostrae ecclesiae detecta sunt.

(c) Al.: Nimmaga, Niumaga, Neomagum, Noviomagum, h. Neumagen.

Nivomagum, divi castra inclyta Constantini. (Auson. Mosella.)

Hoc idem Capitolium postea in honore Dei genitricis Mariae semper Virginis est in ecclesiam (a) dedicatum; et ipse locus, ob memoriam martyrum, litus ad martyres accepit vocabulum. Hanc caedem Rictius Varus exercuit, videlicet Tyrsi et sociorum ejus, die quarto Nonas Octobris. Sequenti autem die (b) Palmatium, consulem et patricium civitatis (c), cum XI. principibus (d) occidit, quorum nomina haec sunt: Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander, Sother, Hormisda, Papyrius, Constans, Jovinianus. Tertio nichilominus die Rictius Varus caedem exercuit in plebem sexus utriusque et aetatis, totamque urbem occisis innumerabilibus Christianis implevit.

Pauci ergo Christiani, qui hujus persecutionis procellas declinaverunt. Postquam aliquantum cessavit (e), horum martyrum corpora partim sepulturae tradiderunt et quendam ingentis capacitatis puteum, vetustate neglectum et aquis exhaustum (f), eorundem Sanctorum ossibus repleverunt.

Quaerit aliquis, quomodo Rictius Varus tantam multitudinem civium (g) et peregrinorum occiderit, vel quare Thebaei vel Treberi illi resistere non valuerint? Sed notandum, quod haec legio Thebaea primum juravit in sacramenta divina, deinde in sacramenta regia. Haec duo sacramenta se observasse demonstrat. Primum, quod idolis immolare contempsit; secundum, quod innocentiam suam, dum bene potuit, armis defendere noluit. Alioquin si juncti Thebaei Treberensibus se defendere voluissent; non solum Rictii Vari, sed et Maximiani potentiae resistere quivissent. Sed servavit sacramentum suum, patienter moriendo, et cives urbis potentissimae secum ad contemptum mortis fideliter invitavit (h).

(a) in ecclesiam: deest in edd. — Confer supra notam nostram.
(b) die: deest ap. Leibn.
(c) et patr. civ.: deest ap. Leibn.
(d) principalioribus: scribunt codd. recentiores.
(e) Haec verba: Postquam &c.: desunt ap. d'Ach.
(f) Cod. Eb. Cl. hoc loco addit: nunc vero (saec. XVI.) pavimento tectum in ecclesia S. Mariae ad Martyres.
(g) civium: deest ap. d'Ach., sed male, ut contextus docet.
(h) Conf. Hist. Mart. Trev. commentario praevio et notis illustr. in Honth. Prodr.

CAPUT XXIX.

Post Rictii Varii cruentissimum dominatum tandem civile nobis Constantii, primo Caesaris, dehinc Augusti, reparatur (a) imperium. Hic multa clementia erga homines; erga Deum vero religione maxima utebatur (*), neque piorum sanguine regnum suum maculavit, neque orationum domos destruxit; sed cultores Dei venerationi habuit et honori. Hic non modo amabilis, sed venerabilis etiam Treberibus fuit; precipue quod (b) Diocletiani suspectam prudentiam et Maximiani Rictiique Vari sanguinariam temeritatem imperio ejus evaserant.

Hic Allamannos, qui jam a temporibus Valeriani imperatoris Trebirorum confinia devastabant, in ipsis finibus Trebirorum aggressus, magna strage delevit. Circa Lingonas die una adversam et secundam fortunam expertus est; nam cum repente barbaris ingruentibus intra civitatem esset coactus, tam praecipiti necessitate, ut clausis portis in murum funibus tolleretur (c): vix quinque horis mediis, adventante exercitu, sexaginta fere millia Alamannorum cecidit; captis eorum regibus, quos etiam bestiis, cum magnificum spectaculum mu-

---

Hist. Trev. dipl. I. p. 37. seqq. (Auctor hujus dissert. est Nellerus noster, ut liquet ex ejus ms. autographo, quod in bibl. Trev. conservatur.) — Acta SS. Antv. Oct. II. p. 330. seqq. — Vide quoque Gestorum cap. 42.

Tillemont (Hist. eccles. IV.), quantumvis optaret, ex antiquioribus monumentis confirmari, haec facta rejicere non audet, motus inter cetera etiam Sigeberti in Chronico ad an. 1071. testimonio. — Hoc anno tabula plumbea inventa dicitur. (Conf. cap. 42.)

Sunt, qui Rictium Varum (†) non nisi anno 302, vel sequenti, persecutionis suae initium fecisse velint, post edictum Diocletiani Nicomediae excusum; sed praesidi sanguinario tantum licuisse sub Constantio Chloro, mitissimo in Christianos Caesare, in cujus ditione Treveris erat cum Gallia, Hispania et Britannia, vix credibile est. — Gesta Trev. referunt hoc factum ad an. 291, communis vero opinio ad an. 286. — In hoc Gestorum capite de tabula plumbea (de qua loquitur cap. 42.) nulla fit mentio.

(†) Nomen hujus praesidis in pluribus codd. scribitur: Rictiovarus. An fortasse homo iste famosus originis Gallicae fuit (Rictiovar)?

(a) inceperat: Leibn. — Lectio hujus loci in ed. d'Ach. confusa est.

*) Cod. Eb. Cl. addit: non tamen christianitatis dogmate imbutus erat.

(b) praecipue qui ob: Leibn.

(c) teneretur: ibid.

neris parasset, objecit (a). Anno sexto decimo (b) imperii sui obiit in Britannia Eboraci, et inde Treberim relatus, in campo Martio honorifice sepelitur cum epitaphio hujusmodi:

> Flavius Constantius, vir consularis, comes et magister utriusque militiae atque patricius, et secundo consul ordinarius (c).

Hic ex Helena, Trebirorum nobilissima (d), Constantinum filium procreavit imperatoremque Galliarum reliquit: qui etiam totius Romani regni monarchiam per bella maxima solus obtinuit. Beatissima vero mater ejus Helena cum magno exercitu Jherosolimam perrexit; ibique cum Dei adjutorio lignum sanctae crucis invenit. Qua inventione celebrata, papam Silvestrum adiit, magnis precibus deposcens, ut sibi secundum carnem consanguineae Trebericae civitatis misereatur, et ejus infidelitatis tenebras aliquo idoneo praedicatore illustrare dignetur. Magna ergo doctoris inquisitione habita, omnium fidelium

---

(a) objecita: male ibid. — Verba: quos etiam usque ad finem periodi usurpata sunt ex Eutropio (X. 2.). Scriptor noster hocce loco facta Constantii patris et Constantini filii aperte et inepte permiscuit.

In aliis foliis mss. Trev. legimus: Anno 307 Constantinus, Bructerorum victor, Treviros redit populoque munus cruentum in amphitheatro donat, scilicet multos captivos ad bestias damnatos. — Ad annum 313 haec: Constantinus iterum exhibet spectacula captivorum cum bestiis pugnantium. — Conf. Eumenii Panegyr. Constantino.

(b) Anno sexto imperii: d'Ach., sed male. Ap. Eutropium legimus: anno tertio decimo, etiam minus recte.

(c) Hic false confunditur imperator Constantius Chlorus cum illo comite Constantio, qui sub Honorio imperatoris titulum gessit et anno 421 e vivis decessit.

Monumentum hujus Constantii, antiquis inscriptum literis, in Pauliniana apud Treviros ecclesia conservabatur; sed hanc inscriptionem ex alio forsan loco quopiam ad S. Paulini ecclesiam illatam esse, scribit Browerus in suo ms. autographo Annalium, quod apud nos servatur (N°. 120 sign.). Multis in locis Broweri editiones non consentiunt manuscripto.

(d) Satis notum est, Britannicos scriptores Helenam Britannam genere regio praedicasse, sicut nostri scriptores eam Trevirorum nobilissimam affirmant. Alii vero, et quidem antiquiores, inter quos Eutropius et Valesii Anonymus, matrimonium Constantii cum Helena obscurius et Helenam Constantini matrem vilissimam dicunt, et S. Ambrosius eam Stabulariam nominat, et quidem Dripanidem aut Dardanam. Vide additamenta ad hanc notam in fine voluminis.

consilio, sanctus Agricius, Antiocenae praesul civitatis (a), evocatur, et ad Treberim cum pretiosissimis reliquiis, quas inferius nominabimus, a papa et regina destinatur, cum privilegio, quod isdem papa Silvester ad honorem Trebirensis ecclesiae hoc modo noscitur conscripsisse.

CAPUT XXX.

„Sicut in gentilitate, propria virtute, sortiro et nunc Trebir primas, ac super Gallos et Germanos prioratum, quem tibi prae omnibus harum gentium episcopis, in primitivis Christianae religionis doctoribus, scilicet Euchario, Valerio et Materno, ac per baculum caput ecclesiae Petrus signavit (b) habendum, suam quodammodo minuens dignitatem, ut te participem faceret. Quem ego Silvester ejus servus successioneque indignus, per patriarcham Antiochenum Agricium renovans confirmo, ad honorem patriae domnae Helenae Augustae, metropolis ejusdem indigenae. Quam ipsa felix per Apostolum Mathiam a Judaea translatum, cum tunica et clavo Domini, et dente sancti Petri, et sandaliis sancti Andreae Apostoli, et capite Cornelii papae ceterisque reliquiis magnifice ditavit specialiterque provexit. Hujus privilegii conscii nocivi aemuli communione dirimantur, quia anathemate maculantur.“ (c)

(a) Agricius hoc loco dicitur praesul, et in diplomate sequenti patriarcha Antiochenus; sed omnino false. Patria Antiochenum fuisse concedimus; sed nunquam praesul aut patriarcha Antiochenus fuit. Optime disputat de hac re Browerus noster in opere ms. (N°. 112 sign.) s. t. Metropolis ecclesiae Trevericae, his verbis: „Antiochiensium episcoporum successiones satis sunt fida memoria septae, et continua „serie occupata, nihil ibi Agricio loci relictum est.“ Hoc ms. originale magnam partem Broweri manu exaratum est. — Conf. etiam ejusdem Annal. Trev. ad an. 327. — et Mich. le Quien opus s. t. Oriens Christianus II. p. 707. seqq. —

(b) significavit: ap. Leibn.

(c) Praesens diploma a Silvestro, ut asseritur, traditum, incertae fidei esse, et quoad argumentum integrum hic allatum, certe esse corruptum et spurium in comperto est. Brevius illud refert Browerus (Annal. Trev. in init. Lib. IV. edit. Colon. de an. 1626.). — Conf. Petri Boschii rationes in Hist. Patriarch. Antiochen. pag. 39. (Act. SS. Antverp. mens. Julii, Tom. IV.), et Honthemii (Hist. Trevir. Dipl. I. p. 17.), qui illud diploma tanquam supposititium rejiciunt, variis moti argumentis.

CAPUT XXXI.

Anno Dominicae incarnationis CCC. XXVIII. (a) sanctus Agricius Trebirorum praesul (b) efficitur. Hic populum ab antiquo errore idolatriae, velut alter Eucharius, eripuit et domum beatissimae Helenae, exclusis ab ipsa (c) cunctis paganismi spurcitiis, in honore sancti Petri dedicavit, et, caput ecclesiae Treberensis ut esset, instituit. Eo tempore Treberis, jussu beatae Helenae, ecclesia maximi ornatus et structurae in honorem sanctae Crucis est aedificata in modum etiam crucis (d). Ossa Mathiae Apostoli juxta corpora sanctorum Eucharii et sociorum ejus collocata sunt. Tunica Domini cum clavo et ceteris reliquiis in domo sancti Petri reconditae sunt (e). Sanctus autem Agricius, officio sui pontificatus expleto, migravit ad Dominum sepultusque est juxta corpus sancti Eucharii.

Cui successit beatus Maximinus, discipulus ipsius, qui Eufratan Coloniensem, nec dicendum episcopum (f), deposuit et Severinum in loco ejus, per electionem ecclesiae (g), subrogavit. Athanasium, Alexandrinum episcopum, persecutionem Constantii imperatoris fugientem, honorifice suscepit et intrepidus. Nam antea toto orbe profugus vagabatur; nec ullus ad latendum ei supererat locus. Tribuni, praepositi, comites exercitusque, ad investigandum eum (h) edictis

---

(a) Codd. recentiores habent: CCCXXXIV.

(b) primus Trevirorum archiepiscopus: Cod. ms. Eb. Cl. — V. notam ad hoc cap. in fine.

(c) civitate: addit male ed. Leibn.

(d) Ed. d'Ach. addit hoc loco: Ipso etiam tempore apud Confluentiam in castro monasterium in honorem sanctae Mariae Virginis constructum est a nepte beatae Helenae, Mathilda nomine.

(e) Conf. Gestorum cap. 202.

(f) qui Effratem Coloniensem haereticum deposuit: ap. d'Ach. — Euphratas, Colon. episcopus, in synodo Coloniensi (an. 346.) accusatus et damnatus esse legitur, quod Christum Deum esse negasset. — Conf. Browerum (Annal. Trev. I. L. 4. n. 58.), qui acta hujus concilii ex monumentis primariae Trevirorum ecclesiae nota fecit. Conf. etiam Acta conc. Agrippin. ap. Labbeum II. p. 644. seqq. —

(g) per electionem ecclesiae: non legitur ap. d'Ach.

(h) cum: Leibn.

imperialibus moti (a), totius regni viribus concertabant, si quis (b) vivum maxime, sin minus, certe caput detulisset. Verum Treberis sex continuis annis ita latuit in lacu cisternae (c) supra dictae, non habentis aquam et plenae ossibus sanctorum (d), ut solem nunquam viderit; et ibi psalmum: Quicunqne vult (e) composuit. Sed cum per mulierem, quae ei latebram praebere videbatur, sollicitatus fuisset (f), tanquam spiritu Dei admonente, nocte ipsa, qua ad eum comprehendendum cum judicibus veniebatur, post tot annos emigravit ad alium locum.

Igitur beatus Maximinus ad suos revisendos Aquitaniam perrexit ibique, Domino se vocante, quievit in pace.

Successit in episcopatu Paulinus, qui corpus magistri sui per beatum Lubentium et populum Trebirorum ex Aquitania revexit et in cymiterio sancti Eucharii sepelivit. Beatus vero Lubentius primo quidem in ecclesia, supra montem sita, secus oppidum Cuberna vocatum, presbyterii honore praeditus, Domino in populo ministravit (g). Postmodum per revelationem Domini venit in Germaniam ibique super fluvium, qui dicitur Logana (h), ecclesiam aedificavit, quo postea defunctus, translatus requiescit.

Praesul vero et martyr Christi Paulinus a Constantio imperatore, verae fidei causa, in Frigiam exul destinatur ibique pro nomine Christi decollatur ac sepelitur. Dum enim veram fidem instantius gentilibus praedicaret, accensis in iram paganis, capite caesus est.

Post quem Bonosius (i) episcopus, deinde Brittonius. In

(a) moniti: d'Ach.
(b) siquidem: Leibn.
(c) V. notas in fine voluminis.
(d) mortuorum: d'Ach.
(e) Quicunque vult salvus esse &c. — In ed. d'Ach. legitur loco psalmum: fidem catholicam.
(f) Cod. Eb. Cl. habet: Sed cum per mulierem quandam fuisset manifestatus. — Ed. d'Ach. habet loco latebram: lanternam.
(g) Haec periodus abest ap. d'Ach. Leibn. legit: in publico ministravit.
(h) Longana: al.
(i) Tametsi episcopatus Bonosii nulla sit literarum memoria consignatus, ejus nomen tamen conservabatur in antiquis martyrologiis. Ad tempus Bonosii referunt alia folia mss. Trev., N°. 1216. sign., sequentia: „Anno 310 Constantinus Trevirim rursus „ornaverat circo, basilica, foro, curia, aerario et sede justitiae; sed civitas Trevi-

tripartita historia legitur, Brittonium Romae fuisse cum Damaso papa, qui ipse Mars gentiliter appellatur, in nostro vero sermone sonat virginem dulcem (a). Horum temporibus Graeci (b) cum magna manu Treberim invasere et caedibus, rapinis et incendiis graviter attrivere (c).

CAPUT XXXII.

Anno Dominicae incarnationis CCCC. VI. (d) Maximus, vir quidem (e) strenuus et Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset, ab exercitu in Britannia invitus imperator creatus, Treberi sedem regni constituit. Eodem tempore Priscillianistarum haeresis exorta est a Priscilliano, Habilae (f) Hyspaniae civitatis episcopo. Qui mox apud Burdegalensem synodum condempnatus,

„rensis etiam ornatur an. 369 sub imperatore Valentiniano variis aedificiis, nobilibus „incolis, officinis argentariis, fabrica scutaria, balistaria et vestiaria, cujus praefectus „vocabatur Procurator gynaecii Treuirorum. Hoc gynaecium vestiebat exercitum, te- „xebat vela navium et tentoria castrorum. Praepositus Brancariorum seu Argentario- „rum Trevirensium erat is, qui vasis argenteis fabricandis vacabat. Erat enim triplex „armamentarii officina, ut colligitur ex pervetusto lapide grandioribus litteris signato: „Branbar: Vestiar: Armar:“ — Ad an. 370 notant haec folia: „Sacerdotes „Trevirenses Burgundionibus christianam doctrinam tradunt.“ — Ad an. 371: „S. „Hieronymus venit Trevirim ob studium litterarum.“ — Ad an. 374: „Valentinianus „imp. pictoriam artem ornat variis privilegiis, liberat pictores a tributis et oneribus „publicis, et ipse imperator pictoriam et plasticen exercet.“

(a) Verba: qui ipse Mars &c., commentatoris sunt, satis inepte etymologizantis; leguntur in antiquioribus codd., non habet cod. Eb. Cl., qui haec tantum praebet: Bonosio successit Britonius, qui, ut in tripartita historia legitur, Romae cum Damaso papa fuit. Scilicet in concilio Romano (anno 371.). V. Theodoret. L. 2. c. 22. et Sozomen. L. 6. c. 23. Idem Brito Trevirensis concilio, Valentiae-Allobrogum anno 374 celebrato, subscripsisse legitur, de quo Gesta silent.

(b) Graeci?! V. notam marg. ad cap. 35.

(c) Cod. Eb. Cl. addit: Anno Domini tricentesimo octuagesimo nono. — Verius est, circa annum 399 Trevirorum metropolim primum per Francos vastatam esse.

(d) Errat scriptor in anno; erat enim annus 383.

(e) quidam: ap. Leibn. — vir: deest ap. d'Ach. — Verba: Maximus, vir quidem &c. usque ad: Treberim, sunt ex Oros. lib. VII. cap. 34. Vide notam ad hoc cap. ad voluminis calcem.

(f) Abulae civitatis: d'Ach. — Cod. Trev. ms., N°. 1344 sign., habet: Babilae. h. Avila.

Treberim ad Maximum imperatorem confugit. Ubi errore suo propalato, jussu Maximi, ab Evodio, praefecto praetorii, gladio addictus est, cum Eutrochia, Delphidi rhetoris (a) conjuge, et Latroniano, Felicissimo et Juliano multisque aliis erroris sui consortibus. Ad hanc haeresim plenius condempnandam, concilium episcoporum famosum, jussu Maximi, Treberis congregatum est (b). Inter quos erant Martinus Turonensis et Ambrosius Mediolanensis (c). Quorum Martinus non solum tunc, verum et antea saepius Treberim verbis et signis illustraverat: puellam enim paraliticam, rogatus a parentibus (d), sanaverat; servum Tetradii, consularis, a daemonio liberaverat; ipsumque Tetradium (e), adhuc gentilitate sordentem, Christi servum effecerat; patris cujusdam familias servum a diro daemonio mundaverat. Quodam quoque die, dum de metu atque impetu Barbarorum subita civitatem fama turbasset, daemoniacum (f) ad se exhiberi jussit, imperat, ut, an verus esset hic nuntius, fateretur. Tunc confessus est, sedecim daemonia fuisse, quae rumorem hunc per populum disseminassent, ut hoc saltem metu ex illo Martinus oppido fugaretur; Barbaros nichilominus irruptionem cogitare. Itaque cum haec immundus spiritus media in ecclesia fateretur, metu et perturbatione praesenti civitas liberata est. Alio die a Maximo imperatore multis precibus ad convivium invitatus est. Ad medium fere convivium, ut mos est, pateram regi minister obtulit; ille Martino pateram dari jussit, cupiens ab ejus dextra poculum sumere. Sed episcopus, ubi bibit, pateram presbytero suo tradidit; nullum scilicet existimans digniorem, qui posset prior bibere. Quod factum imperator et sui mirati sunt, celebreque per

---

(a) cum Eucherotia Delphidii &c.: d'Ach. — Quidam codd. scribunt: Delphidi rectoris. — Anno 385.

(b) Conf. Sulp. Sev. Hist. sacr. Lib. II.. et Pacatum in Paneg. vet. XI. 29. — Hic de Euchrocia (Eutrochia) memorabilia haec verba habet: Exprobabatur mulieri viduae nimia religio et diligentius culta divinitas! — Primum ergo, et quidem cruentum inquisitionis tribunal in rebus ecclesiasticis, sub Maximo imperatore Treviris constitutum legimus.

(c) et Augustinus magnus: male additur in quibusdam codd. et ap. Leibn. Hoc concilium refert cod. Eb. Cl. ad annum 389.

(d) a principibus: Leibn.

(e) Tretdium, etiam Tercadium: ibid.

(f) daemoniarum: ibid.

palatium sonuit, fecisse Martinum in regis prandio, quod in infimorum judicum conviviis episcoporum nemo fecisset; eundemque Maximum praedixit post aliquot annos in Italia interficiendum, quod et ita contigit. In eadem urbe reginae obsequiis multum honoratus est (a). Ambrosius quoque Mediolanensis cum venisset Treberos, postridie accessit ad palatium. Postea cum videret eum Maximus abstinere ab episcopis (b), qui communicabant ei, et qui aliquos, devios (c) licet a fide, id est (d), Priscillianistas haereticos ad necem petebant (e), ubi et Martinus peccatum communicans eis, jussit (f) Ambrosium sine mora regredi (g). Ipse vero libenter, etsi eum plerique insidias evasurum non crederent, iter ingressus est, hoc solo dolore percitus, quod Iminium (h), senem episcopum, in exilium duci comperit (i).

CAPUT XXXIII. (k)

Congregati igitur apud Trebiros episcopi tenebantur, qui cottidie communicantes Itachio et Achatio communem sibi causam fecerant. Itachius et Achatius episcopi erant, quorum factione Priscillianus et reliqui occisi fuerant (l); quorum etiam consilio Maximus tribunos cum summa potestate armatos ad Hyspaniam mittere decreverat, ceteros Pristillianistas inquirere, deprehensos bonis et vita privare. His ubi

(a) Haec omnia de S. Martino dicta in ed. d'Ach. non leguntur. — Conf. Sulpicii Severi Hist. sacram, et inprimis vitam S. Martini, et Dialog. de virtutibus et miraculis S. Martini, ex quibus operibus hausit hoc loco Gestorum scriptor.

(b) ab ipso, et ab episcopis: Leibn.

(c) et quod devios: ibid.

(d) idem: ibid.

(e) petebat: ibid.

(f) ubi Martinus peccavit, commotus ei jussit: ibid.

(g) ingredi: d'Ach., sed male.

(h) Winium: ibid.

(i) Verisimillimum est, S. Ambrosium an. 334. Treviris natum, ubi Praefecti Praetorio, qualis Ambrosii pater erat, tum adhuc sedes fuit. Paulinus, Ambrosii notarius, in ejus vita ad S. Augustinum clare scribit: Posito in administratione Praefecturae Galliarum patre ejus Ambrosio, natus est Ambrosius.

(k) Plurima hujus cap. absunt in ed. d'Ach.

(l) Anno 385.

nuntiatum est, advenire Martinum, ineunt cum imperatore consilium, ut, missis obviam officialibus, urbem illam propius vetaretur accedere; nisi secum pace episcoporum ibi consistentium affore fateretur, quos ille callide est frustratus. Profitetur se cum pace Christi venturum. Postremo ingressus nocturno tempore adiit ecclesiam tantum orationis gratia. Postpridie palatium petiit. Praeter multas, quas evolvere longum est, has principales petitiones habebat: pro Narsete comite et Leochadio praeside, qui ambo fuerant partium Gratiani, quem dux Maximi Andragathius occiderat; et ne tribuni ad Hyspanias cum jure gladiorum mitterentur. Pia enim erat sollicitudo Martino, ut non solum Christianos, qui sub illa erant occasione vexandi, sed ipsos quoque haereticos liberaret. Sed primo die et altero Maximus distulit ejus preces admittere; cum interim episcopi, quibus Martinus communicare nolebat, cum fletibus Maximum implorant, ut uteretur adversus hominem vi sua. At ille vim quidem sancto viro noluit inferre; tamen secreto accersitum blande appellat, haereticos jure dampnatos a judicibus publicis potius, quam a sacerdotibus, et edicit, non esse causam, qua (a) Itachii ceterorumque partis ejus communionem vitare deberet. Quibus cum Martinus parum moveretur, rex ira accenditur ac se de conspectu ejus abripuit et mox percussores his, pro quibus Martinus rogaverat, direxit. Quod ubi Martinus comperit, nocte palatium intravit, spondet se communicaturum, si tribuni ad Hyspanias missi revocarentur. Nec mora intercessit: Maximus indulget omnia.

Postpridie Felicis episcopi Trebirorum post Brittonem (b) ordinatio parabatur, sanctissimi sane viri et plane digni, qui meliori tempore fieret sacerdos (c). Hoc die communionem Martinus iniit, satius aestimans ad horam cedere, quam perituris non consulere.

Haec itaque eo tempore apud Trebiros gerebantur et hoc ordine sanctus Felix episcopatum suscepit (d).

(a) quod: Leibn.
(b) qui supra Brittonius nominabatur. Britannionem dicit Sulp. Sev. hist lib. 2.
(c) Verba Sulp. Sev. in Dialogo III. c. 15., qui haec omnia fuse persequitur.
(d) Sic itaque apud Treberos eo tempore et hoc ordine &c. Lectio ed. d'Ach. minus probanda.

CAPUT XXXIV.

Erant etiam eo tempore apud Trebiros multi nobiles et ecclesiastici viri: ille videlicet presbyter Jheronimus (a) de Bethlehem et Ausonius Burdegalensis aliique quam plurimi. Quorum Jheronimus (b) prolixum valde de synodis librum sancti Hilarii ibidem conscripsit; Ausonius vero libellum, qui dicitur Mosella, metrice composuit (c), et postea reversus in patriam, grande volumen ad honorem hujus patriae edidit, quod qui scire voluerit, in Burdegala reperire potuerit (d).

Quadam die Maximus imperator ad spectandos Circenses ludos ad amphitheatrum egressus est (e). Tunc quidam ex militantibus palatio, nomine Pontianus (f), cum aliis tribus contubernalibus suis exivit deambulatum in hortos muris contiguos. Illic forte uno (g) illorum secum subsistente, alii duo venerunt ad cellam sancti Eucharii, ubi habitabant servi Dei pauperes, qualium est regnum coelorum; et invenerunt ibi codicem, in quo scripta erat vita sancti Anthonii. Quam

---

(a) Jacobus: Leibn.; sed male.

(b) Vide notam nostram ad cap. 9. in fine.

(c) metrice composuit ad honorem hujus patriae, quod qui scire &c. cetera desunt ap. d'Ach.

(d) Gestorum scriptor hoc loco male interpretatur versus Ausonii sequentes:

Tempus erit, cum me studiis ignobilis oti
Mulcentem curas seniique aprica foventem
Materiae commendet honos, cum facta viritim
Belgarum, patriosque canam, decora inclyta, mores &c. &c. — v. 392 — 395. Mos.

In errore versari videtur scriptor noster, asserens, Ausonium in honorem Aquitaniae et metropolis Burdegalae grande volumen composuisse, et hoc apud Burdegalenses exstare. Loquitur enim aperte de Belgica provincia, altera poëtae patria; sed nullibi etiam constat, Ausonium aliud grande volumen (si Mosellam excipias) in honorem Augustae Trevirorum et Belgarum revera scripsisse et consilium suum absolvisse.

(e) V. S. Augustini Confess. VIII. 6. Ibidem legimus: cum imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur &c. In Gestorum textu male ponitur hoc loco amphitheatrum pro circo. —

(f) Potitianus: ap. Augustinum.

(g) uni: ap. Leibn.

unus eorum (a) coepit legere et mirari et accendi repletus Spiritu sancto. Et mox elevatis oculis ad socium suum ait illi: Dic, quaeso te, si non videtur tibi melius esse, huic Deo servire, qui talem habet famulum, quam regi mortali inaniter militare. Dixit et hoc turbidius parturitione novae vitae. Reddidit et oculos paginis, et legebat, et mutabatur intus, et exuebatur mens ejus. Nam dum legeret, infremuit et ait amico suo: Ego jam abripui me ab illa spe nostra, et Deo servire statui, et hoc ex hac hora, in hoc loco aggredior. Te si piget imitari, noli adversari. Tunc ille respondit: Adhaerebo et ego tibi, nec ultra te in tali militia deseram. Tunc Pontianus, et qui cum eo erant, per alias horti partes deambulabant, quaerentes eos, deveneruntque in eundem locum et admonebant eos, ut redirent, quod jam declinasset dies. At illi narraverunt eis, qualis eis voluntas orta esset atque formata, et petierunt, ne eis molesti essent. Tunc coeperunt flere et pie illis congratulati sunt et commendaverunt se orationibus eorum et reversi sunt in palatium. Illi autem manserunt in eodem loco. Habebant ambo sponsas, quae posteaquam hoc audierunt, etiam ipsae virginitatem suam Deo dicaverunt (b).

Hoc tempore populus Trebirensis valde deditus fuit ludis Circensibus, qui septeno circuitu peragebantur, nec minus intentus erat divitiis acquirendis: hinc per potentiam magnatum omnia officia venalia, contemptis legibus et bonis moribus (c).

CAPUT XXXV.

Maximus (d) imperator, de Treberi cum magno exercitu movens,

(a) Erat autem ex eis, quos dicunt Agentes in rebus: additur ap. Augustin.

(b) Omnia haec excerpta sunt ex laudatis S. Augustini Confessionibus, mutatis et adjectis hinc inde quibusdam verbis. V. notam in fine.

(c) Periodus, quae incipit verbis: Hoc tempore populus &c. nec legitur in edd., neque in plurimis mss. — Conf. Salvian. L. 6. de Gubernat. Dei. — Septeno circuitu. Septies enim Circum currebant. Septem columnae, quas dicebant ova (Livii Hist. Lib. XLI. c. 27.), ad metas curriculis numerandis positae erant. — Joh. Antiochenus ait: ideo septies, quia septem stadia conficiunt milliarium, et propter septem planetas. — Conf. Pitisci Lexicon antiquitatum Roman. Tom. I. in voce Circus.

(d) Sermo est et hoc loco de Maximo, qui circa finem saeculi IV. imperium usurpaverat.

Victorem, filium suum, in infantili aetate imperatorem constituit eique tutores (a) Quintinum et Nannium (b), principes Treberorum, reliquit. Ipse deinde a Theodosio in Italia peremptus est; filius quoque ejus gladio, in gratiam Theodosii, occisus est (c).

Jam nunc ad superiora redeamus (d) et aliquid de sancto Felice dicamus. Hic fecit basilicam grandem (e) in honore (f) Dei genitricis in campo Martio (g), CCCC. et decem pedum longitudinis (h), C. et viginti latitudinis, in qua corpora martyrum, a Rictio Varo passorum, usque ad sua tempora disjecta et incomposita, honorifice tumulavit. Corpus quoque sancti Paulini, quod suo tempore Trebirorum populus cum copiis ex toto regno adunatis, de Frigia (i) detulerat, facta crypta in eodem monasterio, medio cryptae cum ferreis catenis suspendit. Ipse quoque, post duodecim annos sacerdotii sui, in sinistro (k) cornu ejusdem ecclesiae sepultus est (l). Eodem tempore sub Theodosio Majore Franci cum ducibus suis, Sunno-

---

(a) In ed. Leibn. non legitur: tutores.

(b) Manneum: ed. d'Ach. Gregorius Turonensis, qui ex Sulpicio Alexandro has res memorat, Quintinum et Nannium militares magistros dicit.

(c) filius quoque &c.: haec desunt in edd. Leibn. et Calm. Folia mss. Trev., N°. 1444 sign., non habent: gladio. Oros. (lib. VII. c. 35.) scribit: „Victor apud Viennam „dolo Arbogastis, comitis sui, ut ferunt, strangulatus." Maximus tertio ab Aquileja milliario ad VI. Cal. Septemb. interfectus est, ut notat Socrates contra Idatium, qui V. Cal. Aug. occisum tradit. Necatus est Victor in Gallia ab Arbogaste comite. Maximi imperatoris et filii Victoris numismata Treviris inventa sunt, in quorum altera parte signifer labarum S. Crucis sinistra, dextra victoriam globo insistentem sustinet, quae porrigit diadema.

(d) Haec non leguntur in cod. Guelferb. et in ed. d'Ach.

(e) Al.: grandiorem.

(f) honorem: d'Ach.

(g) V. notam in fine.

(h) trecentorum decem: d'Ach. Haec Paulinianae veteris basilicae origo est; sed varias post hostiles experta clades, nec non crebris afflicta incendiis, priscae sedis nulla jam vestigia tuetur.

(i) S. Paulinus, Trevirorum episcopus, in Phrygia exulans, moritur pridie Cal. Sept. ann. 358., secundum Chronicon S. Hieronymi.

(k) dextro: d'Ach.

(l) In cod. Eb. Cl. haec amplificatio legitur: Beatus iste Felix, post duodecimum annum pontificatus sui episcopalem resignans dignitatem, solitarius intra praedictam beatae Mariae Virginis ecclesiam contemplationi vacavit et paulo post carnis debitum solvens vitam cum

ne (a) et Gundebaudo, in Germaniam (b) prorumpentes pagosque depopulantes, etiam Coloniae metum incusserunt. Quod cum Treberis perlatum fuisset, Nannius et Quintinus, quos supra diximus, quibus Maximus commiserat infantiam filii et defensionem Galliarum, collecto exercitu, Francos de Germania ejecerunt et apud Carbonariam silvam (c) magna eos strage vicerunt. Hinc ortum est odium Francorum contra Trebiros et ex hoc deinceps, transmisso Rheno, in terra Trebirorum hyemare coeperunt (d).

Post haec igitur, temporibus Honorii imperatoris, Crocus (e), rex Wandalorum, cum Suevis et Alanis (f) egressus est de sedibus suis, Gallias appetens, consilio matris nequissimo utens, dum ei dixisset: Si novam rem volueris (g) facere et nomen adquirere; quae (h) alii aedificaverunt, tu cuncta destrue et populum, quem superaveris, interfice. Nam nec aedificia meliora, nec pretiosiora facere potes, neque plus magnam rem, per quam nomen tuum eleves (i)! Qui Rhenum apud

---

morte, sexto Kalendas Aprilis (an. 398 secundum alios) mutavit sepeliturque in eadem ecclesia a latere chori ad plagam aquilonarem. Confer Acta S. Felicis Trev. Ep. ap. Bolland. ad 26. Mart. — Baron. in notis Martyrol. 26. Martii. —

(a) Sonnone: d'Ach. — Al.: Sumnone. — Genbaudo: cod. Eb. Cl. — Al.: Genebaldo. —

(b) Quidam codd. legunt: Germania. Apud scriptorem nostrum hic sermo est de Germania Secunda Rhenana (Romana). Rem gestam Gregorius Turonensis lib. 2. c. 9. fuse prosequitur.

(c) Carbonarius saltus pars est Arduennae silvae.

(d) hyemare non praesumpserunt: d'Ach.; sed parum accurate, cum Franci primis saeculi quinti temporibus iterato ipsam Augustam Trev. spoliarent et vastarent. Conf. Salvianum de Gub. Dei, lib. 6, qui Trevirorum eversiones, a Francis saeculo quinto factas, meminit his verbis: Expugnata est quater urbs Gallorum Treveris opulentissima.

(e) Al.: Crochus.

(f) Alemannis: d'Ach. et quidam codd. mss.; sed male.

(g) vis: idem.

(h) quod: Leibn. et Calm.

(i) Conf. Greg. Tur. Hist. Franc. epitomat., ed. Ruinart, cap. 3. — Ex Fredegarii fragm. select. excerpta ex Idatio, cap. 62. — Vetus Chron. Moissiacense et Aimoinum de gest. Franc. III. 1. — Omnes conveniunt in quibusdam circumstantiis, sed in assignando tempore discrepant. V. notam ad hoc cap. in fine.

Mogontiam ponte ingenioso (a) transiens, primo ipsam civitatem cum populo ejus delevit; deinde cunctas (b) civitates Germaniae vastans (c), Metis pervenit, ubi muris civitatis divino nutu ruentibus (d), capta est civitas a Wandalis. Deinde urbem Trevirorum, vix jam a persecutione Graecorum (e) respirantem, pari obsidione vallatam Crocus cepit et maxima ejus aedificia magna ex parte ad solum (f) dejecit. Civium tamen pars aliquanta in harena (g) civitatis, id est, in amphitheatro, quam munierant, liberata est. Post haec cunctas civitates Galliarum Crocus pervagans Arelatum obsedit, ubi a quodam milite Mario captus et in vinculis constrictus, per cunctas civitates (h), quas vastaverat, ductus, impiam vitam digna morte finivit.

Paulo post, regnante (i) Theodosio Minore, Attila, rex Huno-

(a) ingeniose facto: cod. Eb. Cl.

(b) quasque: addunt quidam codd.

(c) Quidam codd. habent: vallans. — Germaniae i. e. Rhenanae.

(d) muro — ruente &c.: d'Ach. — murus civ. — ruens: quidam codd.

(e) Sic plerique codd., et quidem antiquissimi. Leibn. et Calm. in suis mss. aut revera legerunt, aut in suis edd. arbitrarie substituerunt: Francorum. Primos vero Gestorum auctores scripsisse Graecorum, demonstratur ex codice quodam antiquissimo St. Mathiano, per Eberhardum, hujus coenobii scholasticum, in membrana scripto et vitas SS. Eucharii, Valerii et Materni continente. Manuscriptum hoc, tempore Mauri Hillar, hujus monasterii quondam Prioris (Vindiciae hist. Trevir., anno 1763. Metis impr. p. 56.) adhuc extitit. Iste codex subnexam habuit hanc clausulam: „Omnipotens Deus tres plagas, maxime gladium Gentilium venire permisit supra regnum „Christianorum, insuper civitatem praedictam (Trevirorum) tribus vicibus: prima plaga erat Graecorum sub imperatore Constantio, filio Constantini, quia Arianus „effectus est, Catholicos in toto orbe persequens (†). Secunda, quando „Wandali et Alani Galliae regiones sub imperatoribus Romanis Arcadio et Honorio „vastaverunt. Tertia Hunorum sub Attila rege.“

(†) Ammian. Marcell. (lib. XXI. cap. 16.) comparat hunc Constantium Caligulae, Domitiano, Commodo et Gallieno. Circa finem capitis scribit hic auctor gravis: „Christianam religionem absolutam et simplicem anili superstitione confundens: in qua scrutanda perplexius, quam componenda gravius, excitavit dissidia plurima &c.“ — Conf. etiam ejusdem lib. XIV., Liban. orat. 3., Socrat. lib. II. 13. et 14., Hieronym. in Chron.

(f) magna ejus aedif. ad terram &c.: ap. Leibn. et Calm.

(g) Al.: harenario. „Trevirici, in arenis civitatis praesidio locato, conatibus ejus restiterunt.“ scribit Aimoinus l. c. — V. notam ad calcem voluminis.

(h) Galliarum: addit d'Ach. — De ludibrio populorum: adjicit cod. Trev. N°. 1462.

(i) imperante: d'Ach.

rum, qui orbis dominum se judicavit (a), civitatem Trebirorum bello obtinuit eamque graviter depopulatus est. Post mortem autem Valentiniani, qui post Theodosium cum Marciano imperavit, Avitus (b) suscepit imperium, sub quo civitas Trebirorum ludibrio patuit Francorum. Erat siquidem in urbe senator, nomine Lucius, qui habuit uxorem pulcherrimam, in quam deperiit Avitus amore turpi. Simulans igitur infirmitatem, praecepit, ut omnes senatrices urbis eum visitarent. Venit inter alias venustissima uxor (c) Lucii, et ab eo stuprata, silenter domum revisit mariti. In crastino surgens de stratu suo (d) Avitus dixit ad Lucium: P u l c r a s t h e r m a s h a b e s, s e d f r i g i d o l a v a s. Hinc Lucius indignatus, urbem prodidit Francis, a quibus direpta est multisque necatis incensa Treberi capta, etiam Coloniam Franci cepere (e). Sic finitum est nomen et regnum Gallorum et Germanorum, et ortum est Francorum (f).

CAPUT XXXVI.

Post obitum sancti Felicis, ut ad id redeamus, a quo (g) paululum recessimus, M a u r i c i u s Trebirorum praesul efficitur. Post quem

---

(a) Q u i o r b i s &c.: non legitur in edd. et plurimis mss. — Et se f l a g e l l u m D e i n o m i n a v i t: addit cod. Eb. Cl.

(b) Scriptor noster accuratius dixisset: post Petronium Maximum Avitus &c. — B o u q u e t (Rer. Gall. et Franc. Script. II. p. 649.) ad Greg. Tur., qui eandem rem de Avito narrat, sequentia notat: „Haec Trevirorum eversio (per Francos) ad an„num 411 vel 412 est retrahenda, et quae hic de Avito dicuntur, Jovino tribuenda „sunt.“ — Consentit H o n t h e m i u s (Prod. Hist. Trev. I. p. 414. et 421.); sed nos consentire non possumus. V. animadv. ad hoc cap. in fine volum.

(c) v e n u s t i s s i m a: abest in edd. et plurimis codd.

(d) d e s t r a t u s u o: non legitur ap. d'Ach. — i m p e r a t o r o b v i a n t i s i b i L u c i o S e n a t o r i d i x i t: cod. Eb. Cl.

(e) Ap. d'Ach.: e t i n c e n s a T r e b e r i, c a p t a m e t i a m C o l o n i a m F r a n c i d i r i p u e r e.

(f) Treviri scilicet, amisso imperio Romano, cui annis ferme quingentis subjecti erant, in Francorum concessere leges ritusque vivendi.

(g) u n d e: d'Ach.

sanctus Leguntius (a), deinde Auctor (b), post quem Severus (c). Hic apostolicis viris per omnia coaequandus Germaniae verbum Dei praedicavit et cum Germano, Autisiodorensi (d) episcopo, et Lupo, Trecassino episcopo (e), in Britannia Pelagianam haeresim destruxit (f). Cui successit beatus Cyrillus. Hic cellam sancti Eucharii incensam et desertam reparavit monasteriumque non longe a priori loco constituit et illuc corpora sanctorum Eucharii et successorum ejus transtulit, juxta quos et ipse requiescit (g). Post Cyrillum Jannerius (h) et post Jannerium Emerus (i) est subsecutus, qui Marum (k) post se constituit, qui monasterium sancti Paulini a Barbaris cum praedictis urbis vastationibus (l) desolatum reparavit, ubi et ipse sepultus requiescit (m). Cui successit Volusianus. Hic privilegium, dudum a papa Silvestro huic urbi per beatum Agricium delegatum (n), sed jam suo tempore Romae (o) deletum, a Romano pontifice rescribi fecit et honorem priscum suae civitati renovavit. Post quem (p) Mi-

---

(a) Ligontius, Leontius. Addit cod. ms. Trev., N°. 1434 sign.: cujus festum undecimo Kal. Martii colitur. — Omnes, qui in hoc capite leguntur episcopi, solo fere nomine noti sunt.

(b) Idem codex et hic addit: Auctor, cujus memoria XIII. Kal. Sept. agitur. Conf. animadv. ad hoc cap. in fine.

(c) post hunc praesedit Trevirensi ecclesiae sanctus Severus: idem cod.

(d) Autisiodori: d'Ach. — Parisiorum: habent quidam codd. et Leibn.

(e) episcopo: abest in edd.

(f) Cod. praef. addit: qui post multarum virtutum opera feliciter transivit ad Dominum Idus Octobris.

(g) requievit: d'Ach. — Additur in ms.: hujus festum servatur quarto decimo Kal. Junii. — Quae sequuntur in hoc cap. 36. et capita 37. 38. 39. 40. et pars cap. 41. omissa sunt in cod. ms. Francof. (Fichardi). Plura folia, ut videtur, ibi sunt perdita.

(h) Lamnerius: d'Ach. — Al.. Jamblichus.

(i) Al.: Emerius, Evemerus.

(k) Maurum: d'Ach.

(l) vastatoribus: ibid.

(m) Cod. supra nom. addit: in dextro cornu ejusdem ecclesiae, cujus memoria agitur sept. Kal. Febr. (Acta SS. Antv. ad diem 26. Januarii.)

(n) Quidam codd.: relegatum; alii: delatum.

(o) Romae: deest in edd. Leibn. et Calm.

(p) Post hunc Hildolfus, deinde Severinus, post quem &c.: haec interponuntur in ed. d'Ach.

letus ecclesiam rexit (a); post quem Modestus (b); deinde Maximianus; post quem Fibicius (c); cui successit Abrunculus (d); deinde Rusticus. Hic primo reprehensibilis (e); sed postea per beatum Goarem correctus, in ecclesia beatae Mariae, quae vocatur Litus ad Martyres, septem (f) annis reclusus, poenitentiam gessit. Quo decedente Aponoculus successit, (g) cujus temporibus Avernensi ecclesiae Illidius sacerdos extitit. Cujus fama cum per diversos ecclesiae evehitur ascensus (h), etiam vicinarum urbium fines penetravit. Unde factum est, ut haec gloria cum Treberici imperatoris (i) aures attingeret, cujus filia a spiritu immundo vexabatur et non inveniebatur, a quo posset erui, beatum Illidium fama detexit; et dicto citius ab imperatore directi pueri (k) sanctum senem Avernis repertum Treberis regi repraesentant, a quo venerabiliter excipitur. Rex de exitu infelicis conqueritur filiae. Ille vero confisus in Domino, orationi tota nocte incumbit. Deinde missis in os puellae digitis, nequam spiritum a corpore abegit obsesso. Quod miraculum imperator cernens, immensos auri argentique cumulos sacro offert sacerdoti. Quos ille refutans obtinuit hoc, ut Averna civitas, quae tributaria in specie triticea ac vinaria (l) dependebat, in auro solve-

---

(a) qui ex hac vita XIII. Kal. Octob. migravit: cod. praef.

(b) qui jacet ad S. Eucharium; hujus memoria VI. Kal. Martii recolitur: ib.

(c) Sibitius: d'Ach.

(d) Cujus festum decimo Kal. Maji agitur; hic postea translatus fuit per quandam senatricem urbis ad monasterium, quod vocatur Sprenckgyersbach, quod ipsa fundaverat, ubi sunt canonici regulares secundum regulam beati Augustini viventes: cod. praef.

(e) Addit cod. ms. Eberh. Cl.: et vitae mollioris et lubricae, blanda secutus. — Conf. vitam S. Goaris in Act. SS. (Antv. Jul. II. p. 327. seqq.) et Mabill. (Acta SS. O. S. B. T. II. p. 266. seqq.) — Vide etiam notas nostras ad hoc cap. in fine.

(f) Leibn. et Calm. legunt: quatuor.

(g) Quae sequuntur usque ad finem cap., non leguntur in ed. d'Ach.

(h) Quidam codd. mss. habent: accensus; Leibn. et Calm. legunt: assensus.

(i) Sermo est de Theoderico II., Austrasiae rege, qui hic improprie Trevericus imperator dicitur. Vide initium cap. 37.

(k) Sic unanimiter legunt plurimi codd. mss.; sed edd. Leibn. et Calm. habent pium, et cod. Eb. Cl.: missis nunciis. — Adolescentes quandoque pueri dicebantur.

(l) in tritico et vino: sic codd. recentiores.

ret, quia (a) cum gravi labore penui inferebantur imperiali. Sanctus vero Illidius, impleto vitae praesentis tempore, in ipso vitae curriculo migravit ad Christum, a suisque in urbe sua sepultus est.

CAPUT XXXVII.

Eo tempore Theodericus rex ex civitate Avernensi (b) clericos multos adduxit, quos Trebericae ecclesiae ad reddendum Domino famulatum jussit assistere. Beatum vero Gallum nequaquam passus est a se separari.

Defuncto vero Aponoculo episcopo, congregati clerici Treberici ad Theodericum regem sanctum Gallum episcopum petebant. Quibus ille ait: Ite, et alium requirite; Gallum enim dyaconum alibi habeo destinatum (c). Tunc eligentes sanctum Nicetium episcopum statuerunt, abbatem urbis Lemovicinae (d). Cui successit, dato consensu populi ac decreto regis ad ordinandum (e), Magnericus, discipulus ejusdem Nicetii. Cujus temporibus in parochia (f) Trebirorum magnae sanctitatis viri claruerunt: videlicet Paulus super montem Cebennam (g), qui ex ejus nomine hactenus Pauli mons vocatur; Ingobertus, Disibodus, Wandalinus, Carileffus, et quidam Longobardus, nomine Wolfilaycus, et presbyter Bantus, ejusque germanus, nomine et opere Beatus, aliique plurimi heremiticam vitam ducebant (h). Hic Magnericus episcopus templa antiqua Dei in pris-

---

(a) quod. Leibn. et Calm.

(b) Quidam codd. et ed. Leibn.: ex civibus Arvernis.

(c) V. notam ad hoc cap. in fine.

(d) Qui extitit sanctissimae vitae, sicut ejus legenda docet; hujus viri celebritas agitur prima die Octob.: haec addit cod. ms. N°. 1434.

(e) dato consensu &c. &c.: haec desiderantur in cunctis edd. et in quibusdam codd. Cod. Eberh. Cl. habet: cum regis consensu. — Nicetio Magnericum discipulum subrogatum esse, testis etiam est Venantius Fortunatus.

(f) i. e. districtus et quandoque integra dioecesis. Cod. Eb. Cl. legit: in terra Trevirorum. Confer notam ad hoc cap. in fine.

(g) V. notas in fine.

(h) De quibus extant multum pulchrae et aedificatoriae legendae: additur in ms. supra notato.

cum renovavit honorem (a) et in honorem beati Martini ecclesiam construxit unam in monte in pago Vabrensi; alteram in villa, quae Carta-Domus (b) dicitur; tertiam in monte Jurano, qui ex nomine sancti Martini dicitur (c); quartam in ipsa urbe, in qua et ipse post expletum vitae suae cursum tumulatus est (d). Cui successit Gaugericus, discipulus ejus, qui in castro Trebirorum Evosio (e) fuerat educatus.

Hoc quoque mortuo, Sabaudus pontificium (f) subiit; post quem Severinus ecclesiam rexit, divina dignus (g) allocutione, cui dictum est a Domino, ut a sede sua Burdegalam transmigraret ibique verbum Dei praedicaret. Quo tendenti beatus Amandus, illius ecclesiae episcopus, nichilominus a Domino ammonitus, extra castra (h) obviam

(a) Sic Venantius Fortunatus (L. III. carm. 9.) ad Nicetium, Magnerici magistrum:
Templa vetusta Dei renovasti in culmine prisco,
Et floret senior, te reparante, domus.

Castrum Vabrense, ait Gregorius Turon. (l. 9. c. 9.), villae Ursionis propinquum erat. Vocari autem nunc le pays de Vaivre, in notis ad hunc Gregorii locum testatur Ruinartius.

(b) Codd. variant hoc loco; quidam enim legunt: quarta domus, — vasta domus, — cara domus. Nostra lectio cod. ms. St. Math. vindicatur ex scriptore vitae S. Castoris (Antverp. II. Febr. p. 666.), dum de Cardona (Caradona) dicit, esse locum admodum angustum supra ripam Mosellae situm, montibus inclusum: „unde, sicut in „quibusdam scripturis legimus, Carta-domus, quasi Coarta appellabatur antiqui-„tus.“ — Caradona (Caradunum) olim Romanorum castellum, quod confirmatur ex monumentis inibi inventis.

(c) Haec absunt ap. d'Ach.

(d) Cod. praef. habet: In ipsa urbe circa Mosellam, quae fuit vera domus Tetradii senatoris, quem sanctus Martinus ad fidem convertit. — Hujus festum agitur VIII. Kal. Aug. — Cod. ms. Eb. Cl. ad hunc locum addit sequentia: Praesul autem Magnericus episcopatus sui rexit habenas, praesidentibus Romae pontificibus maximis Vigilio, Pelagio atque Gregorio illo magno doctore; Romanum imperium tenentibus Justino, Tiberio, Mauritio; regnantibus Francorum regibus Hylperico, Guntramno et Childiberto. Hunc Magnericum magno laudis praeconio effert Fortunatus Italicus carmine dulcifluo (Lib. III. carm. 11.). Conf. Act. SS. Antv. Jul. T. VI. p. 168. seqq.

(e) Evosio: abest ap. d'Ach. — V. in fine notam ad cap. 86.

(f) d'Ach. et Leibn. legunt: pontificatum. Cod. ms. supra laudatus addit: cujus memoria servatur sexto Kal. Decemb.

(g) dominica dignus: Leibn. — Quae de Severino sequuntur, absunt in ed. d'Ach.

(h) ex castris: Leibn. et Calm.

venit honorificeque introductum suscepit, ipseque loco cessit, Severino sede relicta. Ibi sepultus requiescit. Deinde Modowaldus (a) episcopatum suscepit, temporibus Dagoberti, regis Francorum (b), qui videlicet Dagobertus rex plurima beneficia contulit Treberensi ecclesiae et beato Modowaldo, sicuti in ejus praeceptione potest cognosci, quod congruum hic non duximus sub silentio praeterire (c).

Testamentum Dagoberti, regis Francorum (d).

„Dagobertus, rex Francorum, viris illustribus, ducibus, comiti„bus, domesticis et omnibus agentibus, tam ultra quam citra (e) Rhe„num, vel ultra Ligerim, tam absentibus, quam praesentibus.

„Illud ad augmentum vel stabilitatem regni nostri sine dubio in „Dei nomine credimus permanere, si, sacerdotum vel ecclesiarum „Dei rectis petitionibus annuentes, id, quod nostris auribus patefece„rint, perducimus ad effectum: ideoque vir apostolicus, pater noster, „domnus Modowaldus, archiepiscopus ecclesiae Trevericae, praecep„tum (f) afferens ad nos, praeceptionibus praedecessorum anteriorum „regum, parentum nostrorum, Sigeberti, Theodoberti, Theoderici, „imoque bonae recordationis Hlotharii (g), gloriosi regis, genitoris „nostri, manibus roboratum; in quo erat insertum, quod non solum

---

(a) Al.: Modoaldus.

(b) Francorum: deest ap. d'Ach., et ap. Leibn.non legitur: regis Francorum. Cod. Eb. Cl. addit: Dagoberti primi.

(c) Verba: sicuti in ejus &c. non habent edd. d'Ach. et Leibn.; neque ibidem legitur Dagoberti testamentum.

(d) Exhibent hanc chartam Brow. (Annal. Trev. I. p. 351.) et Honth. (Hist. Trev. dipl. I. p. 76.) — Conf. etiam Zyllesii Defensionem abb. imp. S. Maximini p. 57. seqq. De aera hujus diplomatis Dagobertini multum disputatum est. Auctoritas, quae huic chartae attribuenda sit, a laudato Zyllesio, artis criticae equidem parente, sed etiam monasterii ad S. Maximinum contra archiepiscopos Trevirenses vehementi advocato, magnopere impugnatur. (l. c.).

In editione hujus chartae Zyllesiana circa finem textus legimus: Datae anno incarnationis Dominicae DCXXXXIIJ. Sed Gesta nullam omnino anni notam faciunt (V. infra). — Si charta re vera annum 643 referret, certe Dagoberti I. diploma esse non posset, utpote hoc rege anno 638 jam defuncto.

(e) Quidam codd. habent: circa.

(f) Praeceptum i. e. decretum sive tabula donationum.

(g) Chlotarii II.

„idem genitor noster, verum etiam praefati praedecessores ejus, re-„ges videlicet Francorum, omnes res, quascunque boni et sancti viri, „pro divinae contemplationis intuitu, ad partem sancti Petri Treve-„rensis ecclesiae delegaverunt suorumque praeceptorum auctoritate „confirmarunt, quatenus eorum regnum superno auxilio tueretur et „postmodum ipsi, in aetherio regno, cum Christo fine carente gau-„dere possent: itaque pro rei firmitate idem praefatus praesul Modo-„waldus deprecatus fuit sublimitatem nostram, ut paternum ac prae-„decessorum morem sequentes, hujuscemodi nostrae auctoritatis „praeceptum, ob amorem Dei et reverentiam sancti Petri, de eisdem „rebus fieri juberemus; cujus petitioni libenter assensum praebuimus „et hoc nostrae auctoritatis praeceptum erga ipsam ecclesiam pro „divini cultus amore et animae nostrae remedio fieri decrevimus; per „quod praecipimus ac jubemus, ut omnes res vel facultates ad ec-„clesiam sancti Petri Trevericae urbis pertinentes, scilicet cellam „sancti Hilarii, quae nunc appellatur cella sancti Maximini (a), quae „est in praedio sancti Petri constructa, et cellam sancti Paulini et sancti „Eucharii, et monasterium sanctae Mariae, quod idem praefatus ponti-„fex Modowaldus in territorio sancti Petri nuper a fundamento constru-„xit, quod vocatur Horrea, et basilicam sancti Martini sitam in pago „Maiginensi (b), et ceteras basilicas, castella, vicos, villas, vineas, sil-„vas, homines, vel quicquid, largiente divina clementia, deinceps ad „eandem augmentandam ecclesiam tribuetur, circa Rhenum et Ligerim „fluvium in regno nostro consistentia, omnia sub jure et potestate sancti „Petri Trevirensis ecclesiae ejusque pontificis perpetualiter mancipata (c) „permaneant. Praeterea pari modo etiam statuimus, ut nullus ex publicis „judicibus, vel aliquis ex judiciaria potestate in monasteria (d), ecclesias, „castella, vicos vel agros, loca seu reliquas possessiones praedictae ec-„clesiae, tam ultra quam citra Rhenum vel Ligerim fluvium, in pagis „vel territoriis, quae infra potestatem regni nostri memorata possidet

---

(a) V. notas in fine ad cap. sequens.

(b) Al.: Magniense. Id est: monasterium Mainfeldiae.

(c) Cod. Trev. N°. 1434 habet: mancipatum; cod. Paris.: mancipatura.

(d) Praedictus cod. Trev.: in monasterio

„ecclesia, vel quae deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina „potestas augeri, ad causas audiendas, vel freda (a) aut tributa, aut „conjectos (b) aliquos exigendos, aut mansiones, vel paratas facien-„das, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiae distrin-„gendos, vel (c) injustas exactiones inquirendas, vel teloneum exi-„gendum, nostris et futuris temporibus aggredi audeant, vel ea, quae „supra memorata sunt, nequaquam penitus exigere praesumant. Sed „liceat memorato praesuli suisque succssoribus omnia praefata monas-„teria, villas, vicos et castella, cum suis adjacentibus integrum per-„petuo tempore, pro remedio animae nostrae seu parentum nostrorum, „sicut in praecepto piissimi genitoris nostri continetur, quieto ordine „possidere et nostro fideliter parere imperio. Sed ut hoc nostrae „auctoritatis praeceptum pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem „et a fidelibus sanctae Dei ecclesiae, nostris videlicet praesentibus „et futuris temporibus, verius credatur et diligentius a successoribus „nostris conservetur, manu id propria cum luidis nostris (d) subter-„firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus. Dagober-„tus, rex Francorum (e). Cunibertus, gratia Dei Coloniensis archi-„episcopus. Abbo, Metensis episcopus. Principius, Spirensis epis-„copus. Pippinus, Major domus."

Idem pontifex in palatio Dagoberti regis (f), quod vocatur Horreum, ecclesiam construxit in honore beatae Mariae Virginis (g), ubi et congregationem virginum instituit, quibus praefecit matres (h),

---

(a) Fredum, genus mulctae fisco vel judicio debitae.

(b) Forsan pro collectas?

(c) Quidam codd. mss.: neque. Concordant nostrae lectioni Browerus et Honthemius.

(d) Luidi, Leudi, nominabantur clientes addicti.

(e) Browerus in fine non habet annum a Zyllesio notatum; sed haec ad marginem: Datum anno regni XII., quae verba ap. Zyllesium etiam in textu leguntur. — Anno 622 Dagobertus regnare coepit; haec charta ergo referrenda esset ad an. 634.

(f) regis: abest ap. d'Ach. — Antiquum Romanorum horreum, postea Francorum regum palatium, tum monasterium monialium, hodie est Trevirorum ptochotrophium et nosocomeum.

(g) virginis: non legitur ibid.

(h) Cod. ms. Guelferb. habet: quibus praefecit matres, primo Modestam, vita et nomine, quandam sanctissimam virginem, alumpnam coenobii

primo, Deo dilectam virginem Irminam (a), ipsius Dagoberti regis filiam, deinde Modestam, vita et nomine quandam sacratissimam virginem, alumpnam coenobii montis Romarici (b), quae fuit filia sororis beati Modowaldi, contemporanea beatae virginis Gertrudis. Post Modestam successerunt Anastasia et Basilissa, virgines sanctae (c). Praefato monasterio privilegium ab apostolico acquisitum habet hunc modum (d).

---

montis Romarici, quae ab aliquibus soror beati Willebrordi fuisse putatur. Sic et scribit ed. Leibn. Ed. d'Ach. vero habet: quarum matres fuerunt Irmina et Modesta, filiae Dagoberti. Irminae sororem et alteram Dagoberti II. (non primi) filiam diplomata nominant Adelam. V. infra.

(a) Irmina, Dagoberti II. et Mechtildis Anglo-Britannae filia, comiti Hermanno desponsata, vitam monasticam amplectitur, abbatissae munere fungitur in coenobio Trevirensi Horreo. Sic Praetorii (quondam Prof. Trevir.) Tabulae genealogicae. Francof. a. M. 1745.

(b) Al.: Romarci, Romoraci.

(c) Haec desunt ap. d'Ach. et omnino confuse leguntur ap. Leibn. Cod. Trev. N°. 1434 addit sequentia: Hae sanctae virgines quatuor fuerunt sanctissimae vitae, quarum prima, videlicet S. Irmina, obiit nono Kal Jan., S. vero Modesta pridie Non. Nov., tertia Anastasia decessit quinto Id. Decemb., beata Basilissa migravit ad Dominum IV. Id. Junii. Cod. Eb. Cl. haec habet: Successerunt Irminae aliae virgines in prelatura: Modesta virgo sanctissima, filia sororis S. Modowaldi, huic Anastasia, post Basilissa, regis filia, depost Helia, inde Julia, post Lucia.— Sancta Irmina autem in Witzenburch obiit, ubi pater suus Dagobertus monasterium virorum construxerat.

(d) Haec periodus et charta Leonis non leguntur in edd. d'Ach., Leibn. et Calm.— Quidam codd. habent: Praedictus igitur pontifex (Modowaldus) praefato monasterio privilegium ab apostolico acquisivit, habens &c., sed false; Modowaldus enim neque vixit tempore Leonis II., nec III. Diploma papale, ut nobis videtur, datum est per Leonem tertium Richbodo, archiepiscopo Trevirensi, qui sedit ab an. 795 ad 816. — Cod., N°. 1434 sign., habet simpliciter: Leonis. — In aliis foliis mss. sub titulo: Antiquitates Trevericae, N°. 1216 in bibl. Trev. sign., legimus satis clare ad an. 799: Leo III. post consecratam in Trevirensi patria, Basilicam Prumiensem et Horreense monasterium intra urbem Trevericam multis privilegiis ornatum, sedi suae restituitur anno 800 per Carolum M. Merito hic notamus, historiam hanc Gestorum diplomaticam quae in quibusdam mss. et edd. abest, saeculo XII., per novam Gestorum priorum recensionem, industria Lamberti de Legia, scholastici ad S. Mathiam doctissimi, factam, corpori nostrae historiae, secundum nostram sententiam, esse interpositam. Confer Prolegomena nostra.

Privilegium Leonis tertii papae.

„Ego Leo, vicarius sancti Petri, principis Apostolorum, meritis „quidem impar, vice tamen ipsius dignitate Romani fungor praesula„tus, coenobium Horreense, a sancto Modowaldo, Trevirorum archi„episcopo, subministrante beata Modesta, filia sororis ejus, a regali„bus horreis, a quibus nomen accepit, in divini cultus officium restau„ratum; post decessum beatae virginis Irminae, quae prima hunc lo„cum provehendum suscepit, tanta reverentia et honore adprime „donatum (a), ut, matre istius congregationis vita excedente, nulla „ab extraneis quocunque modo, sed una ex ipsis subrogetur: princi„pibus ecclesiae Trevirensis ex consulto faventibus sororibus electione „potitis; ipso quoque praesule devote annuente. Quod tanta auctori„tate subnixum, in aeternum stabile permaneat et fixum, ut in nomine „Jhesu Christi Domini nostri sanctique praedecessoris Petri et omnium „electorum Dei aeterno servetur dampnandus judicio, si quis praelatus „tanto hic commorantes exinaniverit privilegio. Fiat, fiat! Amen, „amen!“

Saepe memoratus pontifex (b) aliam in palatio antiquo, in suburbio sito (c), congregationem virginum constituit (d), quibus matrem similiter Dagoberti regis filiam, nomine Adhelam, praefecit (e) et ecclesiam sancti Martini in pago Megine construxit (f). Idem venerandus pontifex Modowaldus (g) construxit ecclesiam sancti Simpho-

---

(a) In cod. ms. Eb. Cl. hic locus sic legitur: tanta reverentia et honore decrevimus donare, ut matre &c. &c.

(b) Modowaldus.

(c) quod castrum Julii olim vocabatur, nunc palatiolum: addit cod. Eb. Cl. — Quod tunc erat praedium Majoris domus: legimus in aliis foliis mss.

(d) instruxit: d'Ach.

(e) quibus matrem Basilissam praefecit: sic ibid. Hoc loco, ut nobis videtur, Basilissa non est nomen personae proprium, sed significat reginam, seu regis filiam. In foliis mss. supra notatis legitur: hoc loco Adhelam, filiam Dagoberti viduam, constituit abbatissam. Codd. Francof. bibl. publ., St. Maxim., Guelf. aliique nostro St. Math. concordant. Conf. Testamentum Adelae filiae Dagoberti II. regis, ap. Brow. et Honth. ad an. 690.

(f) construxit: abest ap. d'Ach. — Cod. Eb. Cl. habet: Meyen in Meynfeldia.

(g) Ap. d'Ach.: Item construxit.

riani ad litus Mosellae ibique congregationem virginum esse constituit (a), quarum matrem sororem suam, Severam nomine, instituit (b). Hujus temporibus Paulus inclusus supradictus migravit ad Theolegiam (c), quod (d) praefatus Dagobertus rex in suo proprio construxerat, et ibi aliquantulum mansit, postea vero ecclesiae Virdunensis curam regendam (e) suscepit ibique quievit. Sanctus quoque Modowaldus, postquam sororem suam, beatam Severam, coelesti sponso eam vocante, obeuntem in ecclesia sancti Simphoriani sepulturae tradidit, paulo post et ipse migravit ad Dominum et in eadem ecclesia juxta eam sepultus est (f).

CAPUT XXXVIII.

Huic successit Numerianus (g), cui Basinus, qui fuit abbas cellae sancti Hilarii in territorio Treberensi (h), post quem Lutwinus (i), ipsius Basini ex sorore nepos. Hic, primo Belgicae Galliae dux (k), omnia monasteria hujus urbis largissimis honoravit donariis

---

(a) virginum instituit: ibid. — V. notas ad hoc cap. in fine.

(b) constituit: ibid.

(c) Al. codd. et ed. Leibn.: Theologiam; ed. d'Ach.: Teologium; h. Tholey, quondam monasterium O. S. B.

(d) i. e. monasterium.

(e) regendam: abest ap. d'Ach.

(f) In cod. ms. Trev. S. Agn., N°. 184 sign., legimus notam manu saeculi XV. ad marginem textus scriptam, quae sequentia addit: Hic postea translatus est per Brunonem, archiepiscopum Trevirensem, ad regalem abbatiam de Hellenbrezhusen Paderbornensis dioecesis, ubi in magna veneratione habetur adhuc hodie. Hoc factum in codicibus recentioribus textui interpositum legitur. Alia folia mss. habent: Anno 656 moritur S. Severa et frater ejus S. Modoaldus hic sepelitur in aede S. Simphoriani et postea translatus est in Saxoniam. Cives Trev. olim celebrarunt ejus festum 4. Id. Maj. vocabantque eum patronum, patrem et refugium miserorum.

(g) Post Modowaldum ordinatur sanctus Numerianus, cujus memoria agitur III. Non. Julii. Sic ms. Trev. N°. 1434. V. notas ad hoc cap. in fine.

(h) Male legit d'Ach.: cui Bainus; omnia alia omissa sunt. Ms. praefatum addit: Hujus festum colitur IV. Non. Mart. et jacet in ecclesia S. Maximini epis. in cripta.

(i) Al.: Lutuwinus, Luitwinus, Leodwinus.

(k) qui ex nobilissimo Austrasiorum genere oriundus, quod divisum

et praediis auxit (a). Postea super fluvium Saroam in proprio suo congregationem monachorum (b) instituit, ubi et ipse monasticae vitae habitum suscepit (c). Defuncto avunculo suo Basino episcopo successit (d): electus etiam a Remensibus et Laudunensibus praefuit. In quibus duobus uno die, Deo praestante (e), sacrorum ordinum consecrationem celebravit. Remis obiit (f), et a Milone filio (g) et Trebirensibus relatus, divino dato indicio, ad Mediolacum (h) sepultus est. Quo defuncto, Clodolfo, Metensi episcopo, filio sancti Arnolfi, Metensis quondam episcopi, cui hunc filium Clodolfum et alterum Anchisum pepererat uxor ejus Voda (i), ecclesia Trebirensis regenda committitur. Quam dum regeret Milo, jam dicti Lutwini episcopi filius, non, ut quidam ajunt, ecclesiastica electione, sed tyrannica invasione, quasi paterno jure, occupavit: in quo nichil de clericali (k) honore vel vita, nisi sola tonsura, enituit (l). Ejus vero invasionis ratio haec est:

---

post et variatum Lotharingiae vocabulum obtinuit: cod. ms. Lind.

(a) Cod. ms. Mus. Britan. habet: et divitiis auxit.

(b) monachorum: male omittitur ap. d'Ach.

(c) Cod. Eb. Cl. hoc factum sic refert: Duxerat autem uxorem aetati nobilitatique suae consimilem; qua viduatus, virtuti autem conjunctus, constructo monasterio super Saroam (Saram, Saravum) fluvium in proprio suo, quod Mediolacum (h. Metlach) dicitur, monastici rigoris sumpsit habitum.'

(d) scilicet Lutwinus. Ed. d'Ach. legit pessime: successit Basinus electus. Hic etiam &c. — Cod. Mus. Brit.: suo sancto Basino episcopo, ipse successit. Varia diplomata S. Irminae, Horreensis abbatissae, pro monasterio Epternacensi, quae Miraeus protulit (L. 2. dipl. Belg. et in notitia ecclesiarum Belgii), clare demonstrant, Liutwino ad infulas assumto, Basinum supervixisse et quidem saltem usque ad annum 704. Ambo siquidem episcopi suo corroborant chirographo S. Irminae donationes. — Mabillonius opinatur, Basinum, abdicato episcopatu, ad Trevirense S. Maximini suae primae professionis monasterium se recepisse, ut ibidem, liber ab omnibus curis, rerum divinarum contemplationi operam daret. Conf. Mart. (Ampliss. collect. I. praef. p. XXXI).

(e) praedestinante: id. cod. ms.

(f) Anno 718. III. Cal. Oct., ut quaedam folia mss. recentiora asserunt.

(g) filio suo: ms. Mus. Brit.

(h) Unus codicum mss., quibus usus est Leibnitius, legit: Mediolanum, sed male.

(i) Metensis quondam &c.: non legitur in edd. et plurimis mss.

(k) in eodem clericali &c.: cod. Mus. Brit., sed confuse.

(l) Ibid: vita non sola &c. Manus recentior corrigit: nisi. — In ed. d'Ach. haec

eo enim tempore bella gravia in hac provincia orta sunt inter Karolum (a) et Raginfredum, de principatu contendentes, quem ut Karolus bello obtineret, laicis episcopatum donavit (b) et episcopos (c) nullam potestatem habere permisit. Cum hoc Karolo Milo supradictus ad bellum profectus est, sola (d) tonsura clericus, habitu et moribus irreligiosus laicus (e), et post victoriam episcopatibus Trebirorum et Remorum ab eodem Karolo donatus est. Cujus infelici tempore de his ecclesiis multa ablata sunt (f) et res ab episcopiis divisae, domus religiosorum destructae, ecclesiastica disciplina dispersa (g), adeo ut clerici, sacerdotes, monachi et moniales sine lege ecclesiastica viverent et refugia indebita haberent. Patet hujus calamitatis indicium in plurimis Trebirensis parochiae ecclesiis, in quibus singulis singulae fuerant olim congregationes, quae tam a praefato Milone (h), quam ab aliis tyrannis, ne dicam episcopis, rebus spoliatae, vix unum presbyterum sustentare possunt: sicut sunt (i) ecclesia sancti Medardi, quae sita est prope cellam sancti Eucharii; ecclesia (k) super Saroam (l), quae dicitur Tavena; ecclesia sancti Simphoriani, a beato Modowaldo constructa; ecclesia in honorem sanctae Crucis, jussu beatae Helenae

---

alio modo relata sunt, scilicet: sepultus est, post quem Milo, filius ejus, sacerdotali functus est officio apud Treberos et Remos, primo quidem imitator patris, deinde tyrannus effectus est, nichilque in eo &c. — Revera in vetustis episcoporum Trevirensium indicibus Clodolphi nomen non agnoscitur; potuit tamen ad Milonis initia pervenisse Clodolphus et, ut inquit Browerus, in magna boni moris inopia, Trevirici magistratus aliquam attingere partem.

(a) Cod. Eb. Cl. addit: Karolum Martellum.

(b) Hanc periodum in ed. d'Ach. hoc modo legimus: Eo enim tempore bella graviora et intestina parricidialia in hac provincia orta sunt, quando Carolus tyrannus laicis episcopatus dedit, et &c.

(c) episcopis: Leibn.

(d) sola jam &c.: d'Ach.

(e) laicus: abest ibid.

(f) Ibid. parum accurate: bis de ecclesiis multa &c.

(g) disperdita: cod. Mus. Brit. et ed. d'Ach.

(h) Conf. vitam S. Rigoberti, Remensis archiep., scriptam ab anonymo (ap. Du Chesne T. I. p. 788. c. 4.).

(i) sicut est: cod. Mus. Brit.; sicut et: ed. d'Ach.

(k) ecclesia: deest ap. d'Ach., sed male.

(l) Soroam: ibid. mala lectio.

condita; (a) ecclesia sancti Salvatoris in capitolio (b); ecclesia ad palatium; ecclesia super montem sancti Beati confessoris prope Confluentiam (c); ecclesia sancti Stephani extra castrum (d) Andernacum. Forum quoque, quod erat ante portam mediam constitutum et frequentia comprovincialium (e) satis celebre et famosum, orta inter cives et negotiatores gravi simultate, ex eo loco in Wagasatiam (f) translatum est. Et de his hactenus.

CAPUT XXXIX.

Zacharias igitur papa beatum Bonifacium, doctrina et operatione clarum, Treberensi et Remensi ecclesiis (g) visitatorem et spiritualium negotiorum provisorem constituit (h), cum Milo tyrannus res utrarumque teneret (i). Interea Karolus, ecclesiarum destructor (k), moritur. De quo nocte quadam revelatum est sancto Eucherio (l), Aurelianensi episcopo, quia esset in inferno inferiori (m), qui accito domno Bonifacio, Romanae sedis vicario (n), aliisque boni testimonii viris, sepulchrum Karoli aperuit: sublato autem lapide, serpens mirae

---

(a) ecclesia sancti Remigii ad litus Mosellae: interponitur ibid.
(b) Haec non leguntur ibid.
(c) in Confluentia: minus recte ibid.
(d) claustrum: ms. Mus. Brit., sed male.
(e) Ibid.: provincialium.
(f) Ap. Leibn.: Masgasciam (Wagascram). Cod. Eb. Cl.: Wagalaciam. — Fortasse villa Wadegozzinga in chartis dicta, non procul a Sara eo loco, ubi postero tempore erat monasterium Wadgassen (Wadegotia).
(g) ecclesiae: d'Ach.
(h) Confirmatur hic locus per illa, quae legimus in Chron. Tielensi (ex archetypo primum ed. per Joa. Did. van Leeuwen, Traj. ad Rh. 1789. pag. 21. sq.) his verbis: Quum autem Bonifacius archiepiscopus diversas urbes perlustraret ad dilatandum cultum divinum, quodam tempore devenit ad monasterium puellarum prope Treverim in ripa Mosulae fluminis, cui Adula, venerabilis abbatissa et religiosa valde, tunc praeerat.
(i) utrasque: edd. Leibn. et Calm.
(k) Pippini pater: additur in ms. Trev. N°. 1434.
(l) Leibn. habet: Euchario, sed male.
(m) Vide notas in fine.
(n) Cod. Guelf.: legato, cui manus aliena superscripsit: provicario.

magnitudinis exivit de sarcofago; corpus autem Karoli non est inventum ibi.

In his diebus domnus Zacharias papa, audiens fidem et doctrinam domni Bonifacii, constituit eum archiepiscopum Mogontinae ecclesiae; nam antea Mogontini episcopi (a) suffraganei erant Wormacensium episcoporum.

Milo autem supradictus tyrannus, his ita peractis, venationi inserviens, ab apro percussus moritur in villa, quae dicitur Yranc (b), primo a Treberi milliario, ubi et sepelitur (c) post XL annos suae tyrannicae invasionis (d).

Pipinus vero rex, suggestioni cleri et plebis Trebericae, Hildolfum, claro Nerviorum (e) genere ortum, in Regenesburch autem enutritum, Trebericae metropoli (f) constituit episcopum. Hic construxit ecclesiam (g) in honorem sancti Johannis Evangelistae, juxta cellam sancti Hilarii in campo Martio, in quam (h) corpus sancti Maximini de cella sancti Eucharii transtulit, cum aliis trecentis martyrum corporibus, a Rictio Varo passorum. Quo loco et sua suppellectile et fundis ditato et coenobitis repleto, centenum numerum monachorum constituit (i). Quae videlicet cella (k) in fundo sancti Petri (l) constructa episcoporum Trebirensium multo tempore juri subjacuit; donec unus eorum adula-

---

(a) et Colonienses: addit ed. d'Ach., sed male.

(b) Al.: Yrano, Irane, male, sed pessime Arno in ms. Mus. Brit. — h. Ehrang, vicus infra Treviros, ad viam regiam, quae Witliacum ducit, e regione illius fluminis, qui in Gestis (cap. 22.) nominatur Belgis, in Ausonii Mosella (v. 359.) Gelbis. Quidam Mosellae Aus. codd. mss. etiam habent, ut Gesta, Belgis (h. Kyll).

(c) sepultus est: d'Ach.

(d) Nullibi constat, eum episcopum consecratum esse. — V. notam ad hoc cap. in fine.

(e) Mendose, ut asserit Browerus noster, pro Noricorum.

(f) civitati: d'Ach.

(g) Varii codd. et ed. Leibn.: monasterium. Cod Trev. Lind. addit: Erat autem tunc temporis d. Maximini ecclesia ruinosa et penitus destituta devastatione Barbarorum.

(h) in qua: d'Ach.

(i) Edd. d'Ach. et Leibn.: Quem locum et sua supellectile et fundis ditatum, et coenobitis repletum, centenum &c. — Ms. Mus. Brit legit: coenobiis repletis, sed pessime.

(k) Conf. notas ad hoc cap. in fine.

(l) Petri: abest in cod. Guelf.

tione dampnabili cuidam reginae ad nuptias eandem cellam cum castello, quod dicitur Sericum (a), dono dedit et sic deinceps a regibus detenta est. Hic denique (b) post aliquot annos episcopatum suum relinquens, in saltu Vosagi, Tullensis parochiae, cellas tres construxit, in quarum media monachus factus, Deo sub abbatis imperio militavit, ubi et requiescit; cui tamen, quamdiu vixit, alius in episcopatu non successit (c).

Defuncto vero Hildolfo (d) successit Weomadus, et hic fuit abbas cellae sancti Maximini (e). Hic cellam sancti Goaris ad jus sancti Petri transferre conatus est; sed violentia regis (f) Pipini conatus ejus impeditus est (g). Praeceptum tamen regiae auctoritatis ab eodem Pipino super cellam sancti Maximini et aliis rebus ecclesiae Trebirensis, et a Karolo Magno, Pipini filio, obtinuit. Quod, qui scire voluerit, in praesenti (h) invenire poterit.

(a) In uno cod. ms., quo usus est Leibn., legitur: Uricum. — Nota marginalis posterior ms. Trev., N°. 184 sign., addit ad verbum Sericum: Sirck.

(b) Hic itaque: Leibn.

(c) Ed. d'Ach. habet haec pauca: Hic denique post aliquot annos episcopatum suum relinquens, in saltu Vosagi cellam sibi construxit, in qua et requiescit, cui successit Wiemadus. — In calendariis vetustis notatur, Hildolphum e vivis decessisse V. Id. Jul. an. 778.

(d) Hildolfo: deest in ms. Guelf. et in ed. Leibn. — Mabillonius (Annal. Bened. Lib. XV. num. 58.) scribit, se veterem catalogum Trevirensium episcoporum vidisse, in quo Hildulfus omissus est; sed observat Honthemius (Hist. Tr. dipl. I. p. 84. nota c.): „Archiepiscopatum Hildulphi probant omnes ejus vitae, quarum tres sunt; „probat et hoc privilegium" (ibidem impressum) „quod tot episcoporum auctoritate ro- „boratum concedere non potuisset, si Trevirensis vere episcopus non fuisset."

(e) Verba: et hic fuit abbas &c. non leguntur in ed. d'Ach.

(f) regis: abest ibid.

(g) In uno nostrorum mss. recentiorum hocce loco interposita sunt sequentia: „Anno in- „carnationis Dnice 760. Prumiense monasterium a Pipino rege Francorum et ejus uxore „Bertha fundatur et aedificatur, ac per Lotharium, etiam quendam Francorum regem „ac ejusdem monasterii monachum, ampliatur, a Leone papa consecratur 7. Kalendas „Augusti, in praesentia 366 episcoporum. Anno Dni. 855 Lotharius obiit." Sermo est de Lothario I. imperatore, qui imperio se abdicat, vitam monasticam Prumiae amplectitur ac diem obit supremum anno 855. 3. Kal. Octob.

(h) in praesenti: deest in edd. — In quibusdam mss. omnia haec: Quod, qui &c. omissa sunt.

Testamentum Pipini regis (a).

„In nomine Domini Dei aeterni et Salvatoris nostri Jhesu Christi. „Pipinus divina ordinante providentia rex Francorum.

„Si liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis quiddam con„ferimus beneficii, et necessitates ecclesiasticas ad petitiones sacer„dotum nostrorum relevamus juvamine atque regali tuemur munimine: „id nobis et ad mortalem vitam temporalem transigendam, et ad ae„ternam felicitatem obtinendam, profuturum liquido credimus. Proinde „noverit omnium fidelium nostrorum, tam praesentium quam et futu„rorum, sagacitas, quia vir venerabilis Wiomadus, sanctae Trevirensis „ecclesiae archiepiscopus, obtulit obtutibus nostris praeceptum ante„riorum regum Francorum, in quo erat insertum, quod praedecesso„res nostri, reges videlicet Francorum, omnes res, quascunque boni „et sancti viri pro divinae contemplationis intuitu ad partem sancti „Petri Trevirensis ecclesiae delegaverunt, suorum auctoritatibus con„firmaverunt, quatenus eorum regnum superno auxilio tueretur et „postmodum cum Christo, rege regum, regnarent in coelis. Pro rei „vero firmitate idem praefatus Wiomadus postulavit celsitudinem nos„tram, ut paternum seu praedecessorum regum morem sequentes, hu„juscemodi nostrae auctoritatis praeceptum, ob amorem Dei et reve„rentiam sancti Petri, de iisdem rebus fieri juberemus; cujus petitioni „libenter consensum praebuimus et hoc nostrae auctoritatis praeceptum „erga ipsam ecclesiam pro divini cultus amore et animae nostrae re„medio fieri decrevimus, per quod praecipimus atque jubemus: ut „omnes facultates vel res ad ecclesiam sancti Petri Trevericae urbis „pertinentes, scilicet cellam sancti Maximini, quae est in territorio „sancti Petri, principis Apostolorum, constructa, et ecclesiam sancti „Paulini et sancti Eucharii, et monasterium sanctae Mariae, quod „domnus Modowaldus, pontifex ejusdem ecclesiae, in territoriis sancti „Petri a fundamento construxit, quod vocatur Horrea, et ecclesiam „sancti Martini in pago Ambitivo (b) constructam, et ceteras basili-

(a) In edd. desideratur haec charta; legitur vero ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. I. p. 120.)

(b) Ambitarino. Conf. diploma Dagoberti supra relatum, in quo hic pagus nominatur Maiginensis.

„cas, castella, vicos, villas, vineas, silvas, homines, vel quicquid, „Deo donante, ad eandem ecclesiam deinceps augmentetur (a) circa „Rhenum et Ligerim fluminum in regno nostro sistentia (b), omnia „sub jure et potestate sancti Petri Treverensis ecclesiae ejusque pon„tificis perpetualiter mancipatura (c) permaneant. Praeterea pari modo „etiam statuimus, ut nullus ex publicis judicibus, vel aliquis ex judi„ciaria (d) potestate, in monasteria, ecclesias, castella, vicos vel ag„ros, loca seu reliquas possessiones praedictae ecclesiae, tam ultra „quam juxta Rhenum vel Ligerim fluminum, in pagis vel territoriis „infra potestatem regni nostri memorata possidet ecclesia, vel quae „deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri ad „causas audiendas, vel freda aut tributa, aut conjectos aliquos exi„gendos, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollen„dos, aut homines ipsius ecclesiae distringendos, neque injustas ex„actiones requirendas, vel theloneum exigendum, nostris et futuris „temporibus ingredi audeat, vel ea, quae supra memorata sunt, penitus „exigere, nequaquam praesumant; sed liceat memorato praesuli suis„que successoribus, omnia praefata monasteria, villas, vicos et cas„tella cum suis adjacentibus integrum perpetuo tempore pro remedio „animae nostrae, seu parentum nostrorum, quieto ordine possidere „et nostro fideliter parere imperio (e), atque pro incolumitate nostra, „et conjugis et prolis, seu etiam totius regni a Deo nobis collati, et „ejus clementissima miseratione per immensum conservandi, una cum „clero et populo sibi subjecto, Dei immensam clementiam jugiter ex„orare et quicquid de praefatae rebus ecclesiae jus fisci exigere po„terat, integrum eidem concessimus ecclesiae, scilicet, ut perpetuo „tempore ei, ad peragendum Dei servitium, augmentum et supple„mentum fiat. Hanc itaque auctoritatem nostri praecepti, ut pleniorem „in Dei nomine obtineat vigorem et a fidelibus sanctae Dei ecclesiae,

---

(a) Ap. Honth.: augmenti; cod. Paris.: augmentaretur.
(b) Omnia haec, ut in diplomate Dagobertino.
(c) mancipata: ap. Honth.
(d) judiciali: ms. Trev., N°. 1434 sign.
(e) Honth. legit: mandato.

„et nostris videlicet praesentibus et futuris temporibus verius cre-„datur et diligentius a successoribus nostris conservetur, ea manu „propria subterfirmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus. „Signum Pipini percellentissimi regis. Ego Joseph subdiaconus ad „vicem Wolfardi recognovi. Data XV. Kal. Julii. Indictione IIII. (a). „Anno IX., regnante Pippino inclyto rege. Actum Tulpiaco, in Dei „nomine feliciter (b).“

Karolus, rex Francorum, domino Weomado (c), archiepiscopo Trevirensi de eodem.

„In nomine Domini Dei aeterni et salvatoris nostri Jhesu Chisti. „Karolus divina ordonante providentia rex Francorum. Si libe-„ralitatis nostrae munere, locis Deo dicatis quiddam conferimus be-„neficii et necessitates ecclesiasticas ad petitiones sacerdotum nostro-„rum relevamus juvamine atque regali tueamur (d) munimine: id nobis „et ad mortalem vitam transigendam, et ad aeternam feliciter obtinen-„dam, profuturum liquido credimus. Proinde noverit omnium fidelium „nostrorum, tam praesentium, quam et futurorum, sagacitas, quia vir „venerabilis Wiomadus, sanctae Trevirensis ecclesiae archiepiscopus, „obtulit obtutibus nostris praeceptum domini et genitoris bonae me-„moriae Pipini regis, in quo erat insertum, quod non solum idem „genitor noster, verum etiam praedecessores ejus, reges videlicet „Francorum, quascunque boni et sancti viri pro divinae contemplatio-„nis intuitu ad partem sancti Petri Trevirensis ecclesiae delegaverunt

---

(a) Sic nostri codd. mss. — Honthemius scribit: indict. XIII. — Certum est, indictionem quartam non convenire anno Pipini regiminis nono. Conf. Mabillonium de re diplom. L. II. c. 3. num. 6. Hoc diploma quibusdam interpolationibus non carere, Broweri, Mabillonii et nostra suspicio est.

(b) Cod. Paris.: fideliter.

(c) Al.: Wiomado. — In quibusdam mss. hic titulus abest. — Habent hoc diploma Caroli M. de anno 773 Brow. et Honth., et legitur corruptum in Stemmat. Lotharing. L. I.; deest vero in multis mss. et in edd. Gestorum. — Substantiam diplomatis ejusque argumentum a stylo curiae Caroli M. minime alienam esse, observarunt Mabillonius, Heumannus et Honthemius; etsi indictio apposita non satis conveniat.

(d) tuemur: Brow. et Honth.

„suorumque auctoritatibus confirmaverunt, quatenus eorum regnum „superno auxilio tueretur et postmodum cum Christo, rege regum, „regnarent in coelis. Pro rei vero firmitate idem praefatus praesul „postulavit celsitudinem nostram, ut paternum, seu praedecessorum „regum morem sequentes, hujuscemodi nostrae auctoritatis praecep- „tum, ob amorem Dei et reverentiam sancti Petri de eisdem rebus „fieri juberemus. Cujus petitioni libenter assensum praebuimus et hoc „nostrae auctoritatis praeceptum erga ipsam ecclesiam, pro divini „cultus amore et animae nostrae remedio fieri decrevimus, per quod „praecipimus atque jubemus, ut omnes res vel facultates, ad ecclesiam „sancti Petri Trebericae urbis pertinentes, scilicet cellam sancti „Maximini, quae est in territorio sancti Petri, principis Apostolorum, „constructa, et cellam sancti Paulini et sancti Eucharii, et monaste- „rium sanctae Mariae, quod dominus Modowaldus, pontifex ejusdem „ecclesiae, in territorio sancti Petri a fundamento construxit et quod „vocatur Horrea, et ecclesiam sancti Martini, sitam in pago Magin- „inse (a), et ceteras basilicas, castella, vicos, villas, vineas, silvas, „homines, vel quidquid, Deo donante, ad eandem augmentetur (b) ec- „clesiam, circa Rhenum et Ligerim fluminum (c), in regno nostro „consistentia, omnia sub jure et potestate sancti Petri Treverensis „ecclesiae ejusque pontificis, perpetualiter mancipatura (d) permane- „ant. Praeterea pari modo statuimus, ut nullus ex publicis judicibus, „vel aliquis ex judiciali potestate, in monasteria, ecclesias, castella, „vicos et agros, seu reliquas possessiones praedictae ecclesiae, tam „ultra quam juxta Rhenum vel Ligerim fluminum, in pagis vel terri- „toriis, quae infra potestatem regni nostri memorata possidet eccle- „sia, vel quae deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina po- „testas augeri, ad causas audiendas, vel freda, aut tributa, aut con- „jectos aliquos exigendos, aut mansiones vel paratas faciendas, aut „fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiae distringendos,

---

(a) Meginense: ibid.
(b) augmentatur: ibid.
(c) fluvium: ibid.
(d) mancipata: ibid.

„aut (a) injustas exactiones requirendas, vel theloneum exigendum, „nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quae supra me- „morata sunt, penitus exigere nequaquam (b) praesumat; sed liceat „memorato praesuli suisque successoribus, omnia praefata monasteria, „villas, vicos et castella cum suis adjacentibus, in integrum perpetuo „tempore, pro remedio animae nostrae, seu parentum nostrorum, ut „in praecepto piissimi genitoris nostri continetur, quieto ordine pos- „sidere et nostro fideliter parere imperio. Sed (c), ut hoc itaque „nostrae auctoritatis praeceptum pleniorem in Dei nomine obtineat „vigorem et a fidelibus sanctae Dei ecclesiae, nostris videlicet prae- „sentibus et futuris temporibus, verius credatur et diligentius a suc- „cessoribus nostris conservetur, ea manu propria firmavimus et annuli „nostri impressione signari jussimus.“

„Signum Karoli, gloriosissimi regis. Suavis ad vicem Ercanbaldi „recognovi. Data Kal. Septembris. Anno VI. regnante Karolo piis- „simo rege, Indict. XI. (d) Aristalio palaciolo, in Dei nomine, Amen.“

CAPUT XI.

Defuncto itaque Weomado (e), **Richbodus** ordinatur episcopus (f); deinde **Wazzo** (g), qui ambo, alter alteri succedens, abbates extiterunt Mediolacensis coenobii (h). Post quos (i) **Hamularius**

(a) Al.: neque.
(b) nequaquam: deest ibid.
(c) Sed: ibid. deest.
(d) Honth. legit: Indict. IX. — Brow., ex quo hausit Honth., legit nobiscum: Ind. XI.
(e) Cod. Eb. Cl. habet hanc amplificationem: Digne tandem pro meritis renumerandus Weomadus archiepiscopus vitam cum morte mutans, sepultus est in basilica cenobii S. Maximini. — Eo mortuo: edd. d'Ach. et Leibn. — VI. Id. Novemb. (791) addit cod. ms. Trevir. N°. 1434; sic et Fasti St. Maximiniani.
(f) Annales Francor. Loiseliani mortem Richbodi referunt ad 1. Octob. anni 804. Concordant Annales Fuldenses et quidam alii. — Cod. Eb. Cl.: Rychboldus, qui fuit abbas Mediolacensis. V. notas in fine.
(g) Al.: Wazo, Wizo, Wasso.
(h) qui ambo &c.: haec omnia absunt ap. d'Ach.
(i) quem: ibid.

Fortunatus (a), cardinalis Romanus, qui librum officiorum conscripsit (b). Hic missus est a Karolo Magno Constantinopolim propter pacem cum Michaele imperatore firmandam (c). Qui etiam (d) Karolus multum marmor et museum (e) plurimum de Treberi ad Aquis palatium vexit et beato Petro ad vicissitudinem munera dedit. Tempore Hamularii Saxonicum bellum, XXX annis protractum, fuerat terminatum (f).

Post Fortunatum Trebirorum ecclesiae Hetti praefuit (g), abbas Mediolacensis (h). Hic ammonitus in visu a sancto Materno, in vicesimo tertio anno (i) Ludowici imperatoris, asportavit corpus sancti Castoris de loco, qui vocatur Cardena (k), ad Confluentiam, ad monasterium, quod ipse ex lapidibus quadratis construxerat, et V. Id. Decembris (l) consecravit in honore sancti Castoris (m) et omnium confessorum, et post consecrationem sanctum corpus in ecclesia recondidit ibique Ludowicus imperator multa dona (n) praesentavit. Dicunt eum aliqui (o) res ecclesiarum sancti Eucharii et sancti Luttwini (p) principibus suis in beneficium tradidisse.

Post XXVII (q) annos sui sacerdotii obiit et sepultus est in mo-

---

(a) Amularius: ibid. — Fortunatus Secundus, qui et Hamularius: Cod. Eb. Cl.

(b) composuit: d'Ach. Vide notas nostras ad hoc cap. in fine.

(c) Conf. Reginonis nostri Chronicon ad annum 813.

(d) etiam: non legitur ap. d'Ach.

(e) Leibn. et Calm. habent: musivum. Vide notas ad hoc cap. in fine.

(f) Hic locus: Tempore Hamularii &c. abest in edd. et in plurimis codd.

(g) Treberis praefuit Hetti: d'Ach. V. additamentum in fine.

(h) Mediolanensis: ibid., sed male.

(i) Anno 837.

(k) Al.: Cardona, Cardenna. Conf. Appendicem duorum annorum ad historiam Thegani, chorepiscopi Trevirensis, his temporibus coaevi, de gestis Ludowici Pii imperatoris.

(l) secundo Id. Decemb.: d'Ach. — Ex lapidibus quadratis: non legitur in edd. et plurimis codd.

(m) Castoris: deest in quibusdam mss. et ap. Leibn.

(n) Domino: additur in edd. Leibn. et Calm.

(o) Dicunt enim aliqui: Cod. ms. Mus. Brit., sed male. — Dicunt eum quidam: d'Ach:

(p) Al.: Liutwini. — Ecclesia S. Lutwini, i. e. Mediolacense monasterium.

(q) Post triginta annos: d'Ach. — Al.: XXXVII. — Brow., ut Cardonensium litteris

nasterio sancti Eucharii ante altare sancti Johannis Baptistae in absido aquilonali (a). Ad cujus dexteram in altera abside requiescit vir valde magnificus (b), in germinis nobilitate clarus (c), ejusdem Hetti germanus (d), nomine Ruthgaudus (e).

CAPUT XLI.

Anno Dominicae incarnationis octingentesimo quinquagesimo primo cathedram Hetti Thietgaudus (f) obtinuit. Hic simplex seductus est a Lothario, rege et adultero (g), et Gunthero, Coloniensi episcopo (h), et consensit in dejectione (i) Tietbergae, uxoris ejusdem Lotharii, falso accusatae; immo definivit in synodo (k), quod scilicet ipsa confessa fuisset, semetipsam fratris germani incestuoso pollutam fuisse concubitu: hanc enim falsam infamiam Lotharius cum his

---

consignatum invenit, illum mortuum esse dicit anno 850, Honth. vero anno 847 secundum Reginonis Chron.

(a) in absida aquilonari: Leibn.

(b) vir valde magn.: non legitur ap. d'Ach.

(c) magni germinis nob. &c.: ibid. — in Germanis nobil. &c.: Leibn.

(d) ejusdem Hetti germ.: non habet d'Ach. — Al.: Heti.

(e) Al.: Ruothgaudus. D'Ach. legit: Rotgarus. — Hujus episcopi (Hetti) sepulturae vestigia quaedam in editiore templi parte vel abside septentrionali Browerus adhuc vidit, ubi, literis detritis, episcopi tamen effigies emicabat in strato lapide.

(f) Al.: Theutgaudus, Thegaudus. Hetti ex fratre nepos: addunt alia mss. Anno 847 secundum Annal. Metenses ad hunc annum. Errat Mabillonius, qui (Annal. Bened. II. Lib. XXX. num. 8.) Thietgaudum archiepiscopum Trevirensem cum Thietgaudo, abbate Epternacensi, anno 832 defuncto, confundit.

(g) a Lothario rege adultero: d'Ach. — Quidam codd. mss. legunt false: imperatore. Sermo est de Lothario II., Lotharii imperatoris filio secundo. — Conf. Hincmarum de divertio Loth. et Thietbergae. Annal. Metens. scribunt de Thietgaudo: Vir simplex, nec in divinis scripturis eruditus, nec canonicis sanctionibus exercitatus. — Guntharius (Guntherus) Coloniensis virum improvidum secum in foveam trahit, coecus coeco ducatum praestans. — Lotharius rex in epistola I. ad Nicolaum P. (Bouquet VII. p. 567.) Thietgaudum Trevirensem dicit simplicissimum ac innocentissimum virum.

(h) archiepiscopo: d'Ach.

(i) in desertionem: Leibn. et Calm.

(k) Cod. Eb. Cl. habet: in concilio synodali. Hoc Metense conventiculum refert, scriptor Francicor. Annalium (qui sub nomine Hincmari Remensis Annales cogniti sunt) ad annum 863.

episcopis composuerat, cupiens hoc modo reginam abjicere et Waldradam, sororem ejusdem Guntheri, Coloniensis archiepiscopi (a), quam ipse Lotharius adolescens concubinam habuerat, in regnum assumere. Quod cum judicio episcoporum adeptus fuisset, Thietgaudus et Guntherus a papa Nicholao Romam pro his causis evocati sunt ibique omni ecclesiastica dignitate privati, depositi sunt (b). Hujus quoque Thietgaudi episcopi anno VI. Treberis visus est canis sedere super cathedram ejus episcopalem (c). Cumque iterum atque tertio (d) sedem apostolicam restitutionis gratia adissent et non profecissent; novissime Nicholao papa defuncto Adrianus successit, cujus liberalitate Thietgaudus in monasterio sancti Gregorii mansionem suscepit. Cui sanctus Gregorius apparens in somnis, monuit semel et iterum (e), ut recederet et mansionem Sancti perturbare, quod illicitum esse ipse Gregorius disposuit, desineret (f). Et cum hoc facere Thietgaudus dissimularet, tertio est correptus de inobedientia et de fatigatione apostolica. Apparuerat enim ei sanctus Gregorius, ducens dextera manu Andream Apostolum (g), cujus nomini ipsa basilica constructa fuit, et responsum accepit, quod a momentanea quidem morte liberaretur, sed patria cum suis privaretur (h). Quod cum omnibus, quibus potuit, revelaret et aliud hospitium a pontifice impetrare

(a) Verba: sororem ejusdem &c. desunt in ed. d'Ach. — Annal. Metens. scribunt: ejusdem episcopi neptem.

(b) De hac depositione fusius agit in suo Chronico Regino ad an. 865. Conf. etiam Annales Franc. Bertinianos ad an. 857 et seqq., et Histor. pontificiam Anastasii Bibliothecarii in vita Nicolai I. papae.

(c) Haec periodus legitur ap. d'Ach. in fine capitis.

(d) Praefati Annal. Bert. ad an. 864 scribunt: Guntharius (Guntherus), quicquid de thesauro ecclesiastico in eadem civitate (Coloniensi) fuit residuum, auferens, Romam — regreditur.

(e) Quidam codd. habent: in somnis semel et iterum apparens monuit. Leibn. legit: in somnis scilicet et iterum apparens &c.

(f) In ed. d'Ach. haec sic leguntur: et mansionem Sancti non perturbaret: quod quam illicitum esset, ipse Gregorius exposuit, ut desineret.

(g) sibi ducens, omissis verbis: sanctus Gregorius: Leibn. — Apparuerat enim huic ductu dextrae manus Petrus, praeeunte cum lumine beato Andrea Apostolo: d'Ach. — Johannes Diaconus (in vita Gregorii M. lib. IV. c. 94.) horum temporum aequalis, eandem habet narratiunculam.

(h) cum suis omnibus &c. d'Ach. — sed propria cum suis &c.: Leibn.

non posset, apud Sabinos concedens (a) eodem anno cum suis (b) vita privatus est. Lotharius vero rex (c) apud Placentiam divinitus percussus moritur. Cum quo pariter totum regnum, quod ex ejus nomine Lotharingium appellatur, corruit (d). Castellum etiam Lotharii, non longe a Treberis super Saroam, ex illo tempore desertum est.

CAPUT XLII.

Anno Dominicae incarnationis DCCCLXX (e) Bertolfus, abbas Mediolacensis, fit episcopus Treberis (f), consanguineus Adventii, tunc temporis Metensis episcopi. Qui Adventius, cum Lotharium regem in Placentia (g) mortuum cognovisset, Karolum fratrem (h) ejus, qui in Provincia regnabat, Metis evocatum, adjuncto sibi cum aliis episcopis Hincmaro, Remensi archiepiscopo, regem Lotharingiae et

---

(a) Cod. Eb. Cl.: considens. Cod. S. Agn.: consedens.

(b) cum Gunthero et suis omnibus: d'Ach. — cum suis omnibus: Leibn. — Anno 869. — Browerus ejus obitum ad annum 870 differt ex documentis quibusdam Cardonensis ecclesiae.

(c) Cod. Eb. Clus.: Lotharius autem imperator adulter. — Lotharius quoque rex &c.: d'Ach.

(d) Post mortem Lotharii II., anno 869, octavo Idus Augusti, avunculi ejus, Ludovicus Germanicus et Carolus Calvus regnum Lotharii seu Lotharingiam inter se dispertiunt anno 870, in Procaspide ad Mosam. Hanc divisionem Baluzius exhibet. Mosa fluvius velut limes decumanus inter utriusque sortem constituitur. Ludovicus vero Germanicus semissim suam Ludovico II., fratri Lotharii, tanquam haeredi proximiori, cedit an. 872. — Anno 878 facta est conventio Ludovici II. cum rege Francorum occidentalium, Ludovico Balbo, ad Furonas, vi cujus illi dimidia pars regni Lotharingici conceditur. (Annal. Bertin. ad an. 878. — Acta conventus Furonensis ap. Baluz. Capitular. II.)

(e) Cod. Mus. Brit.: DCCCLXVI. — Ed. d'Ach.: DCCCLXVIII. — Ed. Leibn.: DCCCLXIIII., sic et plurimi alii codd. variant; sed male.

(f) Leibn. et Calm. legunt: Treberorum. — Cod. Eb. Cl. aliam plane hujus loci habet constructionem, hanc scilicet: Treviri autem, cognita morte archiepiscopi sui Thietgaudi, constituunt in locum ejus metropolitanum Bertolfum, abbatem Mediolacensem, nepotem Adventii &c.

(g) in Placia: cod. Mus. Brit.

(h) Lotharii Junioris frater, Carolus rex Provinciae, jam anno 863 e vivis decesserat. — Gestorum scriptor Carolum, Lotharii fratrem, cum Carolo Calvo, Lotharii avunculo, permiscuit. V. supra notam nostram.

Provinciae (a), consecravit cognatoque suo Bertolfo, ut daret archiepiscopatum Treberensem, obtinuit. Hic villam, quae dicitur Marcia (b), de manu regia comparavit. Anno V. Bertolfi moritur Adventius, Metensis episcopus, et Walo ei substituitur, cui ordinationis suae anno secundo transmissum est pallium a Johanne papa cum litteris docentibus, quibus hoc festis foret usurus. Bertolfus vero metropolitanus audiens Walonem, in die sancto (c) paschae cum pallio procedere, missis litteris Treberis evocatum percunctatus est, quando, vel quomodo, vel a quo procedere cum pallio ei fuerit concessum? Walo, lecto in auribus omnium (d), qui aderant, quod sibi a papa transmissum fuerat de usu pallii privilegium, asseruit, non se primum, sed quintum fuisse, quem apostolica sedes hoc honore dignata sit sublimare, salva tamen in omnibus metropolitano (e) subjectione. Primum fuisse Urbitium, secundum Pippini regis ex sorore nepotem Crodegangum, tertium Angelramnum, quartum Drugonem (f), Karoli Magni imperatoris filium. Bertolfus his assertionibus non satisfactus (g), capitulo canonum lecto (h), quo asseritur: nulli suffraganeorum novum, et quod non ab omnibus in ecclesia sua praedecessoribus habebatur, absque metropolitani (i) sui consilio et licentia praesumendum; interdixit ei per sanctam, quam in omnibus ecclesiasticis negotiis sibi deberet obedientiam, ne ulterius (k), nisi ab eo petita et concessa licentia, pallio uteretur. Cumque Walo apostolicam auctoritatem praetenderet, archiepiscopus vero metropolitanorum privilegia (l) defenderet, grandis utrimque conflata est inimicitia. Hincmarus igitur, reverendissimus Remorum archiepiscopus, et eloquen-

(a) Lotharingiae provinciae: Leibn.
(b) Marcetum juxta Saram, h. Merzig.
(c) in secundo die: d'Ach., sed male.
(d) in omnibus auribus: ibid.
(e) Metropolitani: d'Ach. et Leibn.
(f) Al.: Angelrannum, Drogonem. — Cod. ms. Stuttg.: Drůgonem.
(g) flexus: d'Ach.
(h) Loco: ap. Leibn., sed male. — V. notas ad hoc cap.
(i) Metropoli: Cod. Mus. Brit.; mala lectio.
(k) Ibid.: ulterius non ab eo &c.
(l) jura: d'Ach.

tia clarissimus, audiens hanc dissidentiam, epistolam Waloni transmisit, sapientiae ac sani (a) consilii sale conditam, per quam eum ad metropolitani sui instruxit obedientiam, et sic restituit concordiam. Fuit enim iste Bertolfus multum acer et impatiens in talibus (b) suffraganeorum suorum praesumtionibus et suae ecclesiae privilegium non passus est in aliquo temerari (c). Nam literas Romani pontificis pro eadem Walonis praesumptione, nec pro episcopi Virdunensis ordinatione (d) contra suam voluntatem sibi transmissas, noluit suscipere. Anno episcopatus ejus duodecimo coelestis vindicta venit super Lotharingiam, regnum Lotharii supradicti regis adulteri et excommunicati.

Denique Northmanni, qui ante complures annos (e) exierant et civitatem Namnetis (f) combusserant episcopumque ejus sabbatho sancto paschae, dum fontes benediceret, cum clero suo trucidaverant; dehinc potentes civitates Andegavis, Turonis, Pictavis, Leodium, Trajectum, Tungrum, Coloniam, Bunnam, Tulpiacum, Juliacum, Nuisa (g), Aquis, Hindam (h), Malmundarium, Stabulaus, Prumiam, Numagen (i) regium castrum, igne et ferro adnichilaverunt. Treberici ergo, inito cum sapientioribus (k) consilio, quidquid in civitate ecclesi-

---

(a) Male scribit Cod. Mus. Brit.: salute consilii. — Epistolae Hincmari ad Walonem quoque meminit Frodoardus in Hist. eccles. Remens. L. III. c. 23.

(b) Ibid.: impatiens cum talibus.

(c) Ibid.: temperari.

(d) ordinatione: deest ap. d'Ach.

(e) Anno 852, tempore Thietgaudi episc.

(f) Namnetae, Nannetes (h. Nantes). Quidam codd. (Mus. Brit., Trev. N°. 184, N°. 1434 et Eb. Cl.) habent false: Mettis, aut civitatem Metensem.

(g) d'Ach.: Nussam, Leibn.: Niusa et Niusam (Novesium, h. Neuss).

(h) d'Ach.: Indam. — Indense monasterium: scribit Browerus.

(i) Cod. Eb. Cl. false addit: juxta Mosellam situm. Rectius dixisset: Neomagum, juxta Wahalim situm, ubi regium palatium Caroli M. cum castro destruxerant Normanni (circa finem anni 881). Gestorum scriptor minus accurate urbium situm, (juncta est enim Prumia Neomago ad Wahalim) hocce loco observat; etiam non satis apte quoad chronologiam haec res tractata est. Plurimas hic nominatas urbes jam anno 881 invaserant Normanni; Prumiense vero monasterium devastatum dicit Regino noster, mense Januar. anni 882. Interim de Chronico Reginonis monere nobis liceat, chronologiam in vulgatis exemplaribus non raro esse corruptam. Nos codice ms., olim Prumiensis coenobii, modo Trevir. bibliothecae, probatissimo usi sumus. — Ap. d'Ach. legitur Neomagum; ap. Leibn.: Numago.

(k) d'Ach.: sapientibus.

astici census vel ornatus fuerat, in subterraneis occultant specubus; sarchofaga etiam sanctorum altius terrae immergunt, ne sanctorum reliquiae ludibrio essent barbarorum vesaniae. Erat itaque in monasterio S. Paulini cripta, ubi circa ipsius sancti sarchofagum ferreis catenis suspensum, tredecim jacebant (a) corpora martyrum, quorum nomina aureis litteris in ejusdem criptae parietibus erant descripta. Religiosi igitur, qui tunc erant christiani, timentes, ne per hujus scripturae indicium ludibrio, ut dictum est, fierent hostibus sarchofaga, vel ipsa etiam ossa martyrum; salubre iniere consilium, ut scilicet ablatis de parietibus litteris, nomina eorundem martyrum, insuper qui fuerint (b), unde venerint, quando, quomodo, a quo occisi sint, in plumbea scriberetur tabula, ubi quandoque possent inveniri, (c) et horum omnium (d) translationis causa et martyrum nomina et merita. Taliter autem scripserunt in tabula plumbea: (e) „In hac cripta jacent corpora sanctorum secundum saeculi dignitatem nobilissimorum, „secundum Dei autem voluntatem martyrum pretiosorum. Nam Rictius Varus, Maximiani (f) praefectus, legionem Thebeam jussu ipsius „circumquaque persecutus, hanc etiam urbem propter ipsos est ingressus. Quorum innumeros cum hic occidisset, hos quoque hujus civitatis principes, fidei christianae confessores, cum ipsis occidit, quorum corpora hic circum circa sunt collocata. In medio vero ipsorum sancti Paulini, clarissimi Trevirorum archiepiscopi (g), corpus „est ferreis catenis suspensum, quod ibi sanctus Felix, hujus sedis

---

(a) in aqua jacebant duodecim &c.: ibid.

(b) fuerunt — venerunt — sunt: ibid., minus accurate.

(c) ubi quisque posset invenire: Leibn.

(d) horum nominum: ibid., mala lectio.

(e) In quibusdam codd. mss. argumentum hujus tabulae, quae an. 1071 detecta dicitur, omnino omissum est; in aliis non omnia illa leguntur, quae usque ad finem capitis sequuntur. Ed. d'Ach. habet: In hac crypta jacent corpora Sanctorum, quorum nomina haec sunt: Palmatius, Maxentius, Constantinus, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander, Soter, Hormisda, Papyrius, Constans, Jovinus; corpus quoque sancti Eucharii et reliquorum ibidem sepultorum altius terrae infoderunt. Idem fecere de aliis circa urbem sepultis. — Cetera omnia absunt.

(f) imperatoris: addunt edd. Leibn., Calm. et Honth.

(g) archiepiscopi: ita plerique codd. mss.; sed Leibn. et Calm. legunt: Episcopi.

„archiepiscopus (a), a Frigia totius regni viribus translatum, tertio „Idus Maji honorifice suspendit. Qui et hoc monasterium in honore „sanctae Dei genitricis, nec non eorundem martyrum construxit (b). „Nam praeter horum principum corpora, innumerabilia ejusdem multi„tudinis corpora in hoc monasterio sunt comprehensa, quorum nomina, „sicut (c) innumerabilis populi et peregrini, non potuerunt reperiri (d), „excepto uno ducis vocabulo, qui Thirsus vocabatur. Hujus itaque et „eorum martyrum vocabula, quorum hic videri possunt sarchofaga, „aureis literis in hujus criptae pariete conscripta fuerunt. Quae inde „devoti, qui tunc erant christiani, huc transtulerunt, quando hanc „urbem Northmannos, sicut caeteras undique urbes, depopulaturos (e) „esse, praesciverunt. Is ergo, qui in dextro sancti Paulini latere est „repositus, Palmatius (f) vocabatur, qui consul et patricius toti huic „civitati principabatur. In sinistro autem latere ipsius qui jacet, Thir„sus vocabatur, cujus nomen solius de tanta multitudine ideo est „notatum, quia ipse ejusdem legionis gerebat ducatum. Ad caput „autem hujus sancti Paulini septem (g) jacent hujus urbis senatores „nobilissimi martyres, cum ipsis Thebeis coronati (h), quorum medius „vocatur Maxentius, juxta quem dextrossum qui jacet proximus, no„men habet Constantius, post quem est Crescentius, postea Justi„nus. In latere autem sinistro Maxentii qui jacent, tres erant fratres

(a) Apud eosdem legitur: Episcopus.

(b) Conf. cap. 28 et 35. Constat interim, per Eugenium III. Papam hanc ecclesiam, modo S. Paulini, consecratam esse in honore S. Dei genitricis Mariae et omnium Sanctorum, anno 1148 prid. Kal. Febr. Crypta ecclesiae eodem die consecrabatur in honore S. Mathiae, S. Paulini et in honore SS. martyrum Thebaeae legionis. Discimus vero ex charta Egbertina ad an. 981, prius dedicatum fuisse hoc templum Deo et S. Paulino. (V. Nelleri Hist. mart. Trev. in Honth. Prod. I. p. 89.)

(c) scilicet: Leibn.

(d) Codex Maximian. omisit verba: populi et &c. Ap. Leibn.: inveniri.

(e) depopulatos: ap. Leibn., sed male.

(f) Dalmatius: ibid., sed male. — Nihil est contra Romanam historiam, bene animadvertit Nellerus noster (l. c.), fuisse in coloniis et liberis civitatibus consules ac senatum, sicut Romae.

(g) septem: non legitur ibid.

(h) Martyrio cum ipsis Thebaeis coronati: ibid.

„germani, quorum major natu (a) proxime Maxentium Leander. juxta „quem Alexander, postea Sother. Ad pedes vero sancti Paulini „altrinsecus positi sunt quatuor viri genere et virtute clarissimi, qui, „licet tempore pacis occulte Christum colebant, tempore tamen per-„secutionis aperte adeo et constanter (b) fidem Christianorum defen-„debant, adeo ipsi Rictio Varo in faciem resistebant, quod eos, quasi „ad exemplum (c) aliorum, diversis tormentorum generibus multum af-„flictos, tandem in praesentia sua fecit decollari. Alter ergo duorum „versus austrum positorum, interior scilicet Hormisda, exterior au-„tem Papyrius vocatur. Ingressus est autem Rictius Varus Treberim „quarto nonas Octobris, et eadem die occidit Thirsum cum sociis; „sequenti autem die Palmatium cum aliis principibus civitatis. Ter-„tia vero die caedem exercuit in plebem sexus utriusque (d)."

„Corpus quoque sancti Eucharii et reliquorum ibidem sepultorum „altius terrae infoderunt. Idem fecerunt de aliis circa urbem sepul-„tis. Alter autem eorum, quorum latera aquilonem respiciunt, inte-„rior item Constans, exterior Jovianus vocatur (e)."

CAPUT XLIII. (f)

Anno Dominicae incarnationis DCCCLXXXII (g), defuncto im-

(a) maximus: ibid.

(b) constanter: deest ibid.

(c) Quos omnes ad exemplum: ap. Leibn. et Martene. Alii codd. mss.: qui eos.

(d) Neque in ed. Honth., nec in nostris codd. mss. Trevir. leguntur illa, quae habet Leibn. de osse sanguinem stillante, nimirum: Cum autem terra de crypta, ubi haec jacent sanctorum corpora, portarentur, os quoddam incaute projectum sanguinem fudit non modicum. Quod mox in praesentia abbatum, clericorum et laicorum in vasculum delatum, quoties effundebatur, toties cum magna cruoris inundatione replebatur. In hac autem inundatione a nona hora sabbathi usque ad primam secundae feriae horam permansit. Et adhuc permanet sanguinolentum. Conf. Honth. op. cit. I. p. 88. sq., ubi de fide hujus tabulae severe disputatum est.

(e) Haec ultima periodus ap. Leibn. et in pluribus codd. mss. abest.

(f) Hoc capite 43 orditur editio Honthemii nostri.

(g) Quoad annum hujus invasionis variant scriptores nostri. Vide ad calcem notas ad hoc caput.

peratore Ludowico (a), Northmanni, audita ejus morte, cum omnibus viribus exeuntes, urbem Trevirorum Nonas Aprilis die sacratissimo cenae Domini occupaverunt; Bertolfo episcopo cum quibusdam civibus fuga lapso. In qua usque ad sanctum diem paschae (b), fessa ab itinere corpora recreantes, omne territorium urbis circumquaque usque ad solum demoliti sunt, omnes quoque, quos intra et extra urbem repererunt, ipsamque urbem et monasteria omnia succenderunt igne. Cumque etiam monasterio sancti Paulini ignem multoties injecissent, sed divinitus extingueretur, catenas ferreas, quibus sarchofagum ejus pendebat, confregerunt; sed tamen sarchofagum catenis confractis nequaquam altius terrae insedit (c), sed in aëre pendens remansit, donec post multos annos a quibusdam infidelibus depressum subsedit, non sine vindicta in eos transfusa. Quicunque enim huic sacrilegio manibus deservierunt, singulas infirmitatum plagas susceperunt.

Igitur Northmanni, civitate omni (d) exusta et desolata, Mettim properare disponunt. Quod dum comperisset ejusdem urbis antistes Walo, adjuncto sibi Bertolfo Treberensi archiepiscopo et Adelhardo comite, ad Remiche (e) ultro illis obviam ad pugnam procedit. Inito certamine Northmanni vicerunt. Walo episcopus ibi cecidit, Bertolfus archiepiscopus cum ceteris fugit.

Anno DCCCLXXXIII. (f) Bertolfus migravit ad Dominum. Cui

(a) Ludovicus II. obiit 882. 13. Kal. Febr.

(b) sanctissimo: cod. Mus. Brit., Trevir. N°. 184 sign. et Eb. Clus. — Conf. Reginonis nostri, coaevi scriptoris, monachi Prumiensis, Chronicon ad hunc annum, qui hinc inde eadem fere verba habet, ut horum Gestorum scriptor, St. Mathianus monachus. Primi Gestorum scriptores harum rerum etiam testes coaevi erant.

(c) Cod. Eb. Clus.: nequaquam descendit, sed &c.

(d) Idem cod. Cl.: civitate Trevirica exusta &c.

(e) Martene legit: Berniche, sed male. In cod. Eb. Clus. legitur: Reymiche, h. Remich, vicus Mosellae superae. — Ed. Leibn.: Walhardo comite. Ed. d'Ach.: Adalardo comite. Cod. Stuttg.: Adalhardo comite. Doctissimus Luden animadvertit (Geschichte des teutschen Volkes. VI. S. 556.) „Nur Regino weiß, daß Walo, „adjuncto sibi Bertulfo episcopo et Adalhardo comite, gegen den Feind gegangen sei; die „übrigen Annalisten geben ihm keine Begleitung.“ Hunc Gestorum locum ergo ignorasse videtur vir celeberrimus.

(f) Plurimi codd. mss., sic et edd. habent: Eodem anno; (i. e. 882. — Obiit autem

successit Rathbodus (a), abbas de Mediolaco, venerabilis antistes, qui eodem anno Rutbertum in Mettis episcopum consecravit. Hic acquisivit abbatiam sancti Servatii, quae dicitur Mastreit (b), ab Arnolfo imperatore (c) et praeceptum de eadem abbatia ab eodem imperatore obtinuit, habens hunc modum.

Testamentum Arnolfi Regis de abbatia sancti Servatii, confessoris Christi (d).

„In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Arnolfus divina or„dinante clementia Rex. Si fidelium nostrorum petitionibus aurem „serenitatis nostrae accomodamus opemque ex supernae largitatis „commodo eis praebere studuerimus, perhennis vitae salutem feliciter „obtinendam, hoc nobis profuturum esse liquido credimus. Quaprop„ter comperiat omnium sanctae Dei ecclesiae fidelium, praesentium „scilicet ac futurorum, sollertia, quoniam Rathbodus, venerandus Tre„verensis ecclesiae archiepiscopus, adiit culmen serenitatis nostrae „supplicans, ut quandam abbatiam sancti Servatii confessoris, quae vo„catur Trajecta, in comitatu Maselant (e) nuncupato, consistentem, ad „ecclesiam sancti Petri, principis Apostolorum, quae constructa stat „in civitate Treverensi, ubi principalis episcopii sui sedes esse dig„noscitur, ad honorem Dei sanctorumque ejus ibidem quiescentium

---

Bertolfus, ut alia domestica documenta accuratius referunt, IV. Id. Febr. (†) 884 (sive 883 more Trev.) et sepultus est in S. Paulino.

(†) In Reginonis edd. false legitur: IV. Idus Septemb. V. Browerum ad annum 884, qui monumentum Bertolfi, in ecclesia S. Paulini positum, in suis annalibus consignavit.

(a) Al.: Ratbodo; ap. d'Ach. Rathodo. Cod. Trev., N°. 1462 sign., legit: Rathbodo anno dni. dccclxxxiiii. consecratus.

(b) Leibn. Mastreiz; cod. Mus. Brit.: Mastreth; d'Ach., Masetrech.

(c) Chartae Arnolfi et Zwendeboldi non leguntur in edd. d'Ach. et Leibn., neque in codd. Guelf., Stuttg. variisque aliis; sed post verbum imperatore immediate sequitur: Deinde etiam a Ludovico imperatore &c.

(d) Legitur hoc diploma ap Brow. ad an. 890, Honth. in Histor. Trevir. diplom. I. pag. 229; Martene in Collectione amplissima IV. pag. 145, et in Miraci Opp. diplom. I. p. 250. — Hoc diploma non sine corruptela, proprio an alieno scriptoris errore, exaratum esse videtur.

(e) Moselant: apud Honth.

„traderemus, statimque nos congruae ejus suasioni ob reverentiam sui „gratanter satisfacientes decrevimus ita fieri; dedimus quoque eandem „abbatiam cum universa integritate sua ad praefatae sedis ecclesiam „in beatae memoriae Ludowici regis aviquo nostri, nec non Karlo„manni (a) genitoris nostri, patruorumque nostrorum, videlicet Ludo„wici et Karoli, christianissimorum regum, animaeque nostrae per„petuam commemorationem, cum ecclesiis, curtibus, aedificiis, fami„liis, mancipiis utriusque sexus, decimis, vineis, campis, agris, „pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, „piscationibus, vicis et villis, viis et inviis, exitibus et reditibus, „cultis et incultis, quaesitis et inquirendis, mobilibus et immobilibus, „cum universis appenditiis et adjacentiis suis. Haec itaque universa „per hoc praesens auctoritatis nostrae praeceptum ad saepe nomina„tam sedem aeternaliter pertinenda donamus et tradimus, ea scilicet „ratione, ut praefatus episcopus successoresque illius similem perpe„tuis temporibus ex praelibata abbatia habeant potestatem, veluti de „ceteris ejusdem episcopatus causis juxta utilitatem ipsius ecclesiae, „cuncta, prout illis placuerit, secure disponere, quatenus rectores „ejusdem sedis cum omni clero eorum regimini subacto (b) tam pro „nobis, quam pro antedictis praedecessoribus nostris, Dei misericor„diam semper exorare delectet. Ut autem (c) haec donationis nostrae „auctoritas nullo unquam sucessore nostro irrumpente, solidissimam „in Dei nomine per omnia mundi volventis saecula obtineat stabilita„tatem, munimine nostro roborata, manu nostra subtus eam firmavimus „et annuli nostri impressione jussimus sigillari. Signum domini Ar„nolfi, largissimi regis. Aspertus (d) cancellarius ad vicem Theomari „archicapellani recognovi. Data Kal. Julii, anno Dominicae incarna„tionis DCCCLXXXVIIII. indictione VII. anno secundo regni domini „Arnolfi, piissimi regis. Actum Franckenvort palatio regali in Dei „nomine feliciter, amen.“

(a) Scriptor cod. Eb. Clus. legit: Karoli Magni; omnino male.

(b) Apud Honth.: subjecto.

(c) Male hic legitur in quibusdem cohd. loco Ut autem: Haut haec &c.

(d) Anspertus: ap. Mart. et Honth.

Testamentum Zwendeboldi regis de abbatia sancti Servatii (a).

„In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Zwendeboldus divina „largiente clementia rex. Si more praedecessorum nostrorum eccle„sias Christi varie honoramus, credimus hoc nobis ad profectum „corporis et animae pertinere, ideoque noverit omnium fidelium nos„trorum, praesentium ac futurorum, prudentia, qualiter venerabilis ge„nitor noster Arnolfus Trevirensi metropolitanae sedi ad sanctum „Petrum, principem Apostolorum, quandam abbatiam potestativo jure „contradidit, ubi Rathbodus, reverendissimus archiepiscopus, esse vi„detur. Quam, postquam ad nos primitus Deo patreque nostro con„cedente, regni sublimitas pervenit, ob fallentium seriem et ob fal„lentium ora, qui praefatum episcopum totamque illius tuitionis con„gregationem hoc velle narraverant, injuste Reginario in precariam „concessimus. Quo ita gesto, nostrorum nos inientes consilium, pla„citum generale nostrum Aquisgrani palatio (b) fieri fidelesque nostros „illuc venire statuimus. Illuc memoratus (c) archiepiscopus Rathbo„dus veniens, se ad nostram reclamavit dominationem, quod jam dicta „abbatia de praefata sede, illo ceteraque congregatione nesciente, „injuste fuisset dempta. Quod nos circumcogitantes, ne forte incur„reremus periculum, in futuro ipsam abbatiam cum consilio et judicio „omnium nostrorum, videlicet episcoporum et comitum, antedictae sedi „Trevirensi reddidimus, quae est in pago Masalant (d) vocabulo Tra„jecta, quae in beati confessoris honore est consecrata Servatii, ipsi„que eundem episcopum investientes (e) coram multitudine populi re„cipimus, ut ne ulterius ipsius vel succedentium temporibus alicui per „precarium concedatur. Quod si alicujus succedentium illius tempo„ribus eveniat, anathematis ambo, et qui dat, et qui accipit, vinculis

(a) Hoc diploma etiam legitur apud Honthemium Tom. I. pag. 237 sq., Martene Tom. IV. pag. 146. sq., in Miraei Opp. dipl. p. 252. et ap. Browerum l. c.

(b) palatii: quidam codd.

(c) Ibid.: quod et memoratus &c.

(d) Al.: Moselant. Vide supra.

(e) inde vestientes: al.

„ligati in aeternum permaneant. Quod ut firmius habeatur, ipsi fir- „mavimus annuloque nostro insigniri jussimus. Signum Zwendeboldi, „gloriosissimi regis. Waltkerus notharius ad vicem Ruthgeri (a) „archiepiscopi archiquecancellarii recognovi. Data tertio Idus Maji „ipsa die festivitatis sancti Servatii, anno incarnationis DCCCXCVIII., „indictione prima, anno quarto (b) regis piissimi. Actum Aquisgrani „palatio. Investitura vero in ipso Trajecto (c).“

Item aliud testamentum Zwendeboldi regis de abbatia sancti Servatii (d).

„In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Zwendeboldus di- „vina praeordinante clementia rex (e). Si antecessorum nostrorum, „gloriosorum regum, pium morem sequentes, ecclesiarum statum re- „galis auctoritatis rigore inviolatum servamus, ac servorum Dei uti- „litatibus provida dispositione consulimus: id nobis ad tranquillitatem „regni nostri et ad beatitudinem aeternam promerendam, liquido cre- „dimus profuturum.

„Noverit igitur omnium nostrorum fidelium, praesentium et futu- „rorum, notitia, qualiter de abbatia sancti Servatii Trajectensis mo- „nasterii, in pago Haspaniense juxta Mosam, et in comitatu Maselant, „quam domnus genitor noster Arnolfus, gloriosus rex, ad ecclesiam „beati Petri Trevericae sedis, regiae potestatis jure tradiderat ac per- „petua stabilitate firmaverat, Rathbodus, ejusdem sanctae ecclesiae ve- „nerabilis archiepiscopus, in generali placito nostro quaerelosis se „precibus proclamavit, plangens eam a Regenhario (f) sub obtentu

---

(a) Ruthgeri: Honth. l. c. recte dicit legendum esse: Ratbodi.

(b) Varii codd. et edit. Mart. legunt: secundo, sed male. Cod. Trev., N°. 184 sign, habet quidem: secundo, sed manus posterior correxit in margine errorem. Confer chartam sequentem Zwendeboldi.

(c) Confer Eckhart Rer. Franc. L. XXXII. N. 63., ubi hoc regale placitum ejusque tristes sequelae recensentur.

(d) Legitur hoc diploma apud Martene l. c. pag. 147, sed non ap. Honth.

(e) divina praeordinatione rex: Mart.

(f) Ibid: Regennario; cod Paris. legit: Argenhario.

„praecariae contra libitum suum suorumque fidelium usurpatam, ac „de supradicta ecclesia violenter abstractam. Protulit quoque, quo-„modo in supradicto monasterio missi sui accepti per potestatem in „Nuimagam ad nostram praesentiam deducti ibique minis territi et „violentia oppressi, assensum ex sua parte illo clero sibi commisso „nesciente, hujuscemodi usurpativae praecariae (a) invite assensum „praebuerunt, ac per argumentosas suggestiones nostra auctoritate re-„tulit firmatum. Nos vero omnia transacta per ordinem recolentes (b), „fallentium jam calliditatibus detectis, quaerimoniam illius veram esse „agnovimus. Perpendentes ergo et verentes, ne forte, quod absit, „de elymosina genitoris nostri detrimentum animae nostrae faceremus, „pro conservanda ejus pietatis munificentia, ipsam abbatiam cum con-„silio et judicio episcoporum et comitum nostrorum memoratae Tre-„verensi ecclesiae reddidimus, et venientes ad ipsum monasterium, „in quo beati Servatii sacratum corpus (c) quiescit, manu propria „cum assistentibus plurimis fidelibus nostris restituimus et hoc nos-„trae redditionis ac confirmationis apices exinde fieri jussimus, per „quos enixius jubemus firmiterque sancimus, ut neque in praesenti „neque per succedentia tempora ullatenus alicui in precariam (d) con-„cedatur, nec aliquo alio ordine cuiquam ex ea quippiam largiatur, „praeter iis (e), qui eidem Treverensi ecclesiae deservierint; et qui „dederit, et qui acceperit, anathematis periculo perpetualiter con-„stringatur. Ut autem praesens nostrae refirmationis (f) scriptum in-„violabiliter (g) per succedentia tempora in Dei nomine obtineat sta-„bilitatem, manu propria subter eam firmavimus et sigilli nostri im-„pressione jussimus insigniri. Signum domini Zwendeboldi, gloriosis-„simi regis. Walthgerus notarius ad vicem Rathbodi archiepiscopi

---

(a) Quidam codd.: usurpative praecaret; satis confuse.

(b) Ibid.: omnem transacte, sed male. — Cod. Paris. legit: per ocium recolentes.

(c) sacratum: non legitur apud Martene, neque in plurimis codd. mss.

(d) precaria: quidam codd.

(e) praeterquam iis: ap. Mart.

(f) Refirmationis: barbarismus, qui sine dubio hoc loco significat novam confirmationem. Ap. Mart. legitur: reformationis.

(g) Ibid.: inviolabilem.

„archiquecancellarii recognovi. Data tertio Idus Maji, ipsa die sancti „Servatii festivitatis (a), anno Dominicae incarnationis DCCCXCVIII. „Indictione prima, anno vero regis piissimi quarto. Actum Aquis-„grani palatio (b). Investitura (c) vero in ipso monasterio a rege cum „multitudine populi facta in Dei nomine, amen.

Praefatus etiam archiepiscopus a Ludowico imperatore haec castella obtinuit, Sericum et Orxuels (d) cum villis sibi adjacentibus (e). Decedente vero Rathbodo, successit Ruthkerus episcopus, qui praeceptum regiae auctoritatis super eandem abbatiam obtinuit, cujus exemplar hic inserere, non videtur ab re (f).

Testamentum Karoli, regis Francorum, de abbatia sancti Servatii (g).

„In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Karolus divina lar-„giente misericordia rex Francorum. Si servorum Dei petitionibus „aurem libenter accommodamus divini cultus amore, regium decenter „morem exequimur, ac vitae aeternae praemia propter hoc adipisci „veraciter credimus. Quocirca comperiat omnium fidelium sanctae Dei „ecclesiae nostrorum, videlicet praesentium ac futurorum, solertia,

---

(a) festivitate: al. codd.

(b) palatii: al.

(c) vestitura: al.

(d) Cod. ms. Trev. (N°. 1462) habet: Hic etiam a Ludovico tertio Sericum, quod Sirck dicitur, et Orsuels cum adjacentibus villis acquisivit. d'Ach. legit: Orceshinvelt; Mart.: Orruels; Leibn.: Orkesuel; Cod. Mus. Brit.: Orkesvels; Cod. Stuttg.: Orkesuels. Honth. notat ad hoc verbum: Orousel vel Orceshinvelt — Orsivelsium inter Saram et Mosellam.

(e) Quidam codd.: cum villis sibi subjacentibus. Quae sequuntur, absunt fere omnia ap. d'Ach. usque ad cap. 44.

(f) cujus exemplar &c: haec ultima verba non leguntur in plurimis nostris codd. mss.

(g) Legitur hoc diploma ap. Brow. ad a. 922; Mart. Tom. IV. pag. 149; Honth. Tom. I. pag. 264, et Miraeum I. p. 256; plurimi autem codd. mss. de eo silent. — Hoc diploma Carolus Simplex episcopo dedit. Silent Gesta de diplomate, quod (secundum Browerum) Ratbodus in Theodonis villa ab eodem Carolo anno 917. acceperat. — Hoc etiam anno, secundum Necrologium chronologicum Fuldense, obiit Ratbodus.

„quoniam archipraesul venerabilis Treverensis ecclesiae Rothgerus „(a) nostrae serenitatis culmen adiit, conquerens, quod abbatiam „quandam, quae est constructa super flumen Mosam, in loco Tra-„jectis nuncupato, ubi requiescit corpus sanctissimi confessoris Ser-„vatii, Arnolfus quondam rex, deprecante Rathbodo praedictae ec-„clesiae pridem archiepiscopo, delegaverat sancto Petro Apostolo ad „cathedram Trevirensem, idque suae sanctionis praeceptum confirmare „studuit: sed irruentibus diversis contrarietatibus, a potestate ejus-„dem sedis Ragnerus comes pridem eandem abbatiam violenter sub-„traxit, et reclamante dicto Rathbodo apud regem Zwendeboldum, „illam reddere compulsus est sancto Petro. Verum Zwendeboldo „perempto, iterum a Ragnero (b) pervasa est, ac post illum ab ejus „filio Gisilberto pari violentia hactenus negatur reddere (c). Cujus „petitionem fore salubrem cognoscentes, consensu episcoporum nos-„trorum et judicio comitum, seu aliorum fidelium, supradictam abba-„tiam, in Trajecto super flumine Mosa sitam, in comitatu vero Has-„bacensi (d), in conspectu nostro et praesentia principum nostrorum, „ipsimet praelibato archiepiscopo reddere imperavimus pro amore „Dei; ita dumtaxat, ut a nobis restituta sancto Petro usibusque sanc-„tae Treverensis ecclesiae, ab hinc in futurum nullus valeat eam „subtrahere vel dividere exinde; sed nostrae pietatis munere ipse „archipraesul Rothgerus et ejus successores memoratam saepe abba-„tiam habeant, teneant cum villis, ecclesiis (e), mancipiis utriusque „sexus et omnibus rebus juste ibidem pertinentibus, et earundem „rerum exactionibus, et omnia ad se pertinentia regant et disponant „pro suae utilitatis studio, sicut priorum regum auctoritates patefaci-„unt. Hanc igitur abbatiam reddendam, nostrae auctoritatis praecep-„to, archipraesuli Rothgero suaeque ecclesiae manu propria robora-

---

(a) Al.: Ruthkerus, Ruotgerus, Rutherus. — Browerus legit hujus archiepiscopi inscriptionem sepulchralem in ecclesia Pauliniana his verbis:
VI. KL. FEB. Θ. RUOTGERUS TREVIR. ARCHIEP. (anno scilicet 930.)

(b) Al.: Raginhero, Reginario. In aliis chartis dux Lotharingiae nominatur.

(c) negaretur reddere: ap. Mart. Quidam codd. mss. habent: niteretur, nueretur.

(d) Supra legimus: Haspaniense.

(e) ecclesiis: non habet Mart.

„vimus et annuli nostri impressione signiri jussimus. Signum Karoli „regis gloriosissimi. Gozelinus notarius ad vicem Rothkeri archipraesulis summique cancellarii recognovit. Data septimo Idus Julii, In- „dictione septima (a), anno regni Karoli incliti regis XXVII., redin- „tegrante XXII., largiore vero hereditate indepta VIII. Actum in „villa Theodonis.

Testamentum Karoli, regis Francorum, de abbatia sancti Servatii (b).

„In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Karolus divina pro- „pitiante clementia rex Francorum. Dogmate divino instruimur et „regia majestate monemur, quatenus sanctorum loca sub solida tui- „tione provideamus, et si qua sunt alicujus pravitate attrita, ad pris- „tinum reverti faciamus statum. Noverit igitur omnium sanctae Dei „ecclesiae fidelium nostrorum, videlicet praesentium ac futurorum, „industria, quoniam vir venerabilis nobis, quemadmodum (c) fidelis „Rothgerus, Treverensis ecclesiae archiepiscopus, saepius plangendo „adiit celsitudinem nostram, dicens, quod abbatia sancti Servatii, quae „est constructa in Trajecto in comitatu Maselant, quam dedit per „suum praeceptum sibi commissae Treverensi ecclesiae Arnulfus rex, „sed violentia Raginheri comitis et filii ejus Gesilberti, a praedicta „Treverensi ecclesia olim esset injuste ablata. Ergo ad causas nos- „tras ejus proclamationem mittentes (d), judicio scabinorum palatii „nostri et attestatione omnium fidelium nostrorum, ipsam abbatiam „sancto Petro, in cujus honore est constructa Treverensis ecclesia, „et praenotato praesuli reddimus, et (e) ut in perpetuum sine cujus- „piam contradictione cum omni integritate ipse et successores ejus „ipsam abbatiam teneant atque possideant, et quidquid pro sua suae-

(a) indict. VIII.: ap. Honth.

(b) Hoc diploma exhibet Martene l. c. Tom. IV. pag. 148; non autem Honth., neque Brow. —

(c) quemadmodum: non habet Mart.

(d) Ibid.: mittens.

(e) Ibidem deest: et.

„que ecclesiae utilitate ex ipsa facere decreverint, liberam in omni- „bus potestatem habeant faciendi. Et ut haec notitia instantibus et „futuris temporibus rata esse credatur et firmior habeatur, sigillo nostri „palatii eam roborari jussimus. Haec sunt nomina eorum quoque (a), „qui praefatum contulerunt judicium, videlicet episcoporum, Wifridus, „Dado, Raubertus, Abbo, Stephanus; seu comitum, Matfridus, Sigar- „dus, Otto, Fulbertus, Christianus, Erckengerus, Isenbardus, Hun- „gerus, Ecfridus, Ermenfridus, Walterus; nec non et scabinorum, „Blidulphus, Regnardus, Adelbertus, Sigibertus, Witterus, Adelhar- „dus, Rutbertus, Bernacius, Volmarus, Roricus, Otkerus, Ingrannus, „Betto, Engilbertus, Bunnus (b), Fridilbertus, Oswardus. Ratbodus „notarius, praecipiente domno rege Karolo, hanc notitiam scripsit. „Data Idus Junii, Indictione VII. anno vicesimo septimo regnante „rege Karolo, redintegrante XXII., largiore vero hereditate indepta „VIII. Actum Eristail palatio.“

Iste praefatus pontifex (c) bonae conversationis existens, habito Treberi cum suffraganeis episcopis ac reliquo clero generali concilio (d), librum canonicorum decretorum, sua industria compositum, in medium protulit atque confirmavit, ac non multo post ad feliciorem vitam migravit (e). Post hunc **Rotbertus** (f) episcopus extitit, qui pri-

---

(a) Deest etiam ibid.: eorum quoque.

(b) Sunnus: ibid. Codex Paris. habet: Buntius.

(c) praefatus pontifex: non legitur ap. Leibn., neque ap. Mart.

(d) De hoc concilio provinciali Trevirensi vide Browerum ad annum 927 (Annal. Trev. I. p. 450.), Hartzhemium (Concil. Germ. II. p. 600.) et Mansi (Coll. amplis. Concil. XVIII. p. 350.). Vide etiam notas ad cap. 43 in fine operis.

(e) ac non multo &c. Haec ultima verba non leguntur in edd. Leibn. et Mart.

(f) Rupertus, Robertus, Ruotbertus. — Antiquissimi codd. mss. Trev., in biblioth. ecclesiae Trevirorum primariae olim asservati et quibus Browerus usus est, Adelheidem, Lotharii regis Italiae viduam et Ottonis Magni conjugem, Rotberti nostri germanam sororem fuisse tradunt. (Vide cap. sequens.) — Pater Rotberti et Adelheidis in his fastis antiquissimis dicitur Rudolphus, Burgundiae rex, qui etiam Italiae regnum aliquamdiu tenuit; mater Bertha, Arnolfi, Bojoariae ducis, filia.

Browerus praeterea asserit, Adelheidis in bene meritorum albo metropolitanae ecclesiae Trevir. extare perhonorificam memoriam, his consignatam verbis:

XII. KALEND. MAII.

vilegium ab Ottone primo super abbatiam sancti Servatii obtinuit, habens hunc modum.

Testamentum Ottonis, regis Francorum, de abbatia sancti Servatii.

„In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Otto divina favente „clementia rex. Si justis fidelium nostrorum precibus (a) praebueri„mus remunerationis recompensationem, ubi de ecclesiasticis fit re„bus Domini (b); ubi autem de negotiis fit humanis, nostros fideles „credimus fideliores exinde fore ac promtiores devotioresque obsequio. „Proinde agnoscat omnium fidelium nostrorum conventus, qualiter nos „proceres nostri adeuntes, scilicet Magociacensis episcopus Frederi„cus et frater noster Heinricus, simulque comes Hermannus, rationa„bili prece deprecati sunt, ut ecclesiae sancti Petri Treverensi ac „fideli nostro Rotberto, ejusdem sedis episcopo, daremus, quin potius „restitueremus abbatiam sancti Servatii (c), sitam Trajecto. Quorum

---

CAPTA EST ADEL
HEIDIS IMPERATRIX
CUMIS A BERENGA-
RIO REGE. XIII. KA-
LEND. SEPTEMBRIS
LIBERAVIT DOMINVS
ADELHEIDIM REGI-
NAM A VINCVLIS. —

Auctor Magni Chronici Belgii alium Rotberto patrem, aliam sororem tribuit: Venerabilis Rupertus, inquit, filius Theoderici, Saxoniae ducis, frater Mechtildis (Mathildis), reginae Alemanniae — archiep. Trevir. anno DCCCCXXI. &c. — Annus aperte falsus hic notatur; alioquin enim constat, Rotbertum nonnisi anno 930 Rotgero successisse. Auctor Magni Chronici suam genealogiam cum errore anni hausit sine dubio ex Alberico trium fontium monacho, cujus Chronicon praeivit Magno Chronico. — Tacet scriptor anonymus in vita S. Mathildis de Rotberto archiep., ejus fratre; tacet et Witichindus. Alii dicunt, Rotgerum fuisse fratrem Ansfridi, multorum comitatuum rectoris. (V. Honth. Hist. Trev. dipl. I. p. 275. nota a.) Interim certum est, praepotenti natum genere Rotbertum nostrum.

(a) Mart. addit vocem: aurem.

(b) Ap. Honth.: Dominum.

(c) Honth. (l. c. Tom. I. pag. 281.) ad hunc locum haec notat: „Collegiata cano„nicorum S. Servatii Trajecti ad Mosam, toties Trevirensi ecclesiae ablata, toties ei-

„ratis petitionibus adquiescentes agnoscentesque nos ad hoc debitores, „ut justitiam faceremus eidem Treverensi ecclesiae, reddimus et „restituimus illi ecclesiae Treverensi praedictam abbatiam sancti „Servatii ex toto et integro, omnia appendentia cum omnibus, „quae visa est habere. Innovantes ergo praedecessorum nostro„rum dictionem, regum videlicet Arnolfi, Zwendeboldi, Ludo„wici et Karoli, qui praelibatae sedi antedictam contulere Trajec„tensem abbatiam, hoc regiae liberalitatis praecepto sancimus, quo „nemo successorum nostrorum (a) praesens datum infringendi seu aliquo „modo violandi habeat potestatem. Et ut haec traditionis nostrae „auctoritas plenissima vigeat firmitate, manu nostra subterfirmavimus „et annuli nostri impressione corroboravimus. Signum domni Ottonis, „serenissimi regis. Bruno cancellarius ad vicem Frederici archica„pellani recognovi. Data quarto Kal. Januarii, anno incarnationis „Dominicae Dccccxlv. (b), Indictione secunda (c), anno domni Otto„nis X. Actum in Thalahem (d).

CAPUT XLIV.

Iste Rotbertus archiepiscopus, primus, ut ferunt, Treberensem

---

„dem restituta, semper abbatia nuncupatur; more et stylo ejus aevi apud Leodien„ses aliosque usitato.“ — Kyriander (Annal. Trev. P. XI. pag. 102.) observat: „His titulis non obstantibus, ecclesiam S. Servatii, seu jus patronatus in ea, nihilomi„minus apud reges et imperatores Romanos mansisse, tandemque cum universa civi„tate Trajectensi a Philippo rege per speciem feudi concessam fuisse duci Lotharin„giae et Brabantiae.“ Adde tamen Broweri Annal. Trevir. lib. X. num. 62. Adde instrumentum permutationis inter Ottonem I. imper. et Theodericum archiep. Trevir. in Güntheri Cod. diplomat. Rheno — Mosellano, Tom. I. pag. 74. seqq. et pag. 76.

(a) nostri: al.

(b) Quidam codd. mss. legunt: DCCCCXLVI.; idem ap. Mart. et Honth. — Lectioni nostrae concordat illa Broweri.

(c) Ap. Mart. et Honth.: Indictione IV. — Al. III.

(d) Chalahem: Mart.

(e) Vid. animad. ad hoc cap. in fine. — Edit. d'Ach. de Roberto solummodo haec refert: Deinde Robertus extitit, qui corpus sancti Severi, de quo legitur in libro dialogorum, de Italia transtulit, quod per Mosellae fluminis alvium divino famulante Nauclero transvectum in loco, qui Hattonis portus dicitur, appulit, ubi a fratribus de monasterio sancti

ecclesiam regno, quod Lotharingium vocatur, adjecit (e) pro eo, quod soror ejus imperatori in matrimonio juncta fuit, cum usque ad ejus tempora Francorum regno, quod a Karolo nomen habet (a), subjecta, multis fuisset honoribus illustrata. Sancto Martino quaedam bona abstulit (b). Treberis post Rotbertum Heinricus ecclesiae praefuit, qui regulares officinas et clausuram construxit et vigorem (c) regularis conversationis ibidem exerceri decrevit. Forum, in quo nunc esse videtur, instituit (d). Affuit Romae cum Ottone primo in dampnando magum, non papam Johannem (e). Idem Otto abbatiam supradictam (f) potestate regia de hac ecclesia tulit, et aliam, quae dicitur Horrea, quasi sua esset, pro Mastreith huic ecclesiae delegavit, cum ad eum nichil pertinuerit. Ipse vero Heinricus LXXX. mansos de sancto

---

Martini de pago nomine Megine susceptus et in eodem monasterio honorifice conditus est. — Quae hoc loco de Roberto dicuntur, in nostris mss. et in aliis edd. de Egberto leguntur in fine hujus capitis. — Annal. Hildeneshemenses habent: An. DCCCCLVI. Ruodbertus, Trevericus episcopus, obiit.

(a) habuit: ap. Mart.

(b) Ibidem male: obtulit. Al.: abstulisse dicitur. — Ex Continuatore Reginonis (ad an. 950.) discimus, Rotbertum pro acquirenda quoque abbatia S. Maximini multum laborasse, sed non praevaluisse. Hinc de nimia habendi cupiditate notatur. — Folia mss. bibl. Trev. N°. 1347. referunt: S. Maximini templum dedicavit (an. 945.). — Trith. (Annal. Hirs. ad an. 950.) dicit, Robertum archiepiscopum Trev. synodum Ingelhemii direxisse, eo quod divinarum humanarumque rerum scientia et eloquentiae efficacia prae caeteris haberetur insignis.

(c) rigorem: d'Ach.

(d) Cod. Eb. Cl. addit: juxta ecclesiam sancti martyris Gangolphi. V. notas in fine.

(e) Johannes XII., multis criminationibus oneratus, per synodum Romanam exauctoratus est anno 963. — Graviter insurgit Baronius in Romanam hanc synodum et queritur, multipliciter in ea sacrorum canonum jura esse violata.

(f) Sancti Maximini: addit Cod. Eberh. Clus.; est autem S. Martini.

(g) Anno 964 saeva mortalitate cum multis aliis oppressus. Vide Ditmari Chron. L. II. — Cod. ms. Trev. N°. 1462 addit: Cum Ottone Romae et in Italia fuit, ubi et obiit; Parmis sepultus. Jenunae nostri scriptoris de Henrico narrationi ex aliis auctoribus hic quaedam addere, consilium nostrum est. Ruotgerus (Vita Brunonis archiep. Colon. cap. 23.) dicit hunc Henricum magni virum meriti et summae probitatis, quem ob insignem ejus in lege divina peritiam Ottoni M. et fratri Brunoni, Colon. archiep., familiaritate conjunctissimum fuisse affirmat. Is Henricus S. Wolfgangum secum Treviros adduxit, ubi (ut narrat anonymus in vita S. Wolfgangi cap. 7.) archiepiscopus beneficiis et dignitatibus tantis vo-

Martino tulit, et postea in Italia obiit (g). Cui Theodericus successit (a), vir nobilis et magnae auctoritatis, praepositus Mogontiae majoris ecclesiae, qui privilegia suae ecclesiae renovavit et auxit, quorum exemplar hic ponere curavimus.

Privilegium Benedicti papae, quod dedit Theoderico, episcopo Treverensi (b).

„Benedictus episcopus, servus servorum Dei, karissimis in Christo „fratribus, universis episcopis, ac totius dignitatis et ordinis catholi„cis viris, praesentibus scilicet et futuris, perpetuam salutem. Quia, „licet indigni, divinae tamen dignationis gratia disponente, beati Pe„tri, Apostolorum principis, sacratissimam sedem universaleque in „toto orbe terrarum magisterium suscepimus, necesse est, omnium „ecclesiarum ut diligentissimam sollicitudinem ita instanter (c) habea„mus, ne earum jura, auctoritate ejusdem Apostolorum principis ce„terorumque sibi subsequentium (d) venerabilium patrum, inviolabiliter

---

luit eum honorificare, quatenus per omnem episcopatus sui potestatem, secundus post se, ceteris praelatus haberetur dignitate. Servus autem Dei cenodoxiam fugiens, tali honore se dicens indignum, tandem consensit, scholasticos juvenes sibi commendari. — Henricus archiepiscopus, ex illustri Franco-Suevorum comitum prosapia, in praeclaro Augiensi monasterio literis egregie imbutus dicitur.

Ap. d'Ach. non legitur: LXXX. mansos de sancto Martino tulit. — Animadvertendum hoc loco est: Collapsa temporum injuriis, et praesertim Normannorum vi, disciplina ecclesiastica in hoc monasterio, monachi S. Benedicti domum suam deseruerunt, et quibusdam possessionibus usque ad tempora Theoderici coenobium destitutum fuit. — Auspiciis vero hujus archiepiscopi, monachi Benedictini reintroducuntur in monasterium S. Martini, cujus nova periodus anno 975. incipit.

V. diploma papale de hoc anno ap. Honth. (I. p. 316. sq.) — Chartularium S. Martini alia diplomata habet, quae desunt ap. Honth. Unum est Ottonis II. imp., quo jura et possessiones monasterii confirmantur: alterum, quo, post restaurationem ecclesiae, etiam ex parte Theoderici archiep. fundationes et donationes confirmantur (an. 975.). — Conf. animadversionem nostram ad cap. 44. in fine voluminis.

(a) qui corpus decessoris sui Trevirim relatum in cimiterio majoris ecclesiae sepelivit: addit d'Ach.

(b) Legitur hoc diploma Benedicti VI. ap. Mart., memorat quoque has litteras Browerus ad an. 973, quas Honthemius tamen non recenset.

(c) continenter: ibid.

(d) successorum ejus: ibid.

„statuta et confirmata, nostro minuantur ac pereant tempore, sed po-„tius recorroborata decenter augeantur atque proficiant. Ideoque om-„nium (a) vestram nosse volumus sanctitatem et industriam (b), quod „Theoderico, dilectissimo fratre nostro, Treverensis ecclesiae archi-„episcopo, Romam suum dirigente legatorium ad sanctorum Aposto-„lorum limina, audivimus, sicut etiam pridem audiendo, immo et le-„gendo (c) compertum habuimus, eandem ipsam prae ceteris Galliarum „ecclesiis christianae religionis exordium catholicaeque fidei prima „rudimenta (d) percepisse per sanctissimorum (e) virorum Eucharii, „Valerii ac Materni et ceterorum evangelicam doctrinam, quos tem-„pore suo praedictus beatissimus Petrus Apostolus ordinavit et in-„struxit, nec non illuc ad praedicandum direxit. Unde totius ordinis „nostrae sedis apostolicae consultu gratuitoque assensu jura privile-„giorum, quae a sancta Romana matre ecclesia praefatis sanc-„tis eorumque reliquis successoribus, id est Agritio, Maximino, Pau-„lino, Severo, almificis et apostolicis viris, et usque nunc autentice „concessa sunt, quaeque etiam ipsius civitatis exordio, incendio alioque „casu consumpta, approbantur eidem Treverensi ecclesiae praedictoque „fratri nostro Theoderico, et per eum cunctis successoribus suis re-„confirmare, recorroborare et omni modo restituere dignum duximus „per hujus nostri apostolici privilegii validissimam constitutionem de-„cernentes, (f) ut quandocunque a nostra principali et apostolica sede „episcopus, presbyter vel diaconus, sive quilibet ordinarius legatus pro „ecclesiasticae utilitatis causa, seu pro agenda synodo in Galliam „Germaniamve destinatus fuerit, Treverensis praesul post eundem „apostolicum legatum, primum inter alios pontifices locum obtineat,

---

(a) omnium: non legitur ibid.

(b) industriam: deest ibid.

(c) Quibus ex verbis sane colligitur, eam de Eucharii, Valerii ac Materni, a S. Petro in has partes missorum, adventu opinionem, non hoc tempore, saeculo scilicet decimo, primum notam esse; unde enim Benedictus VI. pontifex id legendo pridem comperisset? —

(d) catholicae religionis exordium et christianae religionis catholicaeque fidei rudimenta prima: hanc constructionem habet Martene.

(e) sanctorum: ibid.

(f) Quae sequuntur usque ad verbum Treverensis, non leguntur ibid.

„et si missus Romanae ecclesiae defuerit, similiter post imperatorem „sive regem sedendi, sententiam edicendi et synodale judicium ca„nonice promulgandi primatum habeat, utpote in illis partibus vicarius „nostrae sedis apostolicae merito constitutus. Neque enim dignum „est, ut illius ecclesiae praesul aliquo tempore ceteris non habeatur „praelatus, cujus honor in illis partibus sub ipso Apostolorum prin„cipe extitit primitivus. Pari namque modo sancimus, omnes in pa„rochiis ejus degentes, sive ordinationem et promotionem cujuslibet „ecclesiastici gradus a pontifice ipsius percipientes, eidem ipsi matrici „ecclesiae episcopoque illius debere canonice placere, obsequi et jure „obedire. Siquidem decreto beati Clementis papae super hoc ita can„tum videtur: si vobis episcopi non obedierint, omnes presbyteri, „diaconi, subdiaconi ac reliqui clerici cuncti, omnesque principes „tam majoris ordinis quam inferioris, atque reliqui populi, tribus et lin„guae, non obtemperaverint, a liminibus sanctae Dei ecclesiae alieni erunt, „dicente Domino: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, „me spernit. Inter haec quoque omnia, quae ad saepe dictam Treve„rensem ecclesiam, intra et extra civitatem, pertinere videntur, id est, „ecclesias cum universis rebus sibi attinentibus, seu monasteria tam „monachorum quam virginum, de quibus ex praeceptis sive scriptis „regum seu imperatorum, sive eorundem fundatorum auctoritate ad „se pertinent et pertinere debent, et quidquid omnino illa ipsa eccle„sia ubique et quoquo merito possidet et possidere debet, generaliter „et specialiter concedimus reformamusque praefato Theoderico, fratri „et coëpiscopo nostro suisque successoribus, ad perpetuam sanctae „Treverensis ecclesiae dominationem atque ditionem, per hujus „nostrae apostolicae praeceptionis seriem (a), praesenti prima „indictione et usque in finem saeculi valituram. Contra quam si quis „hominum quolibet modo (b) agere praesumpserit, et quod juste et ca„nonice a nobis decretum est, in aliquo infringere temptaverit, sciat „se ex Dei omnipotentis et praedicti beatissimi Apostolorum principis „omniumque sanctorum, ac deinde nostra auctoritate dampnandum et

(a) sedis: ibid.
(b) si quis quid agere: ibid.

„anathematizandum, et cum omnibus impiis aeternis suppliciis depu-„tandum. Qui vero hoc ipsum nostrum privilegium observare, custo-„dire, adimplere (a) fideliter studuerit, benedictionis gratiam et misc-„ricordiae plenitudinem in coelestibus castris inter electorum numerum „efficaciter a Domino Deo consequi mereatur. + Scriptum per ma-„num Stephani notharii, regionarii et scriniarii sanctae sedis apostoli-„cae, in mense Januario, et indictione supra scripta prima. Datum „sexto Kal. Feb. per manum Widonis episcopi et bibliothecarii sanc-„tae sedis apostolicae, anno, Deo propitio, pontificatus domni Bene-„dicti sanctissimi summique pontificis et universalis sexti papae, pri-„mo, imperii vero domni Ottonis majoris undecimo (b), minoris (c) au-„tem sexto, in mense Januario, indictione supradicta prima."

Item privilegium Benedicti papae, quod dedit Theoderico, episcopo Trevirensi (d).

„**Benedictus episcopus servus servorum Dei, karissi-„mis in Christo fratribus** etc.

(Quae sequuntur, plane conformia sunt iis, quae legimus in diplomate praecedente; post verba: *extitit primitivus*, leguntur sequentia.)

„Et quoniam ejusdem ecclesiae archipraesulem, beatum Eucha-„rium videlicet, a beato Petro, Apostolorum principe, novimus ordi-„natum, sicut et beatum Apollinarem Ravennae civitatis: placuit nobis „eidem fratri nostro Teoderico, sanctae Treverensis ecclesiae archi-„episcopo, cunctisque per eum successoribus suis permittere, quatenus, „sicut in unius beati Petri scilicet Apostoli ordinatione, benedictione, „directione, gentibus ad praedicandum Christi evangelium, ambarum „civitatum praedicatores aequales extiterunt; ita et in missarum so-„lemniis celebrandis, in equitando cum nacco per stationes et in omni

(a) *custodire, adimplere*: non habet Mart.
(b) Ibid.: XII.
(c) *junioris*: Cod. Trev., N°. 184 sign.
(d) Anno 969 Theodericus, Romae agens, ejusdem fere tenoris privilegium ab *Johanne* XIII. jam impetraverat, cujus argumentum in codicibus sequitur post Benedicti VII. bullam primam. Vid. infra.

„honore aequales existant. Crux ante eundem sicut et ante Raven-„natem archipraesulem, ubi ubi gestetur. Cardinales quoque presbyteri, „fratre nostro Theoderico archiepiscopo missam celebrante, dalmati-„cis, et diaconi una cum presbyteris, sandaliis (a) utantur. Ebdoma-„dariis quoque presbyteris, ad sanctum Petrum missam celebrantibus, „suae dilectionis intuitu dalmaticis uti permittimus. Pari namque modo „etc.“

(Sequitur nunc textus eodem tenore, quo in diplomate praefato, variata tantummodo aera in hunc modum:)

„Indictione tertia. Datum XV. Kal. Februarii (b) per manum Wido-„nis episcopi et bibliothecarii sanctae sedis apostolicae, anno, Deo „propitio, pontificatus domni nostri Benedicti sanctissimi septimi (c) „papae primo, imperante domno piissimo principe augusto Ottone, a „Deo coronato magno imperatore, anno septimo, indictione supra „scripta tertia, XIII. pp.

De eodem Johannes papa XIII.

„Johannes (d), episcopus servus servorum Dei, karissimis nobis „in Christo fratribus, universis episcopis ac totius dignitatis et ordi-„nis catholicis viris, praesentibus scilicet et futuris, perpetuam salu-„tem. Quia licet indigni, divinae tamen dignationis gratia disponente, „beati Petri, Apostolorum principis, sacratissimam sedem universale-„que in toto orbe terrarum magisterium (e) suscepimus: necesse est,

---

(a) Honth. l. c. pag. 313. legit: schandaliis, et explicat hoc verbum, dicens: „Scan-„dalia seu scandilia sunt gradus, quibus elatius ac honoratius statur sedeturve.“ — Nostri codd. mss. vero accuratius legunt: sandaliis, quod verbum utique alium praebet sensum.

(b) 975. 18. Jan.

(c) Cod. ms. St. Math. N°. 31. primitus habet: sexti, sed manus recentior bene correxit: septimi. Anno 974 Benedictus VI., de Trevirorum eccclesia praeclare meritus, auctore Bonifacio, nefario homine, ad mortem compulsus est, et mox Bonifacius dolo malo substitutus. Quo confestim dejecto, Benedictus VII. Papa electus est. — Confer Pagi Crit. historico-chronolog. in Annal. Baronii. Tom. IV. —

(d) Hoc Johannis diploma, quo primatus ecclesiae Trevirensis firmatur, legitur ap. Honth. l. c. I. 305., et in Bullar. mag. Rom. IX. p. 1. Neque hoc, nec cetera diplomata pontificia leguntur ap. d'Ach. et Leibn.

(e) Apud Honth.: ministerium.

„omnium ecclesiarum ut diligentissimam sollicitudinem ita instanter (a) „habeamus, ne earum jura, auctoritate ejusdem Apostolorum princi- „pis ceterorumque sibi subsequentium (b) venerabilium patrum inviola- „biliter statuta et confirmata, nostro minuantur ac pereant tempore, „sed potius corroborata, decenter augeantur atque proficiant, ideo- „que omnium vestrum nosse volumus sanctitatem et industriam, quod „Theoderico, dilectissimo fratre nostro, Treverensis ecclesiae archi- „episcopo, veniente Romam oratum ad sanctorum Apostolorum limina, „audivimus, sicut etiam pridem audiendo immo et legendo comper- „tum habuimus, eandem ipsam prae ceteris Galliarum ecclesiis chris- „tianae religionis exordium catholicaeque fidei prima rudimenta per- „cepisse per sanctissimorum virorum Eucharii, Valerii ac Materni, „et ceterorum evangelicam doctrinam, quos tempore suo praedictus „beatissimus Petrus Apostolus ordinavit et instruxit, nec non illuc „ad praedicandum direxit. Unde totius ordinis nostrae sedis aposto- „licae consultu gratuitoque assensu, jura privilegiorum, quae a sancta „Romana matre ecclesia praefatis sanctis eorumque reliquis succes- „soribus, id est Agricio, Maximino, Paulino, Severo, almisque apos- „tolicis viris, a primordio et usque nunc (c) autentice concessa sunt, „quae etiam ipsius civitatis excidio, incendio alioque casu, consumpta „approbantur, eidem Treverensi ecclesiae praedictoque fratri nostro „Theoderico, et per eum cunctis successoribus suis reconfirmare, re- „corroborare et omni modo restituere dignum duximus, per hujus „nostri apostolici privilegii validissimam constitutionem decernentes, „ut quandocunque a nostra principali et apostolica sede episcopus, „presbyter, vel diaconus vel subdiaconus, sive quilibet ordinarius le- „gatus pro ecclesiasticae utilitatis causa, seu pro agenda synodo in „Galliam Germaniamve destinatus fuerit, Treverensis praesul post „eundem apostolicum legatum, primum inter alios pontifices locum „obtineat. Et si missus Romanae ecclesiae defuerit, similiter post „imperatorem sive regem sedendi, sententiam edicendi, et synodale ju-

---

(a) Ibid.: continenter
(b) successorum ejus: ibid.
(c) hucusque: ibid.

„dicium canonice promulgandi primatum habeat, utpote in illis parti-„tibus Vicarius nostrae sedis apostolicae merito constitutus. Neque „enim dignum est, ut illius ecclesiae praesul aliquo tempore ceteris „non habeatur praelatus, cujus honor in illis partibus sub ipso Apos-„tolorum principe extitit primitivus. Pari namque modo sancimus etc. „— (a). Scriptum per manum Stephani notarii, regionarii et scrinia-„rii sanctae sedis apostolicae, in mense Januario, et Indictione duo-„decima. Data XI. Kal. Februarii, per manum Sicconis, episcopi „sanctae Bleranae ecclesiae, ad vicem Guidonis episcopi et bibliothe-„carii sanctae sedis apostolicae. Anno, Deo propitio, pontificatus „domni Johannis pontificis et universalis XIII. p̄p. in sacratissima se-„de beati Petri Apostoli, tertio (b), imperii autem domni Ottonis ma-„joris VII., minoris vero secundo, et Indictione XII. Bene valete (c).

Memoratus pontifex Theodericus ecclesiis sancti Martini, ubi sanctus Magnericus requiescit, et beati Paulini donaria multa dedit, et collapsa vetustate (d) renovavit. Romae etiam cellam quatuor coronatorum cum omnibus appenditiis suis, sibi suisque successoribus in perpetuum acquisivit et privilegium a Benedicto papa super hanc obtinuit, habens hunc modum (e).

„Benedictus episcopus, servus servorum Dei, karissimis nobis in „Christo fratribus, universis episcopis ac totius dignitatis et ordinis „catholicis viris, praesentibus scilicet et futuris, perpetuam salutem.

„Quia licet indigni, divinae tamen dignationis gratia disponente, „beati Petri, Apostolorum principis, sacratissimam sedem pastoraleque „in curam dominici gregis ministerium suscepimus, juxta apostolicam

(a) Non continuat Gestorum scriptor textum ulterius, quia plane ejusdem argumenti est cum diplomate Benedicti supra exhibito.

(b) IV.: ap. Honth.

(c) Annum Ottonis VII. Browerus emendat in VIII., et quidem recte. Confer de annis Ottonum, tam in Italia quam Germania a notariis subinde perperam numeratis, Honthemii nostri notam b. ad hoc diploma, l. c. p. 306.— Interim hoc diploma ex hoc chronologico vitio a criticis non impugnandum erit.

(d) i. e. quae per vetustatem collapsa erant. — Vide notam in fine volum.

(e) Legitur hoc alterum diploma Benedicti apud Brower. l. c. I. p. 476. — Mart. l. c. IV. p. 154. et Honth. l. c. I. p. 314. —

„doctrinam, sicut malis terrori, ne desideria malignitatis suae perfi-„ciant, nos opportet existere; ita sanctae Dei universalis ecclesiae „filios, in religionis piaeque devotionis profectu, paternae gratiae be-„nedictione fovere maximeque eos, qui in sanctam Romanam eccle-„siam beatumque Petrum, Apostolorum principem, ceteris devotiores „probantur: quatenus eis pia sui devotio et in praesenti benignitatis „conferat consolationem, et in futuro aeternam, ipso intercedente, re-„numerationem. Unde omnium, tam praesentium quam futurorum, „sanctitatem et industriam nosse volumus, de sancta fratris nostri „Theoderici, sanctae Treverensis ecclesiae archiepiscopi primatisque, „nostra praedecessorumque nostrorum, ab exordio christianitatis per „beatum Petrum constitutione, totius Galliae ac Germaniae in eundem „Apostolorum principem devotione, qui in sua sede, ecclesiam Christi „gloriosius gubernando, multa monasteriorum (a), quae usque in sua „tempora manserunt deserta, restaurando, beatorumque Apostolorum „limina caeteris saepius, nullo longioris viae periculo seu labore „territus, liberalissime visitando, nobis ad hoc usque complacuit, quo „eidem suaeque ecclesiae possidenda (b) in perpetuum aliqua conferre „justum duceremus; quatenus, ut praefati sumus, pro tanta sui devo-„tione, a nobis gratiam et benedictionem, in praesenti et in futuro, a „Deo beatisque Apostolis, centuplicatam in coelestibus reciperet glo-„riam. Quapropter omnium, tam praesentium quam futurorum, notum „fieri volumus industriae, nos cum auctoritate beati Petri, Apostolo-„rum principis, gratuitoque sacerdotum, clericorum totiusque Roma-„nae plebis assensu, eidem sanctae Treverensi ecclesiae cellam qua-„tuor coronatorum condonasse in perpetuum possidendam cum omnibus „appenditiis suis, aquis scilicet aquarumque decursibus, pratis, pas-„cuis, vineis, silvis, cultis et incultis curtibus et mansionibus (c). „Omnia itaque eidem fratri nostro Theoderico, sanctae Treverensis „ecclesiae archiepiscopo, vicarioque nostro karissimo in partibus

---

(a) monasteria: apud Mart.

(b) Apud Brow.: nobis usque eo complacuit, ut eidem Theoderico, et ipsius ecclesiae possidenda &c.

(c) Ibid.: mansis.

„totius Galliae et Germaniae, ac per eum cunctis successoribus suis „in perpetuum possidenda, tenenda ac ordinanda, per hujus nostrae „apostolicae praeceptionis seriem tribuimus, quaecunque eadem cella „ex diversis fidelium donationibus autentice secundum legem Romanam „possidet, vel jure possidere debet, data videlicet et usque in finem „saeculi quoque pacto danda, seu per violentiam inimicorum eidem „cellae ablata, seu per incuriam commanentium (a) in eadem cella „perdita, ex integro et ad integrum eidem fratri nostro Theoderico, „sanctae Treverensis ecclesiae archiepiscopo, dignissimoque nostro „vicario in partibus totius Galliae et Germaniae, universisque succes„soribus suis per eum a praesenti die indictioneque tertia, beati Pe„tri, Apostolorum principis, nostraque permittimus auctoritate. Con„tra quam si quis hominum quolibet modo agere praesumpserit, et „quod juste ac canonice a nobis decretum est, in aliquo infringere „temptaverit: sciat se ex Dei omnipotentis et praedicti Apostolorum „principis omniumque sanctorum ac deinde nostra auctoritate damp„nandum, anathematizandum et cum omnibus impiis aeterno supplicio „deputandum. Qui vero hoc ipsum nostrum privilegium observare, „custodire, adimplere fideliter studuerit, benedictionis gratiam et mi„sericordiae plenitudinem in coelestibus castris inter electorum nu„merum efficaciter a Domino Deo consequi mereatur. Scriptum per „manum Stephani notarii, et regionarii et scriniarii sanctae sedis „apostolicae, in mense Januario, Indictione tertia. Bene valete. „Data XV. Kal. Februarii, per manum Widonis, episcopi et biblio„thecarii sanctae sedis apostolicae. Anno, Deo propitio, pontificatus „domni nostri Benedicti sanctissimi septimi papae, primo. Imperante „domno piissimo imperatore augusto Ottone, a Deo coronato, mag„no, anno septimo (b), Indictione supra scripta tertia.“

Sub eodem pontifice regulares canonici in ecclesia sancti Petri esse desierunt (c), Mogontiae defunctus, sepultus est in basilica sancti Gangulfi martyris, quam ipse de proprio suo construxit ac XII. frat-

---

(a) Ibid.: commorantium.
(b) Edd. praef. legunt: anno VIII.
(c) V. animadversionem ad hoc cap. in fine.

ribus ibidem Deo famulantibus necessaria vitae instituit (a). Cui successit aeternae memoriae **Egbertus** archiepiscopus. Hic praeceptum de abbatia sancti Servatii ab Ottone imperatore tertio obtinuit hujusmodi (b).

Testamentum Ottonis regis de abbatia sancti Servatii.

„In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Otto divina favente „clementia rex. Omnium fidelium nostrorum, tam praesentium quam „futurorum, piae devotioni pateat, qualiter vir venerabilis Egbertus, „sanctae Treverensis ecclesiae archiepiscopus, ad nos venit, secum „deferens praeceptum praedecessoris nostri Arnulfi regis, in quo con„tinebatur, quomodo ipse pro remedio animarum bonae memoriae avi „sui Ludowici regis, nec non Karlomanni genitoris ejus, patruorum„que suorum Ludowici videlicet et Karoli, christianissimorum regum, „quandam suam abbatiam in honore sancti Servatii confessoris Chris„ti, in loco Trajectum vocato constructam, juxta fluvium Mosam dic„tum sitam, ad ecclesiam sancti Petri, principis Apostolorum, in ci„vitate sancti Petri Treveris aedificatam, sua praeceptione cum om„nibus appenditiis ad eandem abbatiam rite pertinentibus donavit et „tradidit, aliique successores ejus, praefati scilicet regis (c), suis

(a) Ap. Leibn., Mart. et Honth. legitur: ac XII. fratres ibi Deo famulaturos datis necessariis instituit. — Non. Jun. 977. defunctus est. — Ed. d'Ach. habet false: sepultus est in cimiterio S. Eucharii.

(b) Quidam codd. male legunt: Ottone secundo. — Hoc diploma impressum est ap. Brow. l. c. I. p. 491. — Mart. l. c. p. 155. et Honth. l. c. p. 331. — Aliud privilegium ab Ottone III. Egberto an. 989. concessum legimus in Günth. cod. dipl. I. p. 85. sqq. — De diplomate Ottonis Kyriander (Annal. Trev. p. 102. sq.) haec profert: „Enimvero diploma hoc in Gestis ita legitur: ceterum multis nominibus sus„pectum, vel certe per obreptionem obtentum videri queat; quam ob rem et effectu ca„ruit. Nam Trajectensis haec abbatia S. Servatii, seu jus patronatus in ea, nichilo„minus apud reges et imperatores Romanos mansit; tandemque simul cum universa „civitate Trajectensi a Philippo rege per speciem feudi concessu est duci inferioris „Lotharingiae Brabantiaeque, sicuti Fridericus Schenck, baro a Tautenberg, (Comment. „ad L. III. Feud. ex Oldradi veteris ICti 312. responso) memorat.“ Sed econtra Browerus (l. c. p. 492.): „Quasi vero idcirco res jure non teneamus, quia manus in„jectione vindicare semper non liceat, ubi vis et arma sunt ante leges; aut olim „occupata non fuerit, quia jam non est in manibus.“ Vid. supra notam c. pag. 100 sq.

(c) Apud Mart.: praefati scilicet reges.

„praeceptionibus id ipsum confirmaverunt. Similiter etiam avus nos-„ter, Otto imperator augustus, per suam praeceptionem, ut in ea scrip-„tum invenitur, praelibatam abbatiam eidem ecclesiae Treverensi cum „omnibus utensilibus illuc aspicientibus, innovando donationes prae-„decessorum suorum regum, videlicet Arnulfi, Zwendeboldi, Ludo-„wici et Karoli, ad integrum corroboravit. Sed postea malorum ho-„minum consultu, nefario facto, donationes et confirmationes praedic-„torum regum suamque ipsius, proh dolor! corroborationem, com-„mutatione nulli probabili viro tunc vel nunc placita, adnullavit; „ipsius sanctae jam dictae Treverensis ecclesiae abbatiam, Horrea „dictam, quasi sua propria esset, in concambium praeceptionis suae „auctoritate dando pro abbatia Trajectensi, quae a tot regibus, ut „praelibatum est, tradita et confirmata est. Pro hoc facto nefando „nobis et aliis fidelibus nostris omnibus, qui aderant, majoribus et „minoribus inaudito, praefatus archiepiscopus Egbertus (a) flexis ge-„nibus et voce lacrymabili nostram clementiam precatus est, ut pro „redemptione animae ipsius jam dicti avi nostri, qui eandem Trajec-„tensem abbatiam a jure sancti Petri transtulit (b), et pro remedio ani-„marum beatae memoriae ejus aequivoci, genitoris nostri imperatoris „augusti nostraeque genitricis Theophaniae imperatricis augustae, „Treverensi ecclesiae ablatam abbatiam novo nostrae celsitudinis do-„nativo redderemus et restitueremus. Nos vero divini timoris et „amoris intuitu, simul etiam omnium fidelium nostrorum consultu, „archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, ducum et comitum, piis „ejus petitionibus assensum praebentes, hac regia nostrae majestatis „et potestatis munificentia (c), sanctae Treverensi ecclesiae et prae-„dicto archiepiscopo, qui ei praesidet, quod incaute contra eum fac-

(a) Egbertus — Ekbertus — Ekebertus. — In cod. ms. (Egberti Evangelistario), quem hic archiepiscopus ecclesiae collegiatae ad S. Paulinum dono reliquit, quique codex pretiosissimus modo inter bibl. Trevir. cimelia asservatur, legimus folio primo literis uncialibus aureis: Egbertus, Treverorum archiepiscopus. Plura vide in animadversionibus nostris ad cap. 44.

(b) Edd. legunt: abstulit.

(c) Cod. Eb. Cl.: hac regia nostra munificentia nostrae majestatis et potestatis.

„tum est, satisfecimus, denuo ei dantes et reddentes ac restituentes „suprascriptam abbatiam cum omnibus utensilibus ad eam juste as- „picientibus; et hoc nostro praecepto regio ad integram (a) confirman- „tes, ita ut nec regali potentia, nec alterius personae praesumptione „a sancto Petro et ejus ecclesia Treveris constructa, nisi sub ana- „themate deinceps avelli possit vel auferri. Et ut haec nostrae dona- „tionis, restitutionis et confirmationis auctoritas praesenti ac futuro „tempore inviolabilis perseveret, hoc regiae magnitudinis nostrae prae- „ceptum inde conscriptum manuque propria, ut infra videtur, corro- „boratum, sigilli nostri impressione signari jussimus. Signum domni „Ottonis, gloriosissimi regis (b). Hildibaldus episcopus et cancella- „rius vice Willigisi archiepiscopi recognovi. Data XIIII. Kal. Maji, „anno Dominicae incarnationis DCCCCXCIII. Indict. VI., anno au- „tem tertii Ottonis regnantis X. Actum Ingihliheim feliciter. Amen."

(c) Praefatus pontifex de Britannia ortus (d), patre Theoderico comite et matre Hildegarda nomine, divitiis et nobilitate Anglorum primoribus, divinitus, ut credimus, huic sedi est praedestinatus. Nam ut primum, Treverensibus Christo consulente, sedem hujus ecclesiae conscendit; multifariam ejus inopiam caritate et misericordia, quae in eo habundavit, sic in perpetuum relevavit (e), ut quam diu hic mundus volvitur, ejus memoria digne celebranda judicetur. Mox etenim omnibus suis secundum carnem et spiritum in Britannia propinquis mandavit (f), ut ad se invisendum suaeque generositatis indicium

---

(a) ad integrum: ap. Mart.; ex integro: ap. Brow. et Honth.

(b) Ottonianum hoc monogramma edidit Browerus. Editor Chron. Gotwicensis (T. I. p. 211.) de eo hanc profert sententiam: „De Broweriano monogrammate fatemur ip- „simet, suspectum id esse quodammodo; non quod monogrammate simili non usus fue- „rit Otto, quod generaliter vult Papebrochius, sed quod ante peractam Romae „coronationem, et sic anno 993, quo hoc diploma concessum fuit, monogrammate si- „mili usus non fuerit." — Post mortem Ottonis II. Egbertus Henrici Bavari partibus adhaesit; sed brevi ad obsequium Ottonis III. rediit. V. Gerberti epist. XXVI. et CVI.

(c) Quae sequuntur usque ad periodum, quae incipit: Jejunium etiam pro siccitate &c. desunt in edit. Mart.

(d) Confer animadvers. ad hoc cap. in fine.

(e) Ed. Leibn.: relevat.

(f) Ibid.: mandat.

declarandum, se praepararent, et proximo natali Domini cum omni pompa et ambitione, Treberim propararent. Quod cum ipsi studiose et strenue implessent, ipse, caritate mediante, omnibus (a) quas detulerant rebus et pecunia spoliavit, iisdemque in patriam reversis, multoque plura remittentibus et pretiosiora adjicientibus, ecclesiam suam, paganorum et christianorum rapina exinanitam, largissima liberalitate ditavit; aureis et argenteis crucibus, plenariis, casulis, dalmaticis, tunicis, palliis, cappis (b), velis, cortinisque et possessionibus auxit; monasteria urbis rapina et provincialium praediis exhausta, recollectis ubique manu potestativa possessionibus, reparavit (c). Militum enim ambitionem refrenare non timuit; comprovincialium tyrannidem aequus arbiter auctoritate sua repressit (d). Jejunium etiam pro siccitate terrae imminente (e), et rogationes cruciumque et sanctarum reliquiarum gestationes per circuitum vallis Trebericae, ab omnibus, qui sunt in sua parochia, tertia post pascha hebdomada fieri praecepit (f). Corpus insuper sancti Celsi confessoris in cimiterio sancti

(a) Cod. Eberh. Clus.: omnes.

(b) capsis: ap. Leibn.

(c) Periodus, quae incipit: Militum &c. deest in edd. et plurimis mss.

(d) In cod. Guelf. et in ed. Leibn. interponuntur sequentia: „Abbaciam sancti Serva- „tii dono Ottonis secundi recepit;" sed false. Cod. Eb. Clus. hanc periodum sic legit: Exhausta monasteria possessionibus auxit; urbes rapina conprovincialium desolatas, praediis ubique recollectis, manu potestativa reparavit.

(e) Hanc terrae siccitatem Browerus refert ad annum 983. — Post hyemem durissimam (narrant hujus saeculi Chronographi quidam) secutum est Nonis Julii gelu insolitum: exinde siccitas tanta et imbrium inopia, ut prata arescerent, fruges, et quidquid satorum erat reliquum, interiret. Nata exinde fames, et ex alimenti inopia lues pecorum hominumque tanto gravior, quanto diuturnior. —

(f) Laudatus Brow. de hac re ad a. 983 refert sequentia: „Id malum Egbertus jeju- „nio, quod hodieque bannitum, seu a rei seu spatii sanctione, vel poenali indictio- „ne appellant, expiari, pacemque Dei ambarvali supplicatione exposci, tertia a pa- „schalibus hebdomade, semper deinceps, praelatis crucibus atque reliquiarum ferculis „voluit." &c. — Chronicum Limburgense (cujus ms. originale bibl. Trev. possidet) hoc factum exprimit his verbis: „Eckbertus, archiepiscopus Trevirensis, ex „Comitibus Hollandiae natus, processionem nigram ad 7 templa cum jejunio „bannito instituit." — Durandus in Rationali divinorum officiorum (Lib VI. cap. CII.) ubi de rogationibus agit, haec habet: „In litaniis debemus, secundum Aure- „lianense concilium, jenunare, et cappis nigris, in signum poenitentiae, uti, nec „debet quis uti veste solemni; propter quod vocantur processiones nigrae."

Eucharii reperit. Iste (a) namque Ekebertus archiepiscopus, et Theodericus, Metensis episcopus, anno Dominicae incarnationis DCCCCLXX., cum Ottone Magno, et gloriosissimo imperatore augusto, cujus conjunx Theophania, in Italia per triennium fere constituti, multa sanctorum corpora collegerunt, quae ad sedes suas transmiserunt. Ekebertus sanctum Severum (b) presbyterum in Terentina (c) valle sepultum, de quo sanctus Gregorius in libro dialogorum meminit, adjutorio regis supra nominati adquisivit (d). Obtinuit etiam in Spoleto ossa Gregorii martyris et Pontiani martyris, in castro Turegum reliquias Felicis et Regulae. Episcopus autem Corfinii Theoderico, episcopo Metensi, dedit corpus sanctae Luciae virginis, testificans (e) manu sua evangelio supposita, hanc ipsam esse Syracusanam, de qua responsoria et antiphoniae cum missa cantantur ubique, et eo loci per Foroardum, quendam ducem Spoletinum, translatam. Quod dimidium idem Theodericus Ekeberto archiepiscopo devotissime petenti tradidit.

CAPUT XLV.

Hujus etiam industria Treberensis ecclesia baculum sancti Petri, jam diu amissum, recepit. Quem qualiter amiserit, breviter dicemus. Temporibus sancti Maximini, Hunis Rhenum transire et Gallias in-

---

(a) Leibn. legit: Juste, sed male. — Conf. quae leguntur de Egberto in historia inventionis S. Celsi, auctore Theoderico, scriptore coaevo (Act. SS. Antwerp. III. Febr. p. 397.).

(b) Conf. quae supra dicta sunt de Roberto archiep. Differentiam hanc Browerus (in suis Annalibus ad annum 952) conciliare studet.

(c) Tarrentina: ap. Mart. Honth. quidem legit nobiscum: Terentina, sed notat hic auctor ad marginem: Tridentina; nescimus, quo titulo. — Cod. Eberh. Clus. sic legit: Eckbertus corpus sancti Severi presbyteri et martyris primum in Terentina valle Romae sepultum &c. — In Actis Sanctor. (Antwerp. Febr. T. II. p. 826.) legitur: vallis Interocrina, et apud Browerum: Terrorina vallis provinciae Valeriae.

(d) Quidam codd. addunt sequentia: qui per Mosellae fluminis alveum transvectus est. Cod. Trev. N°. 1462. porro addit: in monasterio Meinfeldt collocavit.

(e) Ibid.. testificantis.

vadere (a) meditantibus, sanctus Servatius, Trajectensis episcopus, praevidens in spiritu caedes et incendia totiusque Galliae futurum excidium, Romam causa orationis adiit, ut suffragio apostolici patrocinii mitigaret iram Domini. Ubi dum triduo precibus et lacrymis insisteret, responso didicit apostolico, nullo modo vindictam Domini praeterituram, nilque in Gallia civitatum vel ecclesiarum inustum relinqui, nisi solum in Metti (b) monasterium sancti Stephani. Inde ergo reversus Treberim, sancto Maximino, quod audierat, retulit (c), nec multo post apud Trajectum obiit. Quidquid igitur in civitate Treberica erat reliquiarum mobilium, praedictae hostilitatis metu ad Mettim deferendum consilio sapientum est decretum. Porro ante Hunorum irruptionem, Treberi Graecorum (d) pertulerunt invasionem, nec multo post ille omnium fama celebris Attila, rex Hunorum (e), miseriarum gurges et malorum, a Rheno Aurelianis usque omnem Galliam captivavit, incendit et vastavit. Exin cum pace reddita coepissent urbes et vici secundum pristinum inhabitari, Treberi res suas a Metensibus repetentes, in vanum fuere laborantes. Placuit ergo tributum de civitate Treberi, sancto Stephano, Metensium patrono, annuatim persolvi; quo per hanc exhibitam venerationem mererentur aliquam rerum suarum restitutionem. Quibus cum praeter baculum alia redderentur, essetque pudor, Trebiros victores quondam gentium, tributarios esse Metensium: rupto foedere, altare in honore sancti Stephani super quatuor columnas in curia erexerunt Treberica et praedictum censum annis singulis illuc persolverunt. Deinde a Metensibus in curia regis orta querimonia, et dicentibus annuum tributum a Trebirensibus sibi debitum aliquot jam (f) annis sibi negatum; istis quoque negantibus, unquam se alicui tributarios

---

(a) et Gallias invadere: non legitur in edd. Leibn. et Honth.

(b) Al.: in Meti — in Metis.

(c) Apud Mart. legitur vitiose: Inde ergo Treverim reversus S. Maximinus, quod audierat, retulit.

(d) Plurimi codd. mss., inter quos nostri Trevir., Paris., alii, legunt: Graecorum. Ap. Leibn. et Honth.: Francorum. Conf. quae supra p. 59. dicta sunt.

(e) Ed. Leibn. addit: humanarum miseriarum.

(f) jam: deest ibid.

fuisse: Metenses in fidei et querelae suae testimonium rogant mitti et inspici, quod super columnas erat in curia altare locatum (a). Quod cum utrorumque arbitrio definitum foret fieri debere: Treberici occulte celerrimum nuntium miserunt, et altare columnis depositum in monasterio sancti Petri collocaverunt. Sic ergo cum res mota querimoniis probari non posset testimoniis, Trevirenses hac potiti victoria, baculi tamen caruere praesentia, donec post supradictas et trium adhuc gentium gravissimas irruptiones Wandalorum, Francorum et Northmannorum (b), Ottone regnante, frater ejus potentissimus (c), Coloniensis episcopus, hac etiam civitate donatus, a Treberensibus rogatus, baculum huic ecclesiae restituendum a Metensibus extorsit; sed eum eadem, qua clavum Domini, perfidia subtrahere voluit et Coloniensi ecclesiae dono dedit. Paucis hinc annis transeuntibus, Ekeberti archiepiscopi instantia, Warinus, Coloniensis episcopus, partem baculi cum apice secans, superiorem partem sibi retinuit, reliquam huc transmisit.

Feruntur (d) hirundines ab hoc viro, scilicet Ekeberto episcopo, maledictae (e), templum sancti Petri non involare, vel si involaverint, exanimari; quod sibi quadam die super altare sacra celebranti ex una earum caput contigisset foedari (f). Adveniente quondam festivitate sancti Eucharii, ipse pro celebrando ibidem divino officio, ad ejus monasterium perexit; cumque post expleta missarum solempnia a fratribus peteretur obnixe, cibi et potus caritatem sumere; ne eis onerosum fortasse existeret, si tanta comitatus ambitione ibidem reficeret, coepit oblatam a fratribus caritatem omnino refutare et reditum suum in urbem maturare. Cumque venisset ad flumen Oli-

---

(a) Cod. Eb. Clus.: erectum altare. — Ap. Leibn.: in curiae altare collocatum.

(b) Desunt haec: post supradictas et trium adhuc gentium gravissimas irruptiones Wandalorum. Francorum et Northmannorum in cod. Eberh. Clus.

(c) Cod. prraefatus addit: Bruno archiep. Coloniensis. — In ms. Stuttg. ad marginem legitur: Bruno.

(d) Ferunt: ap. Leibn.

(e) maledicente: legitur ibid. et ap. Honth.

(f) Haec periodus non legitur ap. d'Ach.

viam (a), coepit infirmitate gravi deficere, nec mora ad suam sedem perveniens, diem clausit extremum (b). Sepultus est ibidem in parva ecclesia, quam ipse in honore sancti Andreae construxerat (c), in latere ecclesiae dextro. Sinistrorsum vero depositus jacet Heinricus primus supra nominatus, hujus tertius antecessor, quem in Italia defunctum, huc relatum illic sepelivit.

CAPUT XLVI.

Huic successit Luidolfus (d), natione Saxo. Hic muris ecclesiam sancti Petri ac fratrum habitacula circumcinxit (e), et ut ea, quae intra sunt, usui canonicorum cedant, exceptis quae ad episcopum pertinent, instituit; quatenus, quomodo religione, ita et mansione a plebe sequestrentur (f). Quo pontificante, praefuit in monasterio sancti Paulini praepositus, nomine Adelbero, de Lutzelenburch ortus, vir potens (g) et dives, habens castella haec: Sarburch, Berencastel

---

(a) Al.: Olewiam, Oluvam (h. Olewig).

(b) Diem mortis ejus veteres membranae indicant V. Id. Dec. anni DCCCCXCIII. Epitaphium, quod, premente vetustate, excidit, habet Browerus (ad annum 993). — In parva ecclesia, i. e. in sacello antiquo, ecclesiae metropolitanae versus Orientem tum vicino. — Unus codd. Trevir. habet: sepultus est in coemiterio summae aedis.

(c) Quae sequuntur, absunt ap. d'Ach.

(d) Al.: Lutholdus, Ludolfus, Luitholdus (Ex Goslariensi ecclesia). — Ditmarus de eo scribit: Venerabilis archiep. Luitolfus, vir doctus. Rarioris doctrinae titulum adscribit illi Hermannus Contractus. Otlonus, Fuldensis monachus, in prologo ad vitam S. Pyrminii, qui Ludolfo inscriptus est, hoc elogium habet: „Fides et veritas te composuerunt, caeteraeque virtutum catervae tam firma tutela muniunt, ut livore careas et ab omni ventositate immunis existas.“ — Obitum Luidolphi Necrologium S. Maximini VI. Decembris; post Pascha Ditmarus; Fuldense Necrologium, et rectius, ut opinamur, XIV. Kal. Aprilis, ante Pascha, quod anno MVIII. in XXVIII. diem Martii incidit, consignavit. — Hujus archiepiscopi sepulturae locus nullomodo compertus est.

(e) Cod. Eb. Clus. addit: immunitatem eis constituens. — Plura hujus capitis non leguntur ap. d'Ach.

(f) Apud Mart.: sequestretur. Ap. Leibn. et Honth.: sequestraretur. — Cod. Eb. Clus. hunc sensum sic habet: quatenus, quomodo religione et clericali ordine, ita mansione a laicali conversatione separati essent.

(g) In eod. cod. legimus: vir genere, divitiis, potentia clarus, sed animo vafer, rigidus et insolens.

et Rutiche; qui, inito cum Luidolfo archiepiscopo pravo consilio, ecclesiam sancti Simphoriani, quae abbatibus sancti Martini subjacebat, partim vi, partim dolo sibi vindicavit, episcopo, proh dolor! sibi consentiente (a), et deinceps eam sancto Paulino retinuit. Luidolfo autem defuncto, ea fiducia, quia sua soror (b) Heinrico Claudo imperatori nupta fuerat, episcopatum invasit, milites in sua sacramenta jurare coëgit, palatium, quod situm est in urbe, occupavit; pontem quoque Mosellae turribus munivit. Heinricus autem imperator Megingaudo episcopatum dedit, praeposito ecclesiae Mogontinae. Qui cum potentiae Adelberonis resistere pararet, LX. mansos de rebus sancti Martini Ravengero de Madelberch, et Vdelberto de Stalle (c) in beneficium dedit, nec tamen praevaluit. Tunc Heinricus imperator cum exercitu Treberim venit et palatium obsedit, a dominica post albas usque ad Kal. Septembris. Qua obsidione non solum regio in circuitu urbis undique vastata; sed ipsa quoque civitas, quae jam post vastationem Northmannicam aedibus exornata et aliquatenus fuerat inhabitata, in pristinam solitudinem pene est redacta. Non solum denique obsessores, sed et ipsi palatini obsessi (d), frequentibus eruptionibus ipsos obsessores et finitima palatii populabantur. Una die de vertice Jurani montis (e) multitudo boum et ovium ad servitium imperatoris adducta, cum praesidio militum descendit. Quod palatini ex arce prospicientes, eruptione subito facta, boves et oves, praesidio eorum fugato, ante se in palatium compulerunt. Quos caesariani

---

(a) Cod. Eb. Cl. hunc locum reddit his verbis: Juxta vulgare proverbium Ludolfus episc. per digitos respiciebat. — Browerus (Annal. Trev. L. X.) rem fuse describit.

(b) Frater Cunigundae imperatricis, Theoderici, Metensis episcopi, et Henrici, Lucelinburgensis comitis. — Ditmarus ad an. 1008. ipsum immaturum juvenem dicit. Chronicon Saxonum Quedlinburg. scribit: Adalpero clericus, Reginae frater, abominationes multas concitavit contra omne jus et fas.

(c) Ap. Leibn. et Honth.: Navengero (Ravengero de Madelberc) et Udelberto de Scalle (Stalle). — Ap. Mart.: Ravengerocle, Madelbret, Oudelberto de Slalle. — Ap. d'Ach.: Martini de Madelberg, Adelberto de Stale.

(d) foventes partem Adalberonis: Cod. Eb. Clus.

(e) Vide notas ad hoc caput in fine operis.

milites persecuti, apertis portis simul cum illis palatium irruperunt. Nec mora palatini ex abdito portas clauserunt, omnesque, qui irruperant, missis ex arce lapidibus, alios occiderunt, alios graviter sauciaverunt, reliquos ceperunt. Tunc imperator ex materia domorum urbanarum machinas circa palatium usque ad arces praecepit erigi, quo facilius posset palatinos ex ipsa machinarum aequa palatio altitudine angustare. Hae quoque, palatinis fortiter repugnantibus, igne inmisso, vel succensae vel dirutae (a) sunt. Caesar ergo, cum nequaquam proficeret in ejus expugnatione, ad Kal. Septembris profectus, pontem dejici jussit, quem custodia (b) Adelberonis obtinuerat, et Megingaudo episcopatum confirmavit. Qui (c) usque ad finem vitae suae in castello Confluentia episcopatum administravit: Adelberone supradicto invasore maximam episcopii (d) familiam retinente. Tandem circa finem Megingaudi, gravi infirmitate depressus (e), omnia Megingaudo restituit (f), sed palatium sibi (g) retinuit.

Obeunte Megingaudo, Heinricus imperator Popponem, in Regenesburch (h) educatum, ad offensam Adelberonis, praesulem constituit, ita dicens: talem virum debeo dirigere, qui tuae vesaniae sufficiat resistere. Igitur Adelbero, tandem sero poenitentia tactus, nec valens vires Popponis sufferre, supplex eidem factus, palatium et sua castella, et omnia sua contradidit, et deinde in monasterio sancti Paulini usque ad finem vitae permansit (i).

(a) Codd. Mus. Brit. et Eb. Cl.: diruptae. Ed d'Ach.: vel domitae sunt.

(b) In edd.: quem custodiae Adelberonis obtinuerant.

(c) Ap. Leibn.: quem. — Megingaudus (Al. Meingoz, Meingaudus) supra dicitur Praepos. eccles. Mogunt.; in Annal. Hildeneshemensibus vero: Primiscriniиs (i. e. Cancellarius) regis. — Episcopi munus, Confluentiae tranquillo velut in exilio degens, ex eo castro tum per se, tum per Walkerum episcopum, vicarium suum, administravit. V. Calmet (Hist. Loth. I. Lib. 19. ex Chron. Saxon. ms.)

(d) episcopi: d'Ach.

(e) deprehensus: ibid.

(f) reddidit: ibid.

(g) sibi: deest ibid.

(h) Rabenberg: ibid. male.

(i) In cod. Francof. Fich. et in ed. d'Ach. in fine hujus capitis additur: Heinricus vero imperator ob ea incommoda, quae civitati patravit, tabulam ex auro et argento et lapidibus pretiosis, aequalem secundum altaris sancti Petri magnitudinem, ad satisfaciendum sancto Petro direxit.

CAPUT XLVII.

Anno Dominicae incarnationis mill. XVI. (a) **Poppo** archiepiscopus Trebirorum ordinatur. Hic saepius occupatus in expeditione et procinctu militum, quaedam de sancto Paulino tulit (b), de palatio (c) etiam LX. monialium praebendas militibus (d) in beneficium distribuit. Berencastel, quondam Adelberonis a praedonibus defensum, destruxit; aliud quoque castellum cujusdam tyranni Adelberti, quod (e) dicebatur Skiva (f), ad terram dejecit. Qui videlicet Adelbertus castellum, Treberis quondam in honore sanctae Crucis constructum (g), possidebat. Inde frequenter cum multitudine militum erumpens ad curiam (h) episcopi, quidquid ibi ad ejus obsequium parabatur, violenter auferens abducebat. Cujus rei ignominia confusus episcopus, videlicet quod hostem cottidianum sibi tam proximum, ob munitionem castelli, non posset debellare, multis ad amicos suos habitis querimoniis, ad hujuscemodi (i) infamiam depellendam, consilium et auxilium coepit inquirere. Erat autem in exercitu ejus vir potens divitiis, et viribus fortis, nomine Siko, qui promisit se ten-

---

(a) Codd. Guelf., Vindob., N°. 686 sign., et Stuttg. non faciunt mentionem anni; in ed. d'Ach. vero legitur 1015. Plurimi codd. notant annum decimum sextum supra millesimum. In foliis mss., quae sub N°. 1347 in bibl. nostra Trev. adservantur, legimus: Mortuo Megingaudo, anno millesimo decimo sexto, Heinricus imperator Popponem Trevirorum ecclesiae obtulit, atque fine anni clerus populusque admisit, Kal. Januarii sequentis anni consecratus est. — Conf. Brow. Annal. Trev. I. p. 502. sq., et illa, quae legimus infra in cap. 48. Vide etiam animadversiones nostras ad hoc cap. in fine.

(b) retulit: Cod. ms. Vindob., N°. 1069 sign.

(c) Palatiolo (h. Pfalzel).

(d) militibus: abest in ed. d'Ach.

(e) qui: Leibn. et Honth.

(f) Hoc castrum sub variis nominibus in mss. venit: Skipha, Skivia, Sissiva, Sisitra. Cod. ms. Trev., N°. 1334 sign., habet: Skiva, quod Muncler um dicebatur (posteris temporibus).

(g) Vide notas ad hoc cap. in fine.

(h) Unde: Cod. Vindob. N°. 1069. — Quae in hoc capite continentur, transcripsit ad verbum auctor vitae S. Meinwerci, episcopi Paderbornensis, quam primum ex mss. publicavit Ch. Browerus, Moguntiae 1616., et Leibnitius reimprimi fecit T. I. Scriptorum Brunsv. V. in Brow. edit. p. 40. sqq., et apud Leibn. p. 542 sq. num. 41.

(i) hujusmodi: Ms. praef. Vind.

taturum, si quo modo posset hujus mali invenire medicamentum. Episcopo sibi satis congratulante, egreditur ille, cupiens, quae spoponderat, adimplere (a). Quadam die pergit ad portam castelli, pulsans fores (b), rogat sibi ab Adelberto (c), ad refocillandum, poculum mitti. Quod cum celeriter allatum fuisset et ebibisset, pincernam (d) nuntium alloquitur: Domino tuo, ait, ex mea parte magnas gratias nuntiato, pariter et haec verba narrare curato, quod vita sospite, hoc sibi poculum grata voluntate citissime rependere studebo (e); et his dictis, abiit. Captato deinde opportuno tempore, triginta hamas (f) praeparat, in quibus singulis singulos milites electos, loricatos et galeatos ensibusque praecinctos collocat, et desuper (g) linteis opertos funes, quibus vectes ad portandum eas insererentur, componit; deinde LX. viros nichilominus electos, et plebeja veste amictos, ensibusque eorum in hamas (h) reconditis, gestatores constituit, nulloque hominum hujus fraudis praeter praedictos (i) concio, ipse Siko cum his et aliis paucis militibus vallatus ad castellum tendit, fores pulsavit. Servo sciscitante, quis sit et quid velit? Dic, ait: domino tuo, me sibi vinum magnae dilectionis gratia olim promissum deferre, quando ipsum non piguit, mihi sitienti poculum dirigere. Servo renuntiante, Adelbertus jussit viros intromitti; quibus ingressis, et hamas coram Adelberto in terram (k) simul ponentibus, post eos Siko subintrat, jubet auferri lintearum velamina, rogat Adelbertum suscipere dilectionis

---

(a) attemptare: ibid. — quod spoponderat, adtentare: ed. Leibn. — adtemptare: d'Ach. et Mart.

(b) foras: Codd. Francof. (Fich. et bibl. publ.)

(c) Alberto: Cod. Vind. praef.

(d) pincernam: deest in cod. Fich. et ap. d'Ach. — Ms. Vindob., N°. 686 sign., habet male: pincernum.

(e) curabo: Cod. ms. Trev., N°. 1200 sign.

(f) amas: in mss. recentioribus. — Hama sive ama sensu ordinario est mensura vinaria aliorumque liquidorum. In hoc strategemate significat majus quoddam dolium vinarium.

(g) et desuper &c. usque ad verbum componit (inclus.) non legitur in edit. d'Ach.

(h) Cod. Eb. Cl. et edit. Mart.: in hamis. — Cod. Trev. N°. 1200: in amis.

(i) viros: addit cod. Fich.

(k) in terram: non legitur ap. Leibn.; ibid.: post eas. — in terra: ms. Stuttg.

munera. Portitores (a), sicut erant docti, uno momento pariter omnia hamarum velamina dejiciunt, gladios suos diripiunt, insidiae de hamis exiliunt, gladios stringunt, fortiter undique feriunt, ipsumque Adelbertum (b) truncant (c), ceteros aedituos crudeliter mactant, castellum in solitudinem redigunt (d). Siko a Poppone pro victoria beneficiis illustratus est.

(e) Simili modo per alios principes suos multa castella, partim vi, partim dolo cepit tyrannorumque insaniam diu impune bachantem ex parte maxima refrenavit. Monasteriis sane eorum (f) violentia pene exhaustis, prout potuit, misericorditer succurrit, quibusdam non habita dando, quibusdam ablata restituendo; exceptis duntaxat, ut supra diximus, duabus congregationibus, sancti Paulini videlicet et sanctae Mariae de Palatio, ex quibus alteri propter Adelberonis insolentiam quaedam subtrahendo minime pepercit, alteri propter malitiam ibidem habitantium, de quibus postea dicemus, cuncta quae habuerant (g), abstulit ipsasque de loco eodem exterminavit.

Hic (h) rogatus a quodam Danorum comite Ottone, Daniam (i) venit gentemque Danorum adhuc idolis servientem, ad Christum con-

---

(a) Portatores: ms. Vind. N°. 1069. — Ibid.: pariter onera hamarum deponunt, velamina dejiciunt. Ap. Leibn.: dejecerunt — diripuerunt. — gladios suos: addit praef. cod. Vindob.

(b) ipsumque: deest in plurimis codd.

(c) obtruncant: codd. Fich., Trev., N°. 184 sign., Francof. bibl. publ., et edd. Leibn. et Mart.

(d) Cod. S. Mariae ad Mart. hoc loco interposuit: Sic Dei misericordia episcopus a tyrannide Adelberonis mirifice est liberatus, et Siko &c. Omnes alii codd. haec non habent.

(e) Sequentia hujus cap., et capita 48, 49, 50, 51, 52, 53, 54, 55 et 56 desunt in cod. Fich. et in ed. d'Ach.

(f) Cod. Eb. Cl.: eorundem tyrannorum.

(g) habuerant — ipsasque: sic codd. mss. Vind., sed minus accurate.

(h) Quae sequuntur usque ad finem capitis, false Popponi nostro attribuuntur. Scriptor quidam posterior, qui collectiones anteriores ad sua usque tempora in unum corpus redegit, additamenta haec scriptis Golscheri, Joannis I. et Joannis II. interposuit, et primaeva scripta tali modo dilatavit, et etiam, ut jam in Prolegomenis nostris notavimus, ad suum sensum hinc inde immutavit. Vid. notas ad hoc cap. in fine.

(i) Al. legunt: Daciam, Daxiam.

vertit, ubi incredulis repugnantibus chyrothecam (a) ferream fieri praecepit eamque igniri, quia manu sua vestita nec laesa, lineoque panno cera infuso ad carnem indutus, fornacem candentem intravit, indeque panno combusto illaesus exiens, Christum, Dei filium, Deum esse verum, hoc judicio declaravit. Hoc usque hodie apud Danos celebri fama vulgatur, a quibus et Ansgarius (b) vocatur. Quo nomine ejus memoria ab eis quinto Idus Septembris celebratur. Sepulchrum Treberi a Danis frequentatur.

CAPUT XLVIII.

Sed quia tantisper ejus mentionem fecimus, libet a principio quaedam gestorum ejus breviter narrando commemorare.

Regnante serenissimo Heinrico, rege quidem secundo, imperatore autem primo, anno regni ejus XIIII°., Megingaudo, Trebericae civitatis archiepiscopo, de medio facto (c), domnus Poppo in gaudium et laetitiam universae civitatis cathedram episcopalem suscepit. Vere, inquam, in gaudium, quia, ut in ipsum scholastici cujusdam verbis utar, almum tutorem secum tulit huc Symeonem. Unde in sequentibus plenius, Deo largiente, tractabo: primum autem quibus parentibus, quibus etiam partibus extiterit oriundus, quantum ad meam notitiam seniorum relatione (d) devenit, referre curabo. Patri ejus Luiopaldi (e) nomen erat, qui regionis Austriae marcam (f) tenebat; mater autem ejus Richeza (g), cujusdam ducis Germaniae Francicae filia, fuit; sed et frater ejus patris aequivocus, patre eorum defuncto, eandem marcam strenue (h) gubernabat. Hi itaque (i) filium

---

(a) cyrothecam: ms. Vind. N°. 1069.
(b) Ansgerius: ibid. — Danis nono saeculo Evangelium praedicavit S. Anscharius, monachus Corbeiensis.
(c) de medio sublato: Leibn. et Honth.
(d) Scriptor ergo, et, ut ita dicamus, amplificator hujus vitae, coaetaneus Popponi non fuit.
(e) Cod. Eberh. Clus. habet: Linthpoldi; in edit. Leibn.: Liupaldi; apud Mart.: Luopaldi; alii: Lupoldi.
(f) Al.: marchiam.
(g) Richinza: ap. Leibn.
(h) strennue: codd. Vindob.
(i) illustrissimi parentes: addit cod. Eb. Clus.

suum, Popponem dico, aetate proficientem, disciplina litterali erudiendum in Regenesburch civitate viris doctioribus (a) tradiderunt, et post in processu temporis scientia litterarum satis imbutum, et in virile jam robur adultum, notitiae supradicti regis exhibuerunt. Cui in brevi tam dilectus factus tamque idoneus visus est, ut, sicut dixi, Megingaudo, episcopo Trevericae metropolis, de medio facto (b), rex ipse Treberim festinato venerit (erat enim in Confluentia positus) et impetrató tam cleri quam populi consensu, ipsum pontificali cathedra sublimaverit (c). Proinde ibidem (d) ab episcopis, qui causa regis advenerant, consecratus est sub die Kal. Januarii anno Dominicae incarnationis millesimo XVI.; consecratorum autem ejus unus erat Theodorus secundus (e), Metensis episcopus. Deinde, diebus non multis interpositis, Romam orationis causa profectus est, et (f) ut, quod sancta Romana ecclesia mater filiae suae, Treberensi videlicet (g) ecclesiae, ex institutione sanctorum apostolicorum (h) honoris (i) et gratiae debuisset impendere, (k) fieri sibi postularet. Quem domnus Benedictus octavus, sacratissimae (l) apostolicae sedi praesidens, magno cum honore suscepit, moramque ibi facienti omnem reverentiam et dilectionem exhibuit; ita ut pro eo missas faceret (m), et cum ipso saepius cibum caperet, volentemque (n) inde transmi-

---

(a) juris doctoribus: legunt codd. Trev., N°. 184 et 1347 sign., et edit. Mart.
(b) Al.: sublato.
(c) sublimavit: Leibn.
(d) ibidem: ita et reliqui nostri codd. mss., ut et ed. Mart.; sed Leibn. et Calm. non habent.
(e) Al.: Theodericus. Nostrae lectioni concordant codd. Vind. 1069., Stuttg., Trev. 33., 35., 1200., 1346., et ed. Mart.
(f) et: deest ap. Leibn. et Mart.
(g) scilicet: Leibn.
(h) apostolicorum patrum: cod. Eberh. Clus. — Apostolorum: cod. Trev. N°. 1200.
(i) honorum: ed. Leibn.
(k) et fieri: ibid. — postulasset: cod. Vind. N°. 1069.
(l) sanctissimae: Leibn.
(m) ita ut coram eo saepius idem Poppo missas celebraret: cod. Eberh. Clus. — In cod. Vind. praef. deest: ut.
(n) volenteque: Leibn.

grare, summopere de ejus, quae in Deum est, fidei conservatione, et de subditorum sibi eruditione, atque de peccantium (a) non furiosa sed paterna castigatione, sed et de munditia animae et corporis solerter ammonebat. Et ut ipsa (b) haec ejus praecepta memoriae ejus non exciderent (c), dedit chyrographum (d), hunc habens modum.

CAPUT XLIX.

„Benedictus episcopus, servus servorum Dei, beatissimo confra-„tri et episcopo Popponi, sanctae Trevericae sedis archiepiscopo „venerabili, aeternam in Domino salutem et apostolicam benedictionem.

„Apostolicae sollicitudini convenit, benignum erga fratres semper „praebere (e) affectum eorumque petitionibus, quae ratae (f) rationales-„que esse videntur, commodare assensum. Proinde, dulcissime fra-„ter, quia postulasti (g) a me, uti juxta morem praedecessorum tuo-„rum, usum tibi pallii concederemus, libenter voto tuo annuimus, „sollerter tuam commonentes fraternitatem, ut exterioris indumenti „habitum morum probitate exornes, talemque te (h) in omnibus ex-„hibeas, ut creditae dispensationis officium pastorali cura semper „amministrare studeas. Tunc enim veluti lucerna, quae in domo „Domini (i) lucet, cunctis apparebis conspicuus; si, uti (k) exteriori „habitu, ita et interiori fueris adornatus; crucem Christi, quam sub „pallii specie gestas in corpore, intus decreveris portare in mente, „clamans cum Apostolo: Mihi mundus crucifixus est et ego „mundo. Desideranter quoque addens et illud Prophetae: Confige

---

(a) deprecantium: ibid.
(b) Quae sequuntur: Et ut ipsa &c. non leguntur in quidusdam codicibus mss., neque hoc instrumentum exhortationis Benedicti pontificis.
(c) exiderent: Leibn.
(d) Al.: cyrographum.
(e) habere: Leibn.
(f) quae rectae: cod. Trev., N°. 1346 sign.
(g) postulati: Leibn.
(h) te: deest in ms. Vind. N°. 1069.
(i) Domini: deest ap. Leibn.
(k) si ut: ibid.

„clavis (a) a timore tuo carnes meas. Debita igitur karitate „te ammonentes ab apostolica sede pallium tibi transmittimus, hujus „privilegii nostri auctoritate statuentes, ut in celebratione missarum „his tantummodo solempnitatibus eo adornatus incedas, videlicet in „natale Domini, in paschate et pentecoste, in ascensione Domini et „in festivitatibus sanctae Dei genitricis et perpetuae Virginis (b) Ma„riae, et in natali sancti Johannis baptistae et in solempnitatibus „omnium Apostolorum (c), et in solempnitate omnium Sanctorum, in „festis quoque illorum sanctorum, quorum corpora et reliquiae in tuo „episcopatu habentur (d), et in dedicatione tuae ecclesiae, et in die „annuae ordinationis tuae, et si quando sacros ordines competenter „facere decreveris. Concedimus etiam tibi, karissime fili (e)! cru„cem ante te gestandi. Omnipotens Dominus fraternitatem tuam, dul„cissime frater, hic et in futuro custodiat, sicque mentes nostras in „servitio suo corroboret, ut pro bene administratae pastoralis curae „officio, in aeterna beatitudine laborem nostrum remuneret. Bene va„le. Data VI. Idus Aprilis mensis, per manus Benedicti episcopi, „apostolicae sedis legati, anno Heinrici, invictissimi regis Romano„rum XIIII°. (f), imperii vero ejus tertio, Indictione XIIII. etc.

CAPUT L.

Inde vero annis aliquot transactis, cum satageret, ut, juxta Dei voluntatem et secundum suprascriptam Romani pontificis commonitionem, animam suam immaculatam Deo offerret: ecce diabolus, qui, ut

---

(a) In cod. Vind. praef. desunt verba: clavis a &c. — Alter cod. Vindob. legit: claves.

(b) et perpetuae Virginis: abest in cod. Trev. N°. 1200.

(c) Ibid. non legitur: et in solemp. omn. Apost.

(d) Ap. Brow. et Honth. legitur: requiescunt. Cod. quoque Trev., N°. 184 sign., hanc lectionem habet.

(e) Leibn. in sua editione adjicit: licentiam. — Mart. legit: gestandam. — Cod. vero Eb. Clus.: gestari.

(f) Indictio XIV. cadit in annum saeculi hujus decimum sextum. — Brow. et Honth. vero legunt: anno Heinrici XVII. — indictione XV., sed minus accurate.

sacra scriptura dicit, seducit universum orbem, sicut arte sua nequissima per mulierem Adam prothoplastum nosque omnes per eum immortalitatis veste denudavit (a); ita quoque et hujus animum fraudis suae integumentis (b) a proposito castitatis subvertere laboravit (c), ne posset cum Apostolo dicere: **Gloria nostra haec est, testimonium bonae conscientiae**, et cetera. Verbi causa: Est in suburbio Treverensi oppidum quoddam, quod vocatur **aula palatii** (d), ubi ex institutione unius filiarum Dagoberti regis, pretiosae virginis Athelae (e), inibi quiescentis, congregatio (f) erat puellarum, canonicam vitam profitentium. Accidit itaque, ut episcopus uni earum commissuram pallii (g) mitteret, ut ipsa ei exinde caligas, quibus, cum ad missarum solempnia celebranda procederet, indueretur, aptaret. Quas illa suscipiens et impudicitiae suae participem fieri concupiscens (h), arte sua, nescio qua venefica, infecit, sutas remisit. Quibus mox episcopus indutus, mirum dictu, non visum est ei ultra id debere sospite vita (i) procedere, nisi ad praesens rem haberet cum muliere. Attonitus de tam subita mentis mutatione tamque inopinata carnis titillatione, quippe qui disposuerat carnalibus desideriis non consentire, cum festinatione exuit (k), ac uni, ut ita dicam, de principibus sacerdotum, qui forte illic aderat, indutum dedit (l); qui mox ut induit, et ipse festinanter exuit, secum mirans, nichil tamen dicens. Tunc reliqui, qui astabant, quid id miraculi (m) esset, admirati, unus

---

(a) **nudavit**: ed. Leibn.
(b) **tegumentis**: cod. Vind. N°. 1069.
(c) **laborat**: Leibn.
(d) Hodie Palatiolum (Pfalzel) infra Treviros, ad laevam Mosellae ripam.
(e) **Athalae**: ms. Vind. N°. 1069.
(f) **congregationis**: ms. Vind. N°. 686. et Stuttg., sed male.
(g) **panni**: cod. Trev. N°. 1200.
(h) **cupiens**: cod. Trev., N°. 184 sign.
(i) Codd. Guelf., Vindobonenses, Stuttg., Francof. bibl. publ. et S. Maxim. concordant textui nostri cod. S. Math. — In codice Eberh. Clus. ita legitur: **non posse vel hoc temporis punctum sospite vita procedere**; apud Leibn. vero: **ultra decem passus vice sospite vita.**
(k) Cod. Trev. N°. 1208, et ed. Mart.: **exivit**. — Cod. Eberh. Clus: **caligas exuit.**
(l) Praef. cod.: **induendas dedit**. — Mart.: **indumentum.**
(m) **mirabile**: ed. Leibn.

post unum (a) easdem caligas secreto capientes (b), induerunt et similia passi sunt; nullus tamen quid pateretur audebat prae pudore fateri. Novissime ventum est ad urbis praefectum, qui, ut ab episcopo jussus, induit, furore incredibili infremuit et se incantatum esse proclamavit (c); sciscitantique, quis iniquitatis hujus auctor existeret, episcopus aperuit. Tunc omnes, in unum sententias suas proferentes, dicebant, maximum hoc esse dedecus ecclesiae, quod, qui canonica vel etiam ecclesiastica censerentur (d) professione, tali pollerent (e) iniquitate. Eam quidem, quae rem hanc fecisset, ab ordine sanctimoniae projici dignam (f) esse; ceteras vero ibi manentium, ne ab eis quodammodo (g) tam infame (h) procederet, mutatis vestibus, ac pro albis, nigris indutis, artiori vitae debere operam dare: quod si perpeti noluissent, melius esse, ut locus ille careret inhabitatione, quam ibi tales degerent personae, quae hujusmodi nequitiam gestarent sub religionis specie. Et ita factum est. Illa ejecta est, sed et ceterae, nolentes nec habitum nec conversationem mutare, similiter sunt ejectae, et aliae in monasterium puellarum, quod Horreum dicitur, aliae autem ad alia sui habitus migraverunt loca; vacavitque locus aliquamdiu a divinis laudibus. Cujus rei gratia (i) episcopus postea, summa ductus poenitentia, veritus ne hujus causa injuriae extrema divini judicii ultione dampnaretur, annuente domino Johanne (k),

---

(a) post alterum: cod. Trev. N°. 1200.
(b) cupientes: Leibn.
(c) proclamat. ibid.
(d) censeretur: ibid.
(e) pollueretur: ibid. — Cod. Trev. N°. 1346 sic habet: quod qui canonica vel etiam ecclesiastica censerentur professione, tali polluti essent iniquitate. — Codd. Vindob. et Stuttg. legunt: censerentur — polleret.
(f) dignum: codd. Vindob., sed male.
(g) aliquid tam: cod. Trev. N°. 1200, et ed. Leibn.
(h) tam infamie: cod. Vind. N°. 1069.
(i) gratia: deest ap. Leibn. — Similis labes irrepserat (narrant alia folia mss. Trevirensia) in monasterium S. Maximini, ubi aliqui discoli monachi abbatem suum (Popponem) veneno conati sunt occidere. Hoc factum, de quo silet Gestorum scriptor, refertur ad annum 1026. Conf. Chronicon S. Maximini (Honth. Prodr. I. p. 1013.).
(k) Johanne scilicet XIX. — anno 1026. —

tunc Romano pontifice, commissa sub ipsius testimonio comprovincialibus episcopis, suis videlicet suffraganeis, Treverensi ecclesia (a), Jherusalem ire disposuit, unde rediens, in loco supradicto (b) ad laudes Dei celebrandas clericos religiosos mancipavit (c). Euntis itaque Jherusalem, quamque efficax (d), quamque Deo extitit poenitentia grata, prudens quisque liquido potest advertere, cum didicerit, quod divina respectus clementia virum sanctum, beatum (e) Symeonem, sibi conjunxerit secumque adduxerit (f). Cujus quia mentio se intulit, licet de illo prolixior tractatus (g) habeatur, et me libet vel ad modicum, ut sit memoria ejus in benedictione, qui adduxit eum (h) Domino adjuvante, sanctitatem ejus perstringere.

CAPUT LI.

Interea domnus Poppo, de quo sermo est, Trevericae hujus metropolis strenuus provisor, Jherosolimam tendens, ibi loci, quo (i) Symeon morabatur, applicuit, eumque, ut secum venire vellet, exoravit. Qui annuens, cum Antiochiam simul devenissent, Symeon a primoribus, quibus pridem (b) ibi se notum fecerat, remoratus, substitit, donec Poppo Jherosolima rediens, secus civitatem (l) iter reflexit. Tunc ammonitus in somniis, praefato se praesuli commendavait et secum Treverim venit, ubi, prout ipse petiit, in turri quadam deserta, a Poppone reclusus (m), sicut quondam in vertice montis Synai,

(a) commissa sub ips. test. cum provinc. episc., suis vid. suff. Treverensis ecclesiae: cod. Trev. N°. 1200., sed male.
(b) i. e. in Palatiolo infra Treviros.
(c) Cod. Eberh. Clus.: collocavit.
(d) quam efficax: Leibn.
(e) Quidam codd. et edd. Leibn. et Calm. legunt: virum sanctum Symeonem.
(f) conjunxit — adduxit: Leibn.
(g) Ab Eberwino, S. Simeoni et Popponi coaetaneo, scriptus.
(h) adduxit, cum: Leibn.
(i) ibi loci ubi: ibid.
(k) Quidam codd. et ed. Leibn. legunt: pridie.
(l) Apud Mart.: eam civitatem. In cod. Vind. N°. 1069. deest: civitatem.
(m) Al.: inclusus. Vid. notas ad hoc cap. ad calcem voluminis.

ita nunc hic quoque graves malignorum spirituum insidias perpessus est, quas, Domino auxiliante, superavit. Postremo, cum ibi reclusus transegisset septem annos, ei, qui dedit animam, reddidit Kal. Junii, anno Dominicae incarnationis mill. XXXV°. (a). Deus autem eum multis virtutum indiciis magnificavit; ita ut erectis manibus nostris sursum (b) ad Deum ac cordibus nostris evangelium illud exultantes decantare possimus: Quia visitavit Deus plebem suam. Itaque pro miraculorum frequenti ostensione, populus totius hujus provinciae saepe dictum Popponem deprecabantur episcopum, uti ad honorem Dei et sancti illius viri, vel per se (c), vel per epistolam suam, Romanum pontificem consuleret et eventum rei nunciaret, peteretque, quatenus ejus auctoritatis praecepto (d), quem Deus evidentibus miraculis commendaret, et hic etiam fidelium populus digno sanctis obsequio frequentaret, et annuam depositionis ejus diem solemniter (e) celebraret. Super cujus rei negotio archiepiscopus, habito comprovincialium episcoporum consilio, quod subditus sibi populus pie petiit, implere decrevit (f).

CAPUT LII.

Verum, ut ad ordinem narrationis accedam, libet ad superiora parumper respicere. Poppone in praelibati itineris negotio occupato, necdum reverso, Gisilbertus, quidam comes de castello (g), Lutzelenburc nominato, cum filio suo Cunrado, non sicut aliter, quam solet lupus in oves insanire, si quando contigerit pastorem deesse; alius

---

(a) Trithemius in Chron. Hirsaug. asserit: „Symeonem anno MXX. claruisse, in ci„vitate Trevirensi inclusum, ejusque vitam descripsisse Evervinum, abbatem de Do„leia, et anno MXXXVII. mortuum." Sed plura hic menda accumulantur, nam anno 1028 inclusus est et anno 1035 vita functus Simeon.
(b) in coelum: ap. Leibn. et Calm.
(c) vel per se: non legitur ibid.
(d) ejus praecepto: cod. Vind. N°. 1069.
(e) solemniter; deest ibid.
(f) cum provinc. &c.: cod Trev. N°. 1200. — implevit: Leibn. et Calm.
(g) castello: deest in ms. Vind. supra nominato.

hoc, alius illud sibi vendicare; ille quoscunque capere, iste autem depraedari: sicque mala inenarrabilia non cessabant perpetrare (a). Quod episcopus reversus comperiens, nec enim ipso praesente a malitia sua se poterant continere; cum non potuisset ullo modo illis resistere, quippe quibus totius hujus provinciae valentiores, qui hanc in eos debuissent injuriam (b) vindicare, confoederati erant hominii (c) conjunctione, persaepe ad imperatorem Cunradum se proclamavit (d) de illorum tyrannide, nichilque potuit proficere, sicut subscripta ejus epistola commemorat. Unde quamplures et regi et papae mittebant epistolas (e), quas quia pro multitudine tediosum erat singulas ponere, verum etiam quia non omnes contigit ad meam notitiam devenire, hanc tantum sufficiat pro omnibus posuisse (f).

Epistola Popponis ad papam.

„Reverendissimo patri patrum, gratia et nomine (g) Benedicto, „Poppo licet indignus, divina tamen largiente clementia sanctae Tre„virensis ecclesiae minister, cum totius affectus dilectione debitam „subjectionem. Superiori anno cum annuente venerandae memoriae Jo-

---

(a) Ap. Leibn. et Calm. legitur: cessabant, omittendo non; hanc autem lectionem falsam esse, demonstrat contextus.

(b) injuriam: deest in ms. Vind. praef.

(c) Mss. Vind. N°. 686., et Stuttg. legunt: homines; ed. Leibn. habet: hujusmodi; Mart.: homini; erant mira conjunctione: cod. Trev. N°. 1200.; cod. Vind. N°. 1069. vero consentit nostrae lectioni. — Hominium (homagium), vox ad jus feudale medii aevi pertinens, et clientelae professionem sive fidelitatis sacramentum indicans.

(d) proclamat: Leibn.

(e) Cod. Eb. Clus. legit: Unde quam plures suae dyocesis proceres et regi et papae &c. Apud Mart.: Unde quamplures et reges et papae &c.; lectio minime probanda.

(f) prae omnibus potuisse: ap. Leibn., sed male.

(g) Audiamus hocce loco Desiderium, Cassinensem abbatem (seu Victorem III. Pontificem), ejusdem saeculi scriptorem, de Benedicto IX. disserentem his verbis: „Benedictus quidam nomine, non tamen opere — Magi potius Simonis, quam Simonis „Petri vestigia sectatus, non parva a patre (Alberico Consule) in populum profligata „pecunia, summum sibi sacerdotium vendicavit: cujus quidem post adeptum sacerdo„tium vita, quam turpis, quam foeda, quamque execranda extiterit, horresco referre „— — —" (Victor III. PP. L. 3. Dialog. p. 853. ex Bibl. Max. Patrum T. XVIII.) Conf., quae in notis infra sequuntur.

„hanne, in hac sancta sede apostolica praedecessore vestro, amore „visionis sepulchri Dei hominis Jhesu Christi, Jherusalem peregre „profectus fuissem, in regione nostra pravorum hominum supercrevit „iniquitas: ita, ut nec adhuc manus ab incepta possint retrahere ne-„quitia, omnia per circuitum (a) diripientes et devastantes. Super „quo saepissime deprecatus faciem domini mei regis, quatenus ma-„num mihi porrigeret suae (b) animadversionis: nihil profeci. Saepe „etiam supra nominato praedecessori vestro (c) pro eodem supplicavi; „nec quicquam usque adhuc consolationis impetravi. Quam ob rem „desidero, ut vel nunc solatietur mihi Deo amabilis paternitas ves-„tra, mittatque virum de honoratioribus vestris ac prudentioribus, qui „mihi in necessitatibus meis consilio simul et auxilio suffragetur. „Auxilietur, dico, de adversis; consilietur autem de his, quae latere „non credo aures vestrae sanctitatis (d). At vero si hactenus vos la-„tuerunt, jam nunc obsecro uti benignum litteris meis accommodare „velitis auditum. Vir quidam, vitae sanctitate laudabilis, apud nos „diebus istis ex hac luce migravit, quem, si signis et virtutibus, quae „per eum Dominus operatur (e), credere debeamus, procul dubio „cum sanctis aeternae beatitudinis habere consortium non dubitamus. „Sed non tam signa, quae fidelibus et infidelibus communia sunt, quam „fidei virtus, qua fideles ab infidelibus sequestrati sunt, qua ipse, cum „adhuc in corpore maneret (f), plurimum viguit, de ejus nos sancti-„tate certos reddit (g). Proinde accersivit nos tam clerus quam po-„pulus ecclesiae nostrae, obsecrantes, uti litteris nostris ad hanc „apostolicam sedem, cui vos, auctore Deo, praesidetis, cum illius „viri sancti vita et miraculis missis peteremus, quod petitione dignum

(a) per circuitum: non legitur in cod. Trev. N°. 1200.

(b) suae: deest in cod. Vind. N°. 1069.

(c) Sedit Johannes XIX., hujus Benedicti IX. decessor ac patruus, ab anno 1024 ad 1033, imperante Conrado II., ad quem se quoque frustra confugisse Poppo scribit. Interim omnia per archidioecesin direptionis plena et tristia erant, praesertim ab iis, qui Adalberonis praepositi Pauliniani, episcopalem sedem affectantis, partes sectabantur.

(d) vestrae sanctitati: Leibn. — Consoletur autem de his: Mart.

(e) operatus est: cod. Trev. N°. 1200.

(f) Apud Mart.: viveret.

(g) redidit: male scribit cod. Vind. N°. 686.

„credimus; quatenus si ita vobis cautum videatur, dato nobis vestri „apostolatus decreto, nomen ejus liceat cum sanctorum nominibus „conscribi ceteraque honoris (a), sanctis debiti, ipsi impendi. Itaque „quid solatii, quid consilii super alleviatione angustiarum nostrarum „(b), hinc et inde obortarum, prudentia vestra mihi ineundum decre-„verit, sine longa temporis dilatione dignemini insinuare. Honor ves-„ter et meritum apud Deum semper et homines augeatur (c).“ Sed quid papa ad haec responderit, quamque (d) benigne litteras ejus, supra decursas, acceperit (e), mea non est opus praefatione. Ipsum audi, quid dicat.

CAPUT LIII.

Benedictus papa Popponi (f).

„Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Popponi tam suis „meritis, quam divino karismate Trevirorum archiepiscopo, salutem „karissimam (g) et apostolicam benedictionem. Sumptis reverentiae „vestrae litteris et lectis (h) atque relectis, in imo cordis earum vim

---

(a) ceterique honores: Leibn.

(b) mearum: ibid.

(c) Hanc Popponis epistolam non cum Browero ad annum 1042, sed aliquot annis citius (circa 1038 cum Honthemio) referimus. Movit nos sequens reflexio Papebrochii in Act. SS. mens. Jun. I. p. 96. Lit. D., ubi legimus: „Erat Benedictus, cum „anno MXXXIII. contra jus fasque ordinaretur, puer annorum circiter duodecim, ut „scribit Rudolfus Glaber, haud facile hoc in puncto refutabilis, uti suo loco ostendi; „et usque ad annum MXLV., quo Gregorio IX. pontificatum cessit, semper luxuriis „inquinatum eum fuisse, queritur S. Petrus Damiani; neque haec latere Popponem „poterant. Vide tamen quomodo personam Christi, in ejus tam indigno vicario, sanc-„tus archiepiscopus veneretur. Ille, cum epistola scribebatur, fortassis annum necdum „vigesimum attigerat; nec enim in tanta Romanae curiae corruptione cito res expedita „est, sed crebris nuntiorum indiciis crebrisque litterarum characte-„ribus actam causam, significat bulla anno MXLII. expedita; ut inter praenotatam „epistolam et responsum Benedicti facile potuerit effluxisse triennium aut quadriennium.“ — augentur: Leibn.

(d) quanquam: Leibn. et alii.

(e) accepit: ibid. Ultima hujus capitis verba: Ipsum &c. non leguntur in codd. Vind.

(f) In quibusdam codicibus non legitur: papa, sed episcopus.

(g) aeternam: Leibn.

(h) et lectis: non legitur in cod. Vind. N°. 1069.

„reposuimus, ut vobis petentibus desiderata concederemus. Nam il„lius regulam magistri (a) nos oportet, in quantum possumus, imitari, „qui se bene petentibus non est obstinatus, se in veritate quaerenti„bus non est prolongatus, nec ad fores suas perseveranter pulsanti„bus ad aperiendum retardatur. At nos, licet tardius, quam cupivi„mus (b), ad sonum tamen paginae vestrae, ut debemus, pro affectu „respondemus. Neque enim facimus quod (c) volumus, cum volumus, „sed cum divinitus ut faciamus accipimus, quaeque suis temporibus „superna dispositio coaptavit. Quod igitur meministis (d) sedem apos„tolicam, cui ex divina dignatione praesidemus, totius ecclesiasticae „pastoralitatis esse refugium, ut votis vestris ad eam confugientibus „annueremus meritis amplexibus, haec ipsa verba donavimus, quip„pe cum sit origo et fundamentum ecclesiarum, Domino confessionem „Petri taliter compensante: Tu es Petrus et super hanc pe„tram aedificabo ecclesiam meam; dignum plane videtur, ut „omnis christiana fidelitas ad eam concursum habeat, et ipsa omnibus „manum solatii porrigat. Vobis vero in congressu positis, ad iniqui„tates pravorum hominum debellandas, ac spirituali gladio puniendas „(e), quoniam in rebus divinitus vobis commissae vicis (f) coadjuto„rem praesulem a nobis poposcitis, eum dirigimus (g). Quem quidem „et honestas morum, sicut nomine indicat, et sagax animi pulchritudo „decorat, quem huic negotio aptissimum censuimus, quia Dei fidelem „servum et prudentem cognovimus. Cui et astutia serpentis est et

---

(a) illius regulam jugiter: Leibn.
(b) Mart., Calm. et Leibn. legunt: cupimus; cod. Guelf. autem: concupivimus.
(c) quae: Leibn.
(d) meministi: ibid.
(e) Leibn. et Calm. legunt: percutiendas.
(f) Cod. Eberh. Clus.: in rebus divinitus vobis commissis coadjutorem &c.
(g) Mart. legit: en dirigimus, quem quidem &c. — poposcistis: codd. Vindob. et Stuttg. — Quod fuerit apostolici hujus legati nomen, quaeve conditio, nusquam expressum legitur; prudens tamen est, et variis suffulta adminiculis conjectura Papebrochii in Act. SS. Tom. supra citato p. 97. Lit. A., eum fuisse Gratianum Archipresbyterum, laudatissimum virum, qui deinde Benedictum et Silvestrum, de pontificatu contendentes, ab ejusdem usurpatione prudenter deduxit; et pontifex electus, ipsemet dictus est Gregorius VI., licet postea pontificatui cesserit, quia voluit.

„columbae simplicitas, de cujus quodammodo labiis fluunt mella pro „captu audientium coelestis ambrosiae plena. Quem a corpore nostro „velut dextrum separavimus brachium, imprecantes ei salutem et gau„dium. Dirigimus ergo illum, ut solatietur vobis in necessitatibus „vestris, tam scilicet in opere consecrationis, quam et in unctione „confirmationis, et si quid in necessitatibus aliis, Deo favente, vale„bit, pro libitu sanctae vestrae fraternitatis. Ut illum tractetis, uti „decet, non detractetis vel dissimuletis, nulla credimus ammonitione „indigetis, cum vestra benignitas inde sit profusior, unde est sanctior. „De cetero ad virum illum Symeonem veniendum, quem numerosis (a) „coruscantem miraculis, divinis perfulgentem virtutibus ostenditis. Ex „quo liquet, cum in fragili corpore thesaurum bajulasse spiritualis „gratiae, ut non solum sibi providerit ad salutem, sed aliis quoque „atque aliis ad multiplicem sanitatem. Quia igitur ad illam aeternam „beatitudinem illamque summae felicitatis perpetuitatem ac coeleste „consortium pervenisse creditur, sicut opere signorum frequentius „panditur, nostrae apostolicae auctoritatis sententia judicium divini „arbitrii secuta et complurium fratrum nostrorum assensu suffulta, „decernit (b), eundem virum Dei Symeonem posthac semper et ubi„que (c) sanctum debere nominari, ejusque natalem, sicut aliorum „sanctorum, reverentissime singulis annis celebrari. Non enim, „qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem „Deus commendat, dicit Apostolus. Glorietur, laudetur, vigeat „(d), placeat, celebretur, ametur et colatur, nomenque illius marty„rologio inseratur (e). Ipse intercedat pro peccatis et negligentiis „nostris et commissorum nobis apud clementissimam divini numinis

---

(a) In cod. Vind. N°. 1069. et in ed. Honth.: innumerosis.

(b) Cod. Eb. Clus. et edit. Mart.: decrevit.

(c) Honth. legit: post hanc semper et usque, sed male. Cod. Eb. Cl.: post hoc.

(d) pigeat: male ap. Leibn.

(e) Vide Breviarium Trevirense Francisci Georgii archiepiscopi, Part. aestiv. pag. 409. sqq. — Cuncta S. Simeonem concernentia in unum corpus redegit Joan. Heis, canonicus et professor (anno 1747 mortuus), sub titulo: Simeonia, sive in vitam S. Simeonis poesis dialoga. Opus hoc, adhuc ineditum, adservatur in bibl. publ. Trev., N°. 49 sign.

„majestatem, ut mirabilia, quae visibiliter exhibet circa infirmorum „corpora, in animabus nostris occulta virtute dignanter exhibeat. „Vale. Benedictus VIIII. pp. (a).

CAPUT LIIII.

Congruum duxi, rem quandam dignam valde memoria, quam circa tempora ejus (b) accidisse comperi, sub silentio non praeterire. Sicut, inquam, supra significatum est, ipso Poppone (c) Jherusalem profecto, et per tres fere annos (d) demorato, Babiloniam enim usque videndae nominatissimae illius civitatis gratia processerat, ubi tentus (e), aliquamdiu in captivitate laborabat; si recte memini, quidam Metensium episcopus, vice quadam in jejunio Junii mensis, Treverim pro eo ordines facere veniebat: hoc enim ipse prius, quam de provincia exiret, deprecatus fuerat, ut cui comprovincialium (f) suorum, videlicet suffraganeorum episcoporum, demandatum fuisset, Treverim veniret et vicem ejus adimpleret. Hic autem (g), quo Treveri ceteris vicinior, eo ibi in hoc opus erat frequentior. Verum, ut dixi, ordines facturus sub die XV. Kal. Julii (h), petiit, sicut assidue faciebat, mitti coram eo in altari clavum Domini, qui ibi loci ex collatione (i) dominae Helenae Augustae habetur, quique, si daemonis testimonio credi debebatur (k), verus Domini clavus esse compro-

(a) Haec non leguntur apud Honth., neque in quibusdam codd. mss. Calmet legit: Benedictus VIII., sed male; hic enim papa decessit ante S. Symeonem, anno scilicet 1024.

(b) Cod. Vind. N°. 1069: tempora illa; Leibn. et Mart.: haec tempora; codd. Stuttg. et Vind. N°. 686: circa tempora.

(c) videlicet: addunt codd. Vindob., Stuttg. et Trevir., N°. 184 sign.

(d) in hoc itinere: habet cod. Eberh. Clus.

(e) Alii legunt: detentus, inter quos Leibn., Calm. et Honth. — Tentus et captus: habet cod. Eb. Clus., addens: injuriis et tribulationibus molestatur et fert patienter. Interim vero quidam Metensium episcopus &c.

(f) provincialium: cod. Vind. N°. 1069.

(g) Metensis episcopus Theodorus, quem alii nominant Theodoricum.

(h) Junii: legit cod. Trev., N°. 184 sign., sed male. — In Quadragesima: cod. Trev. N°. 1200.

(i) ea collocatione: Leibn.

(k) sic d. t. credebatur: Leibn. — si d. t. credi debebat: cod. Vind. N°. 1069. —

batur (a). Cum enim quidam a daemone (b) vexaretur, et clavus hic ad effugandum illum cum aliis sanctorum reliquiis illo delatus fuisset (c), a maligno illo perhibitus est, ipsum esse, qui pendentis in cruce Domini pro salute generis humani fuisset (d) in dextro pede confixus, cujus nimia virtute compelli se exire. Ante enim nulla certitudo, sed tantum opinio erat, quantae virtutis idem clavus haberetur. Porro misso eo in altari, astitit praelibatus episcopus, clam circumspiciens et quaerens locum, si forte ea sibi opportunitas accidere potuisset, quo corriperet et in sinum suum deponeret, alium autem, quem hujus gratia fieri jusserat et sub ascella sua occultaverat, hoc erepto impingeret (e). Quid multa? Ut concupierat, correptum in sinu suo recondidit, et actionem cui institit, laetus peregit (f). Proinde cum post confecta mysteria (g) exutum duceretur, sicut Domino placuit, clavus ille sanguinem habundantius fudit, qui guttatim de sinu ejus in terram emanere coepit. Quod videntes ministri ejus, qui circumdabant eum, ut velocius incederet et exui festinaret, urgebant eum, cujuspiam mali causam ei accidisse arbitrati. Denique cum coepisset sacerdotalia vestimenta deponere totumque vidisset sinum albae repletum sanguine, diriguit primum, et ultra quam credi potest, quid secum ageretur admirans: tandem cum redisset in se, delictam quod patrarat confessus, veniam impetravit, et post exutas vestes convolvit in unum, deditque consilium, ut summa cum veneratione servarentur, quod et factum est.

---

debeat: alter cod. Vind., et Stuttg. — debeatur: cod. Trev. (S. Paulin.). — daemonis adjurati: additur in cod. Eb. Cl.

(a) Editionum lectio in hac periodo confusa est et manca.

(b) a daemonio: cod. Vind. N°. 1069.

(c) fuisse: ibid.

(d) fuisset: deest ibid.

(e) Cod. Eb. Cl. legit: in locum ejus mitteret. Apud Mart.: hoc erecto impingeret.

(f) Cod. praefatus scribit: gaudensque de sacrilegio actionem officii complevit.

(g) ministeria: Leibn.

CAPUT LV.

Illo itaque tempore, cum adhuc famulus Dei Symeon supra nominatus vitales carperet auras, Popponem saepe dictum archiepiscopum, ducem suum et hospitem, idem vir sanctus, secreta frequenter collocutione, dignos futurae vitae actus agere persuasit, quatenus in hac luce positus, cum Dei adjutorio hoc elaborare niteretur, ut post obitum in consortium beatitudinis eorum transiret, quorum nunc vicem gerere videretur. Fuit autem fames valida in omni terra ista, ita ut multi morerentur inedia; hyemalium enim pluviarum emersione inundantia, sed et fluminis secus civitatem decurrentis verno tempore inaestimabili superhabundantia, diutina statione et nimia sui (a) limositate, omnes fere segetes absorbuerat. Cujus mali causam insipiens vulgus Symeoni, sicut in vita ipsius legitur (b), imputabat. Tunc episcopus multam egentibus exhibebat humanitatem, illud saepius ante mentis suae oculos ducens, quod dicit sermo divinus: Qui viderit fratrem suum necessitatem patientem, et clauserit viscera sua ab eo, karitas Dei non manet in eo. Etenim die quadam in albis paschalibus, cum ad unam ecclesiarum in civitate (c) consistentium divinum celebraturus officium, equo nobili vectus incederet, obviam habuit in campo pauperum multitudinem copiosam, qui deprecabatur eum, ut solita miseratione aliquod (d) ipsis impenderet vitae subsidium. Qui accito mox ad se cubiculario suo, jussit sibi exhiberi festinato thesauri non modicam quantitatem ad dispertiendum illis. Omnibus ergo,

---

(a) Leibn., et ex illo Honth. legunt: sua.

(b) Causa periculi hujus Symeoni imputatur ab omnibus. Hunc maleficum esse; pro suis sceleribus hoc malum mundo imminere; ut deponatur a pontifice, populus acclamat cottidie. Ex urbe tandem concursus agitur, ad cellulam viri Dei pervenitur. Saxa in altum projiciunt, tugurii fenestras obruunt, Symeonem lapidare contendunt. Vidimus, fateor, fenestras fractas; sed adhleta Christi Symeon, fundatus supra firmam petram, immobilis persistebat, atque Deo gratias reddens, pro persecutoribus gaudens orabat. — Sic Eberwinus in cod. ms. coaevo.

(c) Non erat ecclesia cathedralis, utpote illo tempore plane ruinosa, testante id cap. LVI.

(d) Apud Leibn. et Honth.: aliquid.

qui secum erant, eum (a) impellentibus et dicentibus, ut primum, cujus gratia venerat, adimpleret, indeque revertens, expeditius quantam voluisset, pauperibus misericordiam impenderet; ipse respondit: Nolite, karissimi, hoc persuadere mihi; quia sicut illud, ita et hoc, Deo est obsequium. Nempe, sic oratio nostra apud majestatem Dei acceptior erit, si, antequam eo veniamus, karitas ipsa praecesserit: credo nimirum et securus sum, quod sine ambiguitate sacrificium nostrum divinis conspectibus praesentabitur, si tantae multitudinis fusa prece commendetur. Interea cubicularius postulatum obtulit censum, quem acceptum ut coepit in pauperes expendere, una omnes coeperunt voce clamare: Nummis sibi opus non esse, de nummo enim aut nichil aut parum quisque sibi valentis comparare posse; quia, sicut ipse nosset, modius unus frumenti appenderetur (b) solidis XXV. Quibus ille respondit: Aliud quid sibi prae manibus non esse, quo potuisset illorum necessitatibus communicare. Quo contra illi: Si, inquiunt, ad praesens aliud quid dare nobis non habes (c), da saltem de pinguibus equis tuis, ut vel ad modicum compescatur esuries nostra edulio carnis. At ille, licet invitus, recordatus tamen verbi illius, quod vulgo in proverbium vertitur (c): Carum quispe dabit, qui cara recipere quaerit (e), primum dedit suum, deinde aliorum, non equidem omnium, sed eorum tantum, quos ad hoc pietatis opus sua potuit exhortatione instigare. Et laniati atque devorati sunt (f). Post haec ad locum destinatum processit.

(a) In edd. Leibn., Mart. et Honth. deest: eum.

(b) appenderet: Leibn.

(c) In edd.: non potes. In cod. Guelf. verba: non habes, plane sunt omissa.

(d) quod vulgo utitur: Leibn. quod vulgo dicitur: Honth.

(e) recipere velit: cod. Vind. N°. 1069.

(f) Leibn. et Honth. addunt sequentia: in monumento coram eo. Haec etiam habet cod. praef. Vind. — Addit hoc loco cod. Eb. Cl. sequentia: Erat autem iste Poppo ferox, si quos habuit juri suo resistentes; mitis valde et suavis, ubi mititate utendum; piissimus in pauperes; clericis benignus, et laicis, quantum licuit, communis; urbanus officialibus; in exteros benivolus; in Deum totus suspensus; in sanctos honorificus.

CAPUT LVI.

Denique inerat ei permaxima sollicitudo, aut de construendis ecclesiis, aut de reparandis dirutarum vetustate ruinis: quorum alteri evidens perhibet testimonium ecclesia beati Petri Apostoli, quae domus et episcopalis sedes (a) dicitur. Haec, ut ferunt (b), antiquitus fuit domus dominae Helenae, cujus rogatu a beato Agricio primitus dedicata est in honore principis Apostolorum; quatuor marmoreis magnae altitudinis fulta (c) columnis, in quibus tota illa structura, novem arcubus hac et illac distortis, consistebat. Sed superioribus annis non paucis, una columnarum illarum, longitudine sui fatigata et oneris sui magnitudine praegravata, in praeceps ceciderat (d); ita, ut nullus timore ruinae divinum ibi celebraret officium (e). Nullus quoque, qui tecta reficeret, audebat ascendere (f); propter quod diutino (g) neglectu ad id rerum devenerat, ut jam domus orationis non diceretur, sed a pastoribus pecus ibi pastum minaretur (h). Hanc ipse labore magno et impensa eisdem columnis quasi circumamictis (i) basibus, quas usualis locutio pilares nuncupat (k); itemque arcubus prioribus laudabili arte substratis (l), novis aliis resolidavit, ita ut non inconvenienter in ejus laude illud libri (m) sapientiae debeat personare: Ecce sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit (n) domum et in diebus suis corroboravit templum, et cetera.

(a) Apostoli — et sedes: non legitur ap. Leibn. et Honth. Codici S. Math. consonant codd. Guelf., Vindobonenses, Stuttg. et quidam alii.
(b) ut fertur: cod. Vind. N°. 686.
(c) fulta: deest ap. Leibn.
(d) tendit: cod. Eb. Clus.
(e) Vide notam ad hoc cap. in fine voluminis.
(f) ostendere: apud Leibn.
(g) diutione: ibid. — diutino neglecto: cod. Vind. N°. 686.
(h) Unus codicum, quibus usus est Leibnitius, legit: pascere muneraretur. — Cod. Trev. N°. 1200: muniretur. — (Notat Leibnitius ad verbum: minaretur: idem quod duceretur, a Gallico mener.)
(i) Al.: circumactis.
(k) quas usuali locutione pilaros nuncupant: Leibn. et Honth.
(l) Ap. Mart.: substractis; ap. Honth.: substructis.
(m) libris: cod. Vind. N°. 686.
(n) suffulcivit: cod. Vind. N°. 1069.

Resolidatam itaque et in pristinum reformatam statum, pretiosis beati Martini reliquiis a loco sepulchri, cum comprovincialium episcoporum coram positorum, ac totius dyocesis suae cleri et populi, utpote synodi (a) gratia, jam ut ita dicam, perindie heri et hodie celebratae, ibidem (b) Treveri congregatorum annisu, duodecimo Kal. Novembris translatis (c), illustravit atque dedicavit: dedicatam donativis pluribus, quibus ab imperatoribus, videlicet Heinrico secundo et Cunrado similiter secundo, itemque Heinrico rege quidem tertio, imperatore autem secundo, sicut in praeceptis illorum de Treveri continetur, honoratus fuerat, magnifice ditavit (d).

Postmodum autem placuit ei, eandem ecclesiam ampliorem reddere, fecitque, ut nunc tertia parte major sit ambitus, quam prius fuerat (e). Cujus structurae, ut audivi, tantam fundamenti jussit fieri (f) profunditatem, quantam nunc vides terrae supereminentem. Huic etenim operi, cum studiosius insisteret, opusque jam ad hastae longitudinem super terram eductum fuisset, die quadam cum sederet, ubi opus (g) fiebat, sol, ut erat solito ferventior, refulsit in caput ejus; erat enim calvus, et incanduit cerebrum ejus, et, sicut solet, febre correptus, de die in diem ingravescente eadem valetudine, fortiter aegrotare coepit; nec multo post ad ultima ductus, spiritum reddidit sub die sexto decimo Kal. Julii, anno Dominicae incarnationis millesimo quadragesimo (h) septimo. Cujus exequias Treverici digne procuran-

---

(a) Leibn.: synodus gratia; sic etiam quidam codd. mss.; Honth. legit: synodum gratia; cod. Eb. Cl. habet: synodi gratia ibidem congregatorum annisu, cetera desunt. — De hac synodo provinciali Trevirensi legimus aliqua in Brow. Annal. Trev. L. XI. ad annum 1037. Conf. etiam Honth. Hist. dipl. I. p. 370. — Hartzh. Concil. Germ. III. p. 106.

(b) celebrante: Leibn. et Honth. — ibi idem: ms. Vind. N°. 686. — ibi id est Treveri: alter cod. Vind.

(c) translato: cod. Vind. N°. 686.

(d) ditat: Leibn. et Honth.

(e) In plurimis codd. et in edd. hoc loco haec constructio verborum legitur: ut nunc tertia, tantum quantum prius, ambitus ejus parte sit major.

(f) jussit facere: Leibn. et Calm.

(g) opus: deest in codd. Stuttg. et Vind. N°. 686.

(h) Plurimi codd. mss. et edd. legunt: sexagesimo septimo (MLXVII.), sed false; sic et errat cod. Trev. N°. 1462, habens: MLVII.; alia folia mss. referunt Popponis

tes, deposuerunt eum in porta civitatis, quae cognomento **nigra** vocabatur, in qua et ipse beatum Symeonem, cujus supra mentio est, terrae commendavit; ubi a religiosis clericis, in eodem loco ab ipso ob honorem Dei et beati illius viri mancipatis, pro ejus requie die ac nocte preces funduntur ad Deum, cui est honor et gloria in saecula saeculorum (a). Sedit autem in episcopatu annos XXX., menses quinque, dies decem (b).

CAPUT LVII.

Cui defuncto successit in sacerdotali ministerio, cum cleri plebisque consensu, **Eberhardus** (c) episcopus. Iste natus patre Hizelino (d), comite Alamanniae. Cum in virum fuisset adultus, pro ingenuitate sui, quam magna morum probitas, consilium atque prudentia decorabat, praepositus fuit (e) majoris ecclesiae Wormatiensis sub praesule N. (f), qui subditos suos satis idonee gubernabat. Dedit autem Deus ei invenire gratiam in oculis supra nominati Heinrici imperatoris et principum ejus; ita ut in regiis et aliis quibusque

---

mortem ad an. 1046; cod. Vind. N° 1069 scribit: M°.VII°.; sed manus recentior addidit: XL. — Cod. Eb. Clus. lectioni nostrae concordat, clare scribens: **quadragesimo septimo**. Conf. infra notam b.

(a) Post Gallorum anno 1794 Treviros adventum, in ecclesia S. Simeonis cultu divino cessante, et quotidie magis magisque hac ecclesia in solitudinem redacta: mense Octobri 1803 reliquiae S. Simeonis et Popponis in ecclesiam S. Gervasii, olim S. Germani, translatae sunt et sepultae. Legitur instrumentum hujus translationis in libro: Die Grabmäler der Trierischen Bischöfe von Günther. S. 10. f. Trier, 1833.

(b) Manifestus error calculi in codd. et edd.; rectius enim dixissent: sedit in pontificatu annos XXXI. &c. Popponem anno 1047 vitam reliquisse, tum **Hermannus Contractus**, fidus hujus aevi testis, tum extrema epitaphii, licet mutili, verba docent, quae **Browerus** suo tempore adhuc vidit, et in suis Annal. Trev. inprimi fecit. — Cod. Eb. Cl. hocce loco paucis verbis addit ecclesiae S. Simeonis descriptionem cum brevi historia aperturae Popponis tumbae, tempore Maximiliani I. imperatoris. Vide hanc descriptionem in additamentis ad cap. 51. ad calcem voluminis. — Cod. Trev. N°. 1200 conservat instrumentum super apertione sepulchri Popponis per notarium publicum, **Philippum Mar**, literis mandatum. V. additamenta nostra.

(c) Al.: **Everardus**, **Everhardus**.

(d) Al.: **Herlino**, **Ezelino**, **Ezone**. — Conf. **Tolneri** Hist. Palat. p. 225.

(e) **factus est**: Leibn., Calm., Mart. et Honth.

(f) sub praesule **quodam**: cod. Eb. Cl.

negotiis magnisque consiliis non ultimus nec spernendus auctor haberetur. Unde contigit, ut, Treverica metropoli suo orbata antistite (a), eis, ad quos electio pertinebat, petitioni regis coniventibus (b) jam dictae metropoli subrogaretur episcopus. Hic vir magnificus et ecclesiae Trevirensis prudentissimus rector fuit, cujus et possessiones auxit et privilegia renovavit; quae, si quis scire voluerit, in praesenti invenire poterit (c).

Privilegium Leonis (d) papae Eberhardo archiepiscopo.

„Leo episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo Eberhardo, „Trevirensium archiepiscopo, vestrisque successoribus archiepiscopis „(e) salutem in Domino. Aeternum divinae dispensationis consilium, „quo decrevit per (f) tempora distribuere omnia, nulla rerum mutabi„litate mutatur, nullaque temporum diversitatate variatur. Unde factum „est, ut hujus aeternae dispositionis immutabilis ordo nostram de „Tullensis episcopatus humilitate mediocritatem ad apostolicam pro„moveret sublimitatem: gratuito quidem dono, non aliquo nostro exi„gente merito. Quocirca vestra fraternitas, dulcissime frater, nos, „nostra karitate victa (g), comitata est, et Romae nobiscum aliquantu„lum remorata. Interea loci, cum unicuique suum jus suumque rec„tum, quod vel ablatum penitus, vel aliquatenus immutatum esset, om-

(a) Codd. quidam et ed. Leibn.: Treviri orbata suo antistite. — Codd. Vindob. legunt: orbatae.

(b) Quidam codd. mss. habent: consentientibus; cod. Eberh. Clus. autem: annuentibus; alii: convenientibus.

(c) Quae si quis &c.: haec in plurimis editionibus omissa sunt.

(d) Leonis scilicet IX. Hoc privilegium non legitur apud gestorum Trevirensium editores; sed legimus illud ap. Brow. (Annal. Trev. I. p. 526.) et Honth. (Hist. Trev. dipl. I. p. 386. sq.). In codd. Gulef., Vindobonensibus, Stuttg. aliisque hoc diploma etiam desideratur, in quibus, ut in editionibus, post verba: privilegia renovavit, immediate sequitur: cujus etiam tam studiosus provisor fuit &c., quae in codd. Math., Paris., Francof. et aliis nonnisi post diploma Victoris papae leguntur. — De transmissione pallii per Clementem II. Eberhardo archiep. facta, vide Günth. cod. dipl. I. p. 122. sqq.

(e) archiepiscopis: non legitur in cod. Eberh. Clus.

(f) per: deest in cod. Trev., N°. 184 sign.

(g) Ap. Honth.: vita.

„nimodis restituere cuperemus; dilectionis vestrae privilegia nobis attulistis, quae primatum Galliae Belgicae, subscripto modo, vestris „antecessoribus datum a nostra apostolica sede asserebant, pro eo, „quod in exordio christianae religionis vestra Trevirensis ecclesia „prima illis in partibus fidei rudimenta percepisset per egregios dogmatistas (a) Eucharium, Valerium, Maternum, quos beatissimus Petrus, Apostolorum princeps, instruxit et instructos ordinavit, et illuc „ad praedicandum direxit. In quibus privilegiis etiam antiquiora privilegia incendio memorantur consumpta, quae praenominatis sanctis „eorumque successoribus, id est, Agricio, Maximino, Paulino, Severo, almificis utique viris, a primordio autentice concessa erant de „eodem primatu (b). Quae siquidem (c) privilegia Theoderico, Treverensi archiepiscopo, Johannes XIII. papa, Benedictus sextus, nec „non alius Benedictus septimus papa, Ekeberto, similiter Treverensi „archiepiscopo, temporibus Ottonis primi et secundi, pia dispositione „contulerunt. Nos autem ea intuentes et diligenter perpendentes, „dignum duximus, cum consilio et consensu totius cleri et „populi Romani, id ipsum de primatu, sicut constitutum erat, confirmare atque nostris apostolicis apicibus corroborare. Quod, ubi „in ecclesia sancti Petri, in dominica passionis, cuncto clero cunctoque populo nos ipsi, sursum in ambone consistente (d), praesentia „vestra (e) revelavimus et eadem privilegia legi fecimus, pro amore „discipulorum sancti Petri, quos praetulimus, Eucharii, Valerii et „Materni; ab omnibus acclamatum est, jure primatum ipsum vobis „vestrisque successoribus deberi, qui in cathedra sedetis eorum (f) „discipulorum sancti Petri. Quapropter omnibus ipsis laudantibus et „respicientibus, pro investitura ipsius primatus, Romana mitra caput

---

(a) Doctores: in cod. Eb. Cl.

(b) Primatu: non legit Honth.

(c) Al.: Quae etiam.

(d) consistentes: ap. Brow. et Honth.

(e) Quidam codd.: nostra. Cod. Eb. Cl. sensum hujus periodi sic refert: Quod ubi in ecclesia sancti Petri, in dominica passionis, cuncto clero cunctoque populo nos ipsi revelavimus.

(f) eorum: deest ap. Brow. et Honth.

„vestrum insignivimus; qua et vos et successores vestri in ecclesi-„asticis officiis, Romano more, semper utamini semperque vos esse Ro-„manae sedis discipulos reminiscamini. Quod tamen in synodo nostra, quam „circa XVII. post ipsum pascale (a), Deo praesidente, celebravimus, „episcopis et archiepiscopis, nec non et aliis ordinibus consentienti-„bus, melius et firmius stabilivimus; ea tamen ratione, ut singulis an-„nis vos vestrique successores semel legatos vestros ad nos nostros-„que successores mittatis; per quos vobis de nostris utilitatibus, illis „in partibus agendis, remittamus; et semper tertio anno vos ipsi Ro-„mam visitationis gratia, ut dulcissimi fratres, ad primogenitum fra-„trem veniatis; nisi forte inevitabilis necessitas ingruerit. Quaprop-„ter desideriis vestris annuentes, secundum praelatorum (b) privilegi-„orum tenorem, per hoc nostrae apostolicae auctoritatis privilegium „decernimus et confirmamus ipsum vobis vestrisque successoribus „primatum hoc modo (c): ut quandocunque a nostra principali apos-„tolica sede episcopus, presbyter, diaconus vel subdiaconus, sive „quilibet ordinarius legatus pro ecclesiasticae utilitatis causa, seu „agenda synodo, in Galliam Germaniamve directus fuerit, vos vestri-„que successores, post eundem apostolicum legatum, primum inter „alios pontifices locum obtineatis; et si missus Romanae ecclesiae „defuerit, similiter post imperatorem sive regem sedendi, sententiam „edicendi et synodale judicium promulgandi, primatum habeatis, ut-„pote in illis partibus vicarii nostrae apostolicae sedis merito con-„stituti. Neque enim dignum est, ut illius ecclesiae praesul aliquo „tempore non habeatur praelatus, cujus in illis partibus sub ipso „Apostolorum principe extitit primitivus. Et quoniam ejusdem eccle-„siae archipraesulem, beatum Eucharium videlicet, a beato Petro, „Apostolorum principe, novimus ordinatum, sicut et beatum Apolli-„narem Ravennae civitatis: placuit nobis tibi, fratri nostro Eberhar-

(a) Codd. mss. recentiores, et cum iis Brow. et Honth. legunt: pascalem diem.

(b) Ibidem: praefatorum.

(c) Quae nunc sequuntur usque ad verba: Ego Halmardus &c., partim plane non, partim vero alio ordine leguntur in cod. Paris. et ap. Brow. Honthemius hanc chartam ex Browero descripsit. Lectioni nostrae consonant illae codicum Francof. et S. Maximini.

„do, sanctae Trevirensis ecclesiae archiepiscopo, cunctisque per te „successoribus tuis permittere, quatenus sicut in unius, beati Petri „scilicet Apostoli, ordinatione, benedictione, directione, gentibus ad „praedicandum Christi evangelium, ambarum civitatum praedicatores „aequales extiterunt: ita de missarum solempniis celebrandis, in equi„tando cum nacco per stationes, et in omni honore aequales existant. „Crux ante vos, sicut et ante Ravennatem praesulem, ubi ubi (a) „gestetur. Cardinales quoque presbyteros (b), te, sicut Theoderico, „praedecessore tuo archiepiscopo, missam celebrante, tuae dilectionis „intuitu, dalmaticis uti permittimus. Pari namque modo sancimus, „omnes in parochiis ejus degentes, sive ordinationem et promotionem „cujuslibet ecclesiastici gradus a vobis percipientes, eidem ipsi ma„trici ecclesiae episcopoque vobis debere canonice placere, obsequi „et jure obedire. Siquidem decreto beati Clementis papae super hoc „ita cautum videtur: si vobis episcopi (c) non obedierint, omnes pres„byteri, diaconi ac reliqui clerici cuncti, omnesque principes tam ma„joris ordinis, quam inferioris, atque reliqui populi, tribus et linguae, „non obtemperaverint, a liminibus sanctae Dei ecclesiae alieni erunt, „dicente Domino: Qui vos audit, me audit, et qui vos sper„nit, me spernit. Inter haec quoque omnia, quae ad saepe dic„tam Trevirensem ecclesiam, intra et extra civitatem, pertinere vi„dentur, id est, ecclesias cum universis rebus sibi attinentibus, seu „monasteria tam monachorum, quam virginum, de quibus ex praecep„tis, sive scriptis regum seu imperatorum, sive eorundem fundatorum „auctoritate ad se pertinent et pertinere debent; et quidquid omnino „illa ipsa ecclesia, ubi et quoque merito possidet et possidere debet, „generaliter et specialiter concedimus reconfirmamusque vobis fratri „et episcopo nostro, vestrisque successoribus ad perpetuam sanctae „Trevirensis ecclesiae dominationem atque ditionem, per hujus nost-

(a) Cod. Eb. Cl.: ubique.

(b) Sic in hac bulla et in aliis ejusdem argumenti metropolitanae ecclesiae Trevirensis canonicos vocat Pontifex — stylo, eo aevo, satis usitato. Vide Buddeum (Schediasma hist. de origine Cardinalitiae dign. §. XV. p. 46. sqq.)

(c) Quidam codd. legunt: episcopis.

„rae apostolicae praeceptionis seriem, a praesenti secunda indictione „(a) et usque in finem saeculi valituram. Contra quam si quis ho- „minum quolibet modo agere praesumpserit, et quod juste et canonice „a nobis decretum est, in aliquo infringere temptaverit; sciat, se ex „Dei omnipotentis, et praedicti Apostolorum principis omniumque „sanctorum, ac deinde nostra auctoritate dampnandum et anathema- „tizandum, et cum omnibus impiis aeterno supplicio deputandum. Qui „vero hoc ipsum nostrum privilegium observare, custodire, adimplere „fideliter studuerit; benedictionis gratiam et misericordiae plenitudi- „nem in coelestibus castris inter electorum numerum efficaciter a Do- „mino Deo consequi mereatur. (b) Bene valete. Ego Halmardus (c), „Lugdunensis ecclesiae indignus archiepiscopus, in scripta synodo „residens, salva priscarum constitutionum firmitate et Lugdunensis „ecclesiae auctoritate hoc decretum laudavi, manuque propria robo- „rans subscripsi. Ego Johannes, Portuensis episcopus, in praedicta „synodo residens, confirmavi et subscripsi. Ego Cadalus episcopus „subscripsi. Ego Benedictus, sanctae Tuscanae ecclesiae episcopus, „subscripsi. Ego Gerhardus, Florentinus episcopus, ss. (d). Ego Cres- „centius, sanctae silvae candidae non meritis (e) episcopus, subno- „tavi. Ego Hugo, Alsisiensis episcopus, ss. Ego Cunibertus, Tau- „rinensium episcopus, ss. Ego Opizo (f), Pisensis Episcopus, ss. „Ego Heinricus, Spoletanus episcopus, ss. Ego Wido, Astensis „episcopus, ss. Ego Wido, Vulturnensis episcopus, ss. Data Idibus „Aprilis per manus Petri diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctae

---

(a) Hic locus non legitur in codice Eberh. Clus.

(b) Quae nunc sequuntur, absunt etiam in codice praefato.

(c) Ex ms. cod. Aureae — vallis notat Martene sequentia: Eo tempore, anno scilicet Domini MXLIX., Leo papa IX., qui et Bruno, quondam Tullensis episcopus, Remis benedixit ecclesiam S. Remigii, et post triduum ibidem concilium tenuit LXVI. episcoporum, inter quos affuit Everardus, Treverensis episcopus, cum Guidone, Remensi, Holinardo, Lugdunensi, Hugone, Bisuntiensi archiepiscopis.

(d) gratia, non meritis: in edd. Brow. et Honth.

(e) ss. i. e. subscripsi.

(f) Opizo: non legitur in edd. praef.

„apostolicae sedis. Anno domini Leonis noni (a), papae I., indictione „secunda."

„Leo episcopus, servus servorum Dei (b), karissimis nobis in „Christo fratribus, universis episcopis ac totius dignitatis et ordinis „catholicis viris, praesentibus scilicet et futuris, perpetuam salutem. „Quia licet indigni, divina tamen dignationis gratia disponente, beati „Petri, Apostolorum principis, sacratissimam sedem pastoralemque „curam dominici gregis et ministerium suscepimus, juxta apostolicam „doctrinam; sicut malis terrori, ne desiderium malignitatis suae per-„ficiant, nos oportet existere: ita sanctae Dei universalis ecclesiae „filios in religionis piaeque devotionis provectu paternae benedictione „gratiae fovere; maximeque eos, qui in sanctam Romanam ecclesiam „beatumque Petrum, Apostolorum principem, ceteris devotiores pro-„bantur; quatenus eis pia devotio sua, et in praesenti benignitatis „conferat consolationem, et in futuro aeternam ipso intercedente re-„munerationem. Unde omnium, tam praesentium quam futurorum, sanc-„titatem et industriam nosse volumus, de sancta fratris nostri Eber-„hardi et sanctae Treverensis ecclesiae archiepiscopi primatisque, „nostra praedecessorumque nostrorum ab exordio christianitatis per „beatum Petrum constitutione, totius Galliae ac Germaniae in eundem „Apostolorum principem devotione, qui in sua sede ecclesiam Christi „gloriosius gubernando, multa monasteriorum, quae usque in sua tem-„pora manserunt deserta, restaurando, beatorumque Apostolorum li-„mina ceteris saepius, nullo longioris viae seu labore territus, libe-„ralissime visitando, nobis ad hoc usque complacuit, quo eidem su-„aeque ecclesiae possidenda perpetuum aliqua conferre justum dedu-„ceremus: quatenus, ut praefati sumus, pro tanta sui devotione a nobis „gratiam et benedictionem, in praesenti et in futuro, a Deo beatissi-

(a) Quidam codd. false legunt: septimi. Constat, Leonem VII. an. 939 decessisse; Leo IX. autem sedit ab anno 1048 ad annum 1054.— Haec charta est de anno 1049. 13. Apr.

(b) Hoc Leonis diploma non legitur in plurimis codd. mss., neque in editionibus. In codice Eberh. Clusano hic titulus praefixus est: Privilegium papae Leonis noni, datum omnibus archiepiscopis Trevirensibus, de cella quatuor coronatorum in urbe Romana constituta. Conf. notam ad calcem vol. II. (cap. 244.)

„misque Apostolis centuplicatam in coelestibus reciperet gloriam. Quapropter omnium, tam praesentium quam futurorum, notum fieri volumus, industriae, nos cum auctoritate beati Petri, gratuitoque sacerdotum clericorum totiusque Romanae plebis assensu, eidem sanctae „Treverensi ecclesiae, cellam quatuor coronatorum condonasse in „perpetuum possidendam cum omnibus appendiciis suis, aquis scilicet „aquarumque decursibus, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis et incultis, curtibus et mansionibus, sicut Theoderico antecessor noster „Benedictus VII. papa eandem ecclesiam in integrum concessit. Omnia itaque eidem fratri nostro Eberhardo, Treverensi archiepiscopo „vicarioque nostro karissimo in partibus totius Galliae et Germaniae, „ac per eum cunctis successoribus suis in perpetuum possidenda, tenenda ac ordinanda per hujus apostolicae praeceptionis seriem tribuimus, quaecunque eadem cella ex diversis fidelium donationibus „autentice secundum Romanam legem possidet, vel jure possidere „debet, data videlicet et usque in finem saeculi quoque pacto danda, „seu per violentiam inimicorum ejusdem cellae ablata, seu per incuriam commanentium in eadem cella perdita ex integro et ad integrum „eidem fratri nostro Eberhardo, sanctae Treverensis ecclesiae archiepiscopo dignissimoque nostro vicario in partibus totius Galliae et „Germaniae, universisque successoribus suis, per eum a praesenti die „indictioneque secunda, beati Petri, Apostolorum principis, nostraque „permittimus auctoritate. Data XV. Kal. Majas, per manus Petri „diaconi, bibliothecarii et cancellarii sanctae apostolicae sedis, anno „domni Leonis noni, papae primo, indictione secunda (a)."

„Victor episcopus, servus servorum Dei, tibi dilecto confratri (b) „ac sanctae Treverensis ecclesiae archiepiscopo, tuisque successo-

(a) Sequens Victoris II. papae diploma non legitur in plurimis codd. mss.; exhibent vero illud, praeter cod. S. Math. (N°. 31 sign.), codd. Himmerod., S. Agnet., Paris. et Eberh. Clus.

(b) Cod. Eberh. Clus. addit hoc loco: Everhardo. — Plures quidem in hoc et quibusdam aliis, jam supra exhibitis Romanor. pontificum privilegiis, occurrunt repetitiones, quae lectoribus nauseam forte movere possent; propter varias tamen rationes, praesertim chronologicas, consilium nostrum est, omnia haec diplomata eodem ordine et textualiter exhibere, quo illa in codice nostro Mathiano leguntur.

„ribus in perpetuum. Justis ac Deo placitis petitionibus affectuosus „debetur effectus. Quid enim in praesentiarum tam justum, tam Deo „placitum, quam ut reverendis locis ad laudem et gloriam nominis „ipsius debita auctoritas, reverentia simul ac utilitas vendicetur et „conservetur. Quapropter sollicitudini tuae in confirmando ac perpe-„tualiter retinendo jure sanctae Treverensis ecclesiae, tibi tempora-„liter commissae, plurimum congratulamur. Karissimo nobis ac in „Christo confrater et coëpiscope Eberharde, juxta tuam suggestionem „ac privilegia praedecessorum nostrorum, Johannis videlicet XIII. „papae, ac Benedicti VII., beatae quoque memoriae Leonis VIIII. „per hujus nostri privilegii auctoritatem decernimus ac confirmamus „tibi tuisque successoribus primatum Galliae Belgicae, hoc modo, „ut quandocunque a nostra principali ac apostolica sede, presbyter „vel diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet ordinarius legatus pro „ecclesiasticae utilitatis causa, sive pro agenda synodo in Galliam „Germaniamve directus fuerit, tu tuique successores post eundem „apostolicum legatum, primum inter alios pontifices locum obtineatis, „et si missus Romanae ecclesiae defuerit, similiter post imperato-„rem sive regem sedendi et sententiam edicendi, ac synodale judi-„cium canonice promulgandi primatum habeatis; utpote in illis par-„tibus vicarii nostrae sedis apostolicae merito constituti. Neque enim „dignum est, ut illius ecclesiae praesul aliquo tempore ceteris non „habeatur praelatus, cujus honor in illis partibus sub Apostolorum „principe extitit primitivus. Et quoniam ejusdem archipraesulem, be-„atum Eucharium scilicet, a beato Petro, principe Apostolorum, „novimus ordinatum, sicut et beatum Apolinarem Ravennae civi-„tatis: placuit nobis tibi fratri nostro Eberhardo, sanctae Treve-„rensis ecclesiae archiepiscopo, cunctisque per te successoribus tuis „permittere, quatenus sic in unius, beati scilicet Petri Apostoli, or-„dinatione, benedictione, directione ad praedicandum gentibus Christi „evangelium, ambarum civitatum praedicatores aequales extiterunt; „ita ut in missarum solempniis celebrandis, in equitando cum nac-„co (a) per stationes ac omni honore aequales existant. Crux ante

---

(a) Honth. (Hist. Trev. diplom. Tom. I. pag. 813. nota c.) haec observat: „Naccum,

„vos, sicut ante Ravennatem etiam praesulem, ubi ubi geratur. Cardinales quoque presbyteri tui, te fratre nostro missam celebrante, „dalmaticis, ac diaconi una cum presbyteris sandaliis utantur. Sed „et tu tuique successores, Romana mitra ob insigne primatus in ecclesiasticis officiis, Romano more, utamini semperque vos discipulos „Romanae sedis reminiscamini, eo videlicet pacto, ut tu tuique successores singulis annis, nisi forte praeter hoc canonica vocatio a „sede apostolica venerit, legatos vestros ad nos nostrosque successores semel mittatis, per quos vobis de nostris utilitatibus agendis „illis in partibus remandemus, ac semper tertio anno, excepta, ut „dictum est, canonica vocatione, vos ipsi Romam visitationis gratia „absque inevitabili causa veniatis; pari namque modo sancimus.“ (Require superius in quarto volumine) (a).

„Scriptum per manus Gregorii, notarii ac scriniarii sanctae Romanae ecclesiae, in mense Aprili, indictione decima, vicesima quinta „die. Datum die VII. Kal. Maji per manus Arebonis diaconi, vice „Annonis, sanctae Romanae et apostolicae sedis archicancellarii, „sanctae Coloniensis ecclesiae archiepiscopi, anno III°. domini Victoris secundi papae, indictione decima, mense Aprili, die vicesimo „quinto.“

„Nattum, Nactum, vel Nactus, est insigne festivi equi. Insternebatur enim „stragulo totus equus in festivitate vel pompa, atque inter eximia referebatur privilegia, „si cui episcopo in processione Palmarum et feria secunda post Pascha, equo albo, „qui udone seu nacco coopertus erat, insidere et procedere facultas data fuerat; „quod nulli plane licebat absque speciali concessione.“ — Ibidem pag. 504. Calixtus II. papa Brunoni, archiepiscopo Trevir., eadem concessit et confirmavit privilegia, his terminis: Jumento purpura instrato per constitutas ecclesiae stationes vehi &c. — In vita Alberonis archiepiscopi legimus: cum dominus papa cum nacco equitans &c. — Hoc pontificium ornamentum pro cazula interpretatur Sollerius, unus e Bollandianis, T. V. Julii, p. 378. — In aliis foliis mss. legimus de Theodorico archiep.: permittitur ei jus equitandi cum nacco, seu panno rubro, quo solet sterni equus papae.

(a) Refert se Gestorum Trevirens. scriptor ad illa, quae leguntur in diplomate Leonis IX., jam supra memorato.

Alia ratio hoc in loco (a).

Praefatus etiam pontifex tam studiosus provisor fuit, ut (b) abbatias Servatii et sancti Maximini, decessoribus suis ablatas, dono Heinrici imperatoris receperit (c). Romam ad Apostolorum limina visitanda frequenter adiit, unde cum honore magno reversus, Leonem papam, qui et Bruno vocabatur, in sede suscepit (d). Hic dum quadam vice (e) dioceses circuiret, a comite Cunrado de Lucelenburc captus, et vestimenta sacerdotalia direpta, pallium discissum (f), crisma unctionis effusum, magnumque nefas a perversis hominibus patratum est (g). Quo nuntio Treberi perlato, omnia divini mysterii jura celebrari intermissa sunt, donec Romanus papa, quid de hoc definiret (h), interrogaretur. Qui eundem Cunradum omnesque ejus complices, facto generali concilio, excommunicavit. Sed ejus absolutionem et poenitentiam (i) episcopo commisit palliumque illi pro eo, quod hostes conciderant, misit. Interim vero episcopus a captivitate, datis obsidibus, rediit, nec multo post comitem poenitentem suscepit (k). Cui pro poenitentia peregrinationem Jherosolomitanam injunxit, in qua et obiit (l). Deinde Judaeis persecutionem indi-

---

(a) Quae sequuntur usque ad historiam persecutionis Judaeorum, in cod. Eb. Cl. non leguntur.

(b) fuit, et: cod. Vind. N°. 1069.

(c) recepit: ibid. et ap. Mart.

(d) ipsum Treveris cum honore suscepit, multa praedia acquisivit, pro quibus remediis amplius quam mille talenta de sacrario tulit: edit. d'Ach. — Anno 1049 Leo IX. Treviros accessit. Manet et nunc ab hoc Leone denominatio pontis (Löwenbrücke), quem, fama est, Eberhardum ingredienti urbem pontifici honoris causa stravisse.

(e) aliquando dum: ed. d'Ach.

(f) corpus Dominicum violatum et in terram projectum: ibid. — carisma: Leibn.

(g) Verba: magnumque nefas &c. ap. d'Ach. desunt; sed adduntur alia, quae in nostris codd. et ceteris edd. hoc loco non leguntur, nempe: Episcopus in Luzelenburch ad custodiam delatus, quae supra jam dicta erant.

(h) fieret. cod. Vind. N°. 1069.

(i) absolutionem poenitentis: plures codd. et ed. Leibn.

(k) poenitentem: deest in edd. Vide notas ad hoc cap. ad calcem voluminis.

(l) et ad satisfactionem quaedam bona sancto Petro contradidit: sic ed. d'Ach. omissis verbis: Cui pro poenitentia &c.

xit (a) eosque, nisi proximo sabatho paschae Christiani efficerentur, civitate pellendos esse decrevit. Hinc igitur (b) ejusdem nefandae gentis quidam (c), ad similitudinem episcopi, ceream imaginem lichnis (d) interpositam, facientes, quendam clericum de coenobio sancti Paulini, Christianum nomine non opere, ut eam baptizaret, pecunia corruperunt (e), quam ipso sabatho, episcopo jam ad baptismi solempnia celebranda praeparato, accenderunt (f). Qua ex parte media jam consumpta, episcopus super fontem sacris instans officiis, coepit graviter infirmari, et secedens in sacrario cum adjutorio ministrorum, genibusque flexis ante crucem, quae ibidem picta est, in oratione et in sacris vestibus obiit XVII. Kal. Maji et sepultus est in basilica sancti Paulini (g).

(a) induxit: Leibn. — fine vitae suae imminente: addit cod. Eb. Cl.

(b) Huic igitur. Leibn.

(c) „Judaei, habito inter se consilio, quemadmodum imminens sibi periculum possent eva„dere, miserunt pro quodam Judaeo ad Wormatiam, qui vocabatur Rabbi Moyses, „rogantes, ut veniret ad eos Treverim; erat enim maleficus incantator et necroman„ticus omnium suo tempore maximus": Trith. Chr. Hirs. I. p. 203.

(d) licinis: cod. Vind. N°. 686. — imaginem ceream lichmatam: cod. Trev. N°. 1462.

(e) De hac arte superstitiosa et maligna vide plura in notis nostris ad hoc cap. in fine.

(f) Legimus hanc periodum in cod. Eb. Clus. tali modo: Quo comperto, perfidi Judaei, consilio malignantium habito, subordinaverunt quosdam ex seipsis magistros malitiae, qui ad similitudinem episcopi imaginem ceream lichnis interpositis, ut accendi et ardere posset, facientes, quendam clericum de collegio S. Paulini, non re sed nomine Christianum, ut eam baptizaret, pecunia corruperunt, quam ipso sabatho, in vigilia videlicet paschae, episcopo Everhardo jam ad baptismi solemnia praeparato, ipsi Judaei accenderunt.

(g) Ibid.: Et secedens in sacrarium cum adjutorio ministrorum, genibusque flexis ante imaginem crucis, quae ibi habebatur picta vel sculpta, in oratione et in vestibus sacris spiritum emisit, decimo septimo Kal. Maji, anno Dominicae incarnationis millesimo sexagesimo septimo (Epitaphium habet: MLXVI.), episcopatus vero sui anno vicesimo, sepultusque est in eadem basilica sancti Paulini episcopi. — Ed. d'Ach. finem gestorum Eberhardi breviter refert tali modo: „Eo tempore Henricus imperator „corpus sancti Valerii de Treberis transtulit ad Goslar, et e contra curtim Vilmar „sancto Euchario tradidit. Eberhardus turrim, a Poppone inceptam, perficit. Sabbato „sancto Paschae post expletum divinum officium in sacrario, sicut erat paratus, obiit. „Sepultus est in monasterio sancti Paulini." — In cod Vind. N°. 1069 desunt verba textus nostri: ante crucem, quae ibidem picta est, in oratione. Conf. Lambertum Schaffn. ad a. 1066, Chronici Hermanni continuationem et Annalis. Saxonem.

CAPUT LVIII.

Quo mortuo, Anno, Coloniensis episcopus, quem provisorem regni et tutorem filii sui Heinrici, Heinricus imperator moriens reliquerat, spreto Treberorum consilio et electione, adhibita regis adhuc pueri investitura et confirmatione, nepotem suum Cunonem (a), cum magna ambitione et manu militari, si sic necesse foret, intronizandum (b) versus Treberim direxit. Quae inconsiderata provectio, sicut illi beato mortis occasio et martyrii fuit, sic Trebirensibus exercendae crudelitatis audaciam et materiam praebuit. Nam sine mora (c) praesidem suum Theodericum (d), cum aliis principibus evocatum, ad ulciscendam tanti contemptus injuriam, clamosis vocibus instigant; si Colonienses hac molitione praevaleant, actum hoc omnium successorum suorum esse dedecus et infamiam (e). Quid multa? coacto quippe exercitu, frondesque arborum, ne arma proderentur (f), prae se ferentes, nocte clara Maji mensis (g) obviam pergunt, eosque in pago Bedonico (h) quiescentes nichilque tale suspicantes, subito circumveniunt. Qui conturbati advenientis sonitu multitudinis, postquam hostes esse (i) senserunt, fugam in pedum celeritate saltuumque densitate, prout quisque potuit, sibi elegit. Sic eos discurrentes hostes invaserunt, multisque captis, compluribus sauciatis, omnibus eorum rebus ingentique praeda potiti sunt. Ipse vero dominus Cuno incidit in manus hominum impiorum, qui eum nequioribus custodiendum, donec viderent, quo res vergeret, commiserunt (k). Qui eum paulo post, ne videlicet regis, adhuc juvenis, temerarium praevaleret arbitrium, de rupe praecipitantes, in Kal. Junii miserabili morte peremerunt (l).

(a) Conradum de Phullingen (Suevum).
(b) intronizandum: deest ap. d'Ach. et in cod. Vind. N°. 1069.
(c) Varii codd. et ed. Leibn. legunt: Nec mora, siquidem.
(d) Cod. Eb. Clus. addit: comitem.
(e) ad dedecus et ad inf. &c.: edit. d'Ach.
(f) viderentur, praeferentes: ibid.
(g) Maji mensis: ibid. et in cod. Vind. N°. 1069 non legitur.
(h) Vide notas ad hoc caput in fine.
(i) hostes adesse: d'Ach.
(k) qui eum nequioribus cust., d. v., q. r. v., c.: desunt in praefato ms. Vind.
(l) De hac nece scribit cod Eberh. Clus., ut sequitur: Qui jussu comitis Theode-

Qua de causa rege valde commoto, civitatemque Trebiricam se desolaturum comminante, tandem, Deo donante, a sapientibus ejus furore sedato, electione cleri et populi, Udo inthronizatur episcopus. Hic ex Alamannorum prosapia oriundus, patre Eberhardo comite, matre Ida, eisdemque coenobii, quod dicitur Scafhusen, constructoribus; vir valde venerabilis fuit, facie venustus, ore facundus, statura procerus, cujus merito humeris sustentari posset tanti moles regiminis.

Hic opera, a praedecessoribus suis incepta, scilicet monasterii sancti Petri amplificationem perfecit; comprovincialium militum audaciam et tyrannidem compescuit. Hic in expeditione regis in obsidione castri Alamannorum, quod Twingia (a) vocatur, obiit, in monasterio sancti Petri sepultus est. Cui successit Egilbertus (b), de cujus electionis occasione licet altius parumper edicere.

---

rici eum (Cononem) paulo post, ne videlicet &c. &c., in silvam ducentes, de altissima rupe tertio praecipitaverunt, et adhuc illaesum gladio transverberantes, crudeli morte peremerunt tertio Kal. Julii. Cujus corpus foliis silvae obtegitur: quod a rustico quodam inventum ad villam defertur et sepelitur. Postmodum a Theoderico, Virdunensi episc., transportatum ad Tholegium monasterium.

Lambertus Schaffnaburg. ad annum 1066 (apud J. Pistorium, script. rer. German. Tom. I. p. 306.) habet sequentia: „Corpus ejus a religiosis viris collectum „atque in monasterio Dolejensi sepultum est, ubi usque in praesens tempus magnis „(ut refertur) miraculis divinitus saepe illustratur.“ — Browerus (Annal. Trevir. lib. XII. num. X.) haec narrat: „Martyris cadaver quadraginta diebus jacuit inhu„matum et foliis principio tectum, Dei nutu ab agricolis Lonsetum, id villae nomen, „habitantibus repertum septimo Idus Julii, ante fores ecclesiae istic terrae manda„tum est. At inde opera Theodorici, Virdunensis episcopi, qui inter solennia sa„crorum Novellis in castro suae dioecesis agens, coelesti instinctu ad id inflamma„tus, et Albonis, Theologiensis abbatis, studio in monasterium Theologiense hones„to pompae spectaculo traductum et septimo Kal. Augusti ibidem decentiore tumulo „reconditum fuit.“ — Conf. inprimis Acta S. Conradi (Cononis, Cunonis), auctore Theodorico, monacho Theologiensi coaevo, in Act. SS. Antverp. I. Junii, p. 127. sqq. — In biblioth. urbis nostrae conservatur cod. ms. hujus legendae, olim bibliothecae Eberh.-Clusanae. — De Theoderici, comitis et praepositi Trevirensis, ejusque complicum fatis et exitu vide Brow. l. c. num XIII. Adde Sigefridi, archiepisc. Mogunt., epistolam ad Alexandrum II. papam ap. Honth. Hist. Trev. diplom. I. p. 410. sqq., et ap. Eccard. Corp. hist. II. p. 124.

(a) Quidam codd. legunt: Tuingia, Tungia; Leibn. habet: Tovingia; Calm. et Honth. autem: Tobingia (Tubinga). — Ms. Trev. N°. 1434 addit: obiit anno Dom. MLXXVII.

(b) Engelbertus: cod. Vind. N°. 1069.

CAPUT LIX. (a)

Tempore illo cum Gregorius, qui et Hildebrant, Romani pontificatus jura disponeret, hoc decretum antiquitus quidem promulgatum, nunc autem innovatum est, ut videlicet omnes in sacris ordinibus constituti, presbyteri scilicet et diaconi, a cohabitationibus foeminarum se, ut decet, cohiberent, aut ab officio cessarent. Simul etiam ne quis cujuscunque ordinis, laicus videlicet sive clericus, episcoatus, abbatias, seu alias quaslibet spiritualium donorum dignitates, vel per se, vel per interpositam personam, emere sive vendere praesumeret; quodque (b) si quis infringeret, honorem quemcunque haberet, amitteret. Ubi hoc verbum palam factum est, in cordibus eorum, qui non (c) secundum Deum incedebant, magnam suscitavit invidiam. Propterea inter regnum et sacerdotium partes exortae sunt, et hinc inde permaximae inimicitiae succreverunt, et eo usque dissensionis hujus et inimicitiarum in invicem fomes invaluit, ut si cui caesarianorum occurrisset quispiam ecclesiasticorum, qui forsitan prae amore patriae coelestis saeculum reliquisset, carnem macerasset, quemque quaecunque alia corporis molestia attenuasset, sive qui, ut tunc moris erat, barbam quasi in signum religionis enutrisset (d), quasi regii honoris proditores contumeliis afficiebant, insultanter (e) eos ecclesianos appellantes. Nullus enim tunc in subrogandis pontificibus, vel aliis ecclesiasticis dignitatibus canonicae sanctionis ordo servabatur; sed qui tantum regis vel principis manum implesset, seu aliud qualecunque obsequium sibi placitum impendisset, regia praeficiebatur violentia, ubi voluisset. At vero, ubi rex ejusque consentanei principes non eo minus omittebant, sed vetitam venditionem

---

(a) Capita 59, 60, 61, 62, 63 et initium cap. 64 desunt in cod. Vind. N°. 686.

(b) decretum: additur in cod. Eb. Cl.

(c) Honth. omisit verbum: non, sed male.

(d) Vide notas nostras ad hoc cap. in fine.

(e) insultantes, eos &c.: ed. d'Ach. — Cod. Trev. ms. N°. 29. haec refert tali modo: Quemcunque ista tenentem ac Deo servientem, sive barbam in honorem religionis portantem, ut tunc moris erat, invenissent, ipsum indignantes et flagellantes, dicebant proditorem regis et suorum esse, et ipsum sive ipsos ecclesianos sive papas appellabant.

magis et magis instituebant; praefatus papa non veritus, sententia anathematis omnes (a) conclusit, et quicunque voluisset in Katholicorum consortio numerari, faciebat sibi hujusmodi verba conscribi: Anathematizo omnem heresin Heinrici dicti regis et omnium complicum ejus, et omnem, qui eum regio nomine vel honore (b) veneratur, Heinricum, inquam, nominis hujus quartum regem. Quam excommunicationem ubi fama ad aures imperatoris detulit, aegre admodum ferens, et peccatum peccato superadjiciens, convocato suae partis episcoporum, abbatum et aliorum graduum concilio, statuit, ut Gregorius nulli eorum deinceps apostolicus esset, nec decreta ejus quispiam reciperet. Et hoc facto, ipse sub omni celeritate Italiam adiit; Wicbertum quendam, Ravennae civitatis episcopum, in una civitatum Italiae pro Gregorio papam fecit, quem et Clementem nominavit. Porro, si quando Gregorius, causa cujuslibet rei agendae, Romam fuisset egressus, iste (c) subintrabat; illo revertente, iste fugiebat; illi ecclesiastica, major videlicet pars, isti vero (d) caesariana pars praesidio erat. Sed quid ad nos ista pertinent? Potius in sua loca abeant; nos autem propositi nostri seriem prosequamur.

CAPUT LX.

Per idem tempus fuit in civitate Batavia (e) de optimatibus Bajoariae ex clero quidam praepositus majoris ecclesiae et scholasticus, nomine Egilbertus (f), qui vice quadam, cum episcopus loci illius, sicut et aliarum civitatum episcopi, ex praecepto Romani pon-

---

(a) omnes: deest ap. Honth.; concludit: legit d'Ach.

(b) vel honore: non legitur in cod. Vind. N°. 1069.

(c) Mart., Calm., Leibn. et Honth. legunt: ipse.

(d) vero: deest ibid.

(e) in civitate batana: cod. Vind. supra citat. — Apud Mart.: fuit in Bavaria de optimatibus Bavariae &c. — Ap. Leibn.: fuit in Batavia de optimatibus Barvariae &c. — Ap. Honth.: in Batavia de optimatibus Bajoariae &c. Batavia, seu Patavia (Batava castra) hodie Passau.

(f) Egilbertus in chartis quandoque legitur: Egelbertus, Eilbertus, etiam Heilbertus.

tificis, supra memoratum decretum (a) in ecclesia pronunciaret (b), ausu temerario illi in faciem restitit, palam dans cunctis intelligere, quomodo (c) et ipse cum Heinricianis vinculo teneretur anathematis. Constat enim, testimonium perhibente Apostolo de malefactoribus, quia (d) facientes et consentientes una sunt sententia plectendi (e). Ille vero consentit, qui, etsi renuere non valeat, favendo tamen, quantum in ipso est, maleficientis (f) operibus communicat. Dicebat autem, imperatori licere, nec idcirco ecclesiae consortium amittere, si non spiritualia, sed regalia sua gratis pretiove, cui voluerit (g), impendat: quae utique non sua, sed juxta Romanam consuetudinem beati Petri vel ecclesiae potiori jure possunt appellari. Sed utinam, qui ad ecclesiasticae dignitatis culmen (h) venire desiderant, non ambitiose, quod minime decet, se ingerant, neque artificiosi colore (i) commenti symoniacae haereseos sibi machinamenta confingant, asserentes, se non spiritualia, sed terrena terrensis acquirere; cum sicut tempore, sic et in eorum mente, primum sit animale, deinde quod spirituale, et non appetant tam curam pastoralem, quam honorem temporalem.

Multis itaque sermonibus pro hujusmodi ad invicem collatis, cum vidisset eum episcopus incorrigibiliter symoniacae parti, et nil peni-

---

(a) Scilicet adversus clericos concubinarios et contra investituras laicales. — In cod. Trev. N°. 29. legimus: Egelbertus electus est ab Heinrico imperatore quarto hujus nominis contra voluntatem clericorum Treberensium ac contra voluntatem papae Gregorii, qui cognominabatur Hildebrant, et investivit dans ei baculum et annulum sub die idus Januarii anno 1078. Praedictus autem papa Gregorius jura antiqua renovans, videlicet ne sacerdotes secum habere et habitare foeminas deberent, et ne laici nec clerici beneficia ecclesiastica sive abbatias emerent, nec laici possiderent. Qui autem ista non servarent, anathematizati essent et excommunicati.

(b) recitaret: ap. d'Ach.

(c) quam et ipse: cod. Vind. praef., sed minus accurate.

(d) In edd. (excepta d'Ach.): quod.

(e) Leibn. legit: una sint poenitentia vel sententia plectendi.

(f) Quidam editores legunt: malefacientium.

(g) voluerat: Leibn.

(h) honorem: d'Ach.

(i) artificiose colorem: Leibn.

tus ecclesiasticae assentire, jussit eum a communione ecclesiae alienum existere, usque dum universali papae praesentatus, unitati ecclesiae per ipsum meruerit sociari. Proinde cum diutius intra se haesitasset, demum ei voluntas Romam proficiscendi incidit. Veruntamen rege inconsulto ire illo noluit, a quo rege, inquam, accepta ad eum, quem superpositum papae (a) diximus, mandata detulit, et ab universali (b) penitus declinavit. Et factum est, dum rediret, adimpletis negotiis pro quibus a rege missus fuerat, in redeundo audivit, Udonem, fideli dignum memoria Trevirensem archiepiscopum, vita decessisse et ob hoc regem Trevirim adivisse (c), ut alium in locum ejus debuisset substituere. Et hac fama comperta, (d) quamplurimum iter acceleravit, intra se cogitans, si forte eo maturius potuisset pervenire, pro impensa saepius regi servitute, hunc ei honorem posse succedere (e); quod et factum est. Sed qualiter ad id ventum fuerit, ignaros docebimus. Porro cum imperator jussisset, ut quem sibi placere cognoscerent, hunc episcopum eligerent, et clerus unum (f) post unum ex ipso eorum collegio (g) hoc utique honore dignissimos exhiberent; rex autem quotquot nominassent, nullum eorum sibi placere dixisset; nullus enim eorum benevolentiam ejus digna transactione praevenerat (h), jamque in eligendo tribus diebus transactis (i), et quarto nichilominus die iterum (k) ad idem congregatis omnibus, tamquam a Deo missus, si tamen dici potest, a Deo dirigi via hominis, qui culpa sua meruit, ab ecclesiae communione suspendi, venit, et facta oratione (l) sua (m), locutus est regi de his, quae habebat in

---

(a) Al.: suprapositum papam. Sermo est de Clemente antipapa.
(b) papa: addit cod. Eb. Clus. — declinat: Leibn.
(c) et ob id &c. Treverim advenisse: d'Ach.
(d) Cod. Eb. Cl. verbum: Egilbertus interponit.
(e) hunc et honorem posse subsistere: d'Ach.
(f) Leibn., Mart., Calm. et Honth. legunt: unus post unum; sed codd. nostri mss. et cum iis d'Ach. consentiunt nostrae lectioni.
(g) consortio: d'Ach.
(h) Edd. Leibn., Mart., Calm. et Honth. legunt: praecemerat.
(i) exactis: d'Ach.
(k) iterum: deest ibid.
(l) Cod. Eb. Cl. legit: relatione.
(m) sua: deest ap. d'Ach.

mandatis. Quibus finitis, dixit rex: Quoniam diu (a) in eligendo episcopo concordare non possumus, saltem in hunc conveniamus; et consensit (b) ei ex episcopis, qui devotionis causa advenerant, solus Theodericus, Virdunensis episcopus, qui cognomento Magnus vocabatur, et pars aliqua populi Treverensis (c). Rex ergo (d) nil moratus investivit eum, dans ei annulum et baculum, sub die VIII. Idus Januarii (e), anno Dominicae incarnationis millesimo septuagesimo octavo. Pontifices vero Herimannus (f) Metensis et Bibo Tullensis, et residuus clerus et populus, quantum in ipsis erat, non assenserunt, quoniam ipsi tam idoneas personas exhibuerunt; resistere tamen regis voluntati non potuerunt. Verumtamen clerus et populus (g) multum moleste ferentes (h) irrogari sibi violentiam, deprecabantur eos, qui praesto erant, episcopos, et cum interminatione auctoritatis apostolicae interdixerunt, ne ipsum consecrarent episcopum (i), commonentes eos canonici illius decreti, quo praecipitur, ut nullus in episcopum, nisi canonice electus, consecretur. Quocirca episcopis in sua redeuntibus, Egilbertus benedictione non percepta remansit, et erat cupiens consecrari, nec potuit ab aliquo episcoporum ecclesiasticorum (k), qui ingressum ejus audisset, diebus quamplurimis impetrare. Tribus igitur annis fere transactis, cum res regi innotuisset, qui sub ipso tempore Roma rediens, multa ibi caede patrata, et Gregorio papa fugato, quo certe nichil in diebus illis celebriori fama ora omnium adimplebat, secus Alpes moram faciebat; directis epistolis ad supradictum Virdunensem episcopum, qui

---

(a) Quamdiu: quidam editores. — Quia jam diu: cod. Vind. praef.
(b) Leibn., Calm. et Honth. habent: consenserunt.
(c) Vide infra notas ad hoc cap.
(d) Rex vero: d'Ach.
(e) Quidam codd. mss. non faciunt mentionem diei; quidam vero legunt: Idus Januarii. — Cod. Eb. Clus. omisit notam diei et mensis.
(f) Al.: Hermannus.
(g) Verba: et populus, desunt in cod. Vind. praef.
(h) tantam: additur ap. d'Ach. et Mart.
(i) Quidam codd. mss. legunt: antistitem.
(k) episcoporum catholicorum: d'Ach.

ei summa familiaritate adhaerebat (a), petivit, quatenus (b) Treverensem metropolitanum quantocius consecrare studeret. Quarum epistolarum exemplar hic inserere, non videtur ab re; quae habent hunc modum (c).

CAPUT LXI.

„Rex Heinricus, Dei gratia Romanorum imperator et augustus, „Theoderico episcopo dilectionem nulli majorem. In primis te „scire volumus, quia nulli melius quam tibi confidimus, nec episco-„pum Trajectensem, fidei monitorem, sed ad honorem regni tractandum „tibi misisse cooperatorem. Deinde ad singula quae mandasti nego-„tia, singula damus responsa, sed brevissima, quia infinita tibi reser-„vamus ore ad os dicenda. Siquidem hoc, quod in margine epistolae „tuae de Romano negotio nobis mandasti, in primis dicemus tibi. Ro-„mam in die sancti Benedicti intravimus: qualiter autem a Romanis „recepti simus, qualiter cum Romanis steterimus, qualiter a Romanis „recesserimus, ab aliis multis te audisse credimus; tum etiam literis „nostris tibi indicavimus, quas te nondum vidisse putamus. Sed et „mallemus alio quam nostro ore te rescisse, quae nobis fecit Domi-„nus. Incredibile enim videtur, quod verissimum probatur, quod „factum est in Roma (d), ut ita dicam, cum decem hominibus in nobis „operatus est Dominus: quod antecessores nostri si fecissent cum „decem millibus, miraculum esset omnibus. Nam cum in Theutoni-„cas partes de acquirenda Roma jam (f) desperantes redire vellemus, „ecce Romani, missis legatis, ut Romam intraremus, rogaverunt, „seque (g) in omnibus nobis obedituros promiserunt, quod et fecerunt. „Summo namque gaudio nos intrantes receperunt, summo studio se-

(a) Cod. Eb. Cl. addit: licet excommunicato favebat et adherebat.
(b) petiit quod: d'Ach.
(c) Legimus etiam hanc Heinrici epistolam ap. Brow. et Honth.
(d) Romae: d'Ach.; in urbe Roma: Leibn.
(e) jam: deest ibid.
(f) se quoque: ibid.

„cum manentes adjuverunt, summo triumpho et fide ab eis receden-„tes prosecuti sunt nos (a), in tantum ut in Domino fiducialiter dica-„mus, quia tota Roma in manu nostra est, excepto illo castello, in „quo conclusus (b) est Hildebrant, scilicet in domo Crescentii. Quem „Hildebrandum legali omnium cardinalium ac totius populi Romani „judicio scias abjectum, et electum papam nostrum Clementem in se-„de apostolica sublimatum omnium Romanorum acclamatione, nos-„que a papa Clemente ordinatum et consensu omnium Romanorum „consecratum in die sancto paschae in imperatorem, totius populi Ro-„mani exultatione. His ita factis, cum (c) benedictione Dei et sancti „Petri, omnium gaudio a Roma recessimus, et quantocius (d) possu-„mus, ad has partes properamus, et in via reditus invenit nos tuus „nuntius. Gaudeant qui velint, doleant qui velint, nos Deo propi-„tio assumus. Dominus ille quid agat, scire non curamus; sed quod „tu monuisti, libenter ne nobis damnum faciat, providebimus. De Sa-„xonibus vero, de Salisburgense (e) archiepiscopo, de comite Adal-„berto, et de aliis, ad nos redire volentibus, id tibi respondemus, „quia consiliis tuis libenter acquiescimus (f), ut tantummodo pax ve-„ra (g) fiat in nostris temporibus, videlicet ut fideles sint, cum ad „nos redierint. Tu autem, si non gravaris facere quod volumus, „Augustam ad nos venire post festum Apostolorum (h) Petri et Pau-„li (i) rogamus, quia, Deo favente, in festivitate (k) eorum Radispo-„nae erimus. Studeas ergo ad nos venire, ut tuo adventu possis nos „(l) laetificare. Insuper mandat tibi apostolicus Clemens et imperator

---

(a) nos: deest ibid.

(b) Leibn., Calm. et Honth. legunt: inclusus; d'Ach. autem: reclusus; Mart. omisit utrumque.

(c) cum: deest ap. Leibn. et Mart.

(d) quanto citius: d'Ach.

(e) Al.: Saltzbergense, Salzburgense.

(f) Calm. et Honth. legunt: acquiescentes.

(g) vera: deest ap. d'Ach.

(h) Apostolorum: deest ibid.

(i) te: additur ibid.

(k) in festo: ibid.

(l) nos: deest in cod. Vind. praef.

„Heinricus (a), ut sicut nos diligis (b), ita archiepiscopum Treviren-„sem velociter consecrare properes (c). Vale."

CAPUT LXII.

Has igitur epistolas (d) cum praefatus Theodericus acceptas legisset, voluit (e) quidem, quod petebatur, libenter adimplere, sed attonitus rerum magnitudine, non potuit in corde suo credere (f), ita se omnia habere, sicut scriptura referente cognoverat. Sed et recordatus, quod a clero Treverensi, ne id faceret, apostolica auctoritate sibi interdictum fuisset, ne forte adversus eum exinde potuissent quandoque idoneae accusationes consurgere, congruum duxit, super hoc litteras mittere Romano pontifici, in quibus et meminit depulsionis ab episcopatu Herimanni supradicti Metensis, ac sibi injunctae reconciliationis, ut videlicet ipsius interventione Herimannus loco suo restitueretur: quod, licet satis laboraverit (g), non tamen tunc, sed postea obtinere potuit (h). Litterarum autem, quas mittebat, hic erat modus.

Litterae Theoderici, Virdunensis episcopi (i).

„Gregorio summo pontifici, karissimo domino ac reverendissimo „patri, Theodericus, Virdunensis episcopus, qualiscunque tamen su-„us (k), dilectionem quam patri filius, subjectionem quam praelato sub-„ditus, servitutem quam domino servus.

(a) Edd. Leibn., Calm., Mart. et Honth. non faciunt Heinrici nominis mentionem.
(b) Quidam codd. et edit. Leibn.: diligas.
(c) festines: d'Ach.
(d) litteras: ibid.
(e) Ap. Mart.: noluit, sed male.
(f) posuit in corde suo non credere: cod. Vind. praef., minus accurate. — Conf. epistolam Theoderici, Virdunensis episcopi, ad Egelbertum, qua se excusat, quod, ipse ab ordine suspensus, non possit interesse consecrationi Egelberti. (V. Udalr. Babenb. Cod. Epist. N°. 158. T. II. Collect. Eckhard, et Honth. Hist. Trev. dipl. T. I. p. 426. sq.)
(g) laboravit: Leibn.
(h) obtinuit: d'Ach.
(i) Vide Honth. l. c. Tom. I. pag. 432.
(k) suas: male ap. Leibn.

„Posse tibi obedire, maxima est mihi joconditas, posse ser-„vire, non parva hilaritas; in quo enim venerabor te, in eo „beatum Petrum: in quo obediendo, serviendo, te mihi conci-„liabo, in eo beatum Petrum Apostolum (a). Monitus a te sus-„cepi confratrem meum Metensem (b), ut te ipsum; attendens „illud Dominicum: Qui vos recipit, me recipit. Causam ejus „meam feci, negotium ejus (c) meum existimavi; eadem nobis ad-„versitas, eadem fuit prosperitas. Ad hoc me invitavit mutua frater-„nitas, debita karitas. sed praecipue jussio tua, benivolentia tua et „habita in me fiducia. Praeterea Treverensis ecclesia cum gravi do-„lore pedibus paternis advolvitur (d), filia dominum pulsat, inconso-„labile sui (e) detrimentum his temporibus me mediante deplorat. Vi-„dua per biennium (f) fere, quanta passa est et patitur, quantum af-„flicta est et affligitur! Foris pugnae, intus timores! Elegit virum „de plebe, dignum sacerdotem, idoneum patrem, communi assensu; „teste conscientia mea coram Deo et coram te, quod nichil Simonia-„cum contra (g) jus ecclesiasticum intercurrerit, quod nichil Simoni-„acum, etiam (h) petitione remota, intervenerit. Consecrationem ejus „miramur differri, dilationem tam gravem miramur potuisse tibi incul-„cari; illud maxime, quod pateris, hac desolatione nos adeo (i) gra-„vari. Gravissimum onus est mihi, solum esse in medio nationis pra-„vae et perversae, solum patre et fratre illo expulso (k), alio non

---

(a) supplendum est: conciliabo mihi.

(b) Herimannus, Metensis episcopus, Gregorio VII. papae ad animam confoederatus (inquit Sigibertus ad an. 1078.) ac per hoc imperatori rebellis, Metensi urbe pellitur.

(c) ejus: deest in codd. Vind. et Stuttg.

(d) pedibus vestris provolvitur: d'Ach.

(e) in consolatione sui: ibid.

(f) Vidua dicitur ecclesia Trevirensis, quanquam Egilbertus electus fuisset episcopus post Udonem, et rex ei investituram contulisset per annulum et baculum, VIII. Id. Januarii, anno 1078. — Cumque biennium pene effluxisset, ad annum 1079 desinentem revocanda videtur haec epistola.

(g) nihil contra: Leibn.

(h) et petitione: ibid.

(i) a Deo: cod. Vind. praef., sed male.

(k) Herimanno Metensi.

„consecrato (a). Si ecclesiam, si statum christianitatis curas, locum „nostrum respicias, et cum vita (b) patris in omnibus spectata or- „dinationem mereatur, Metense et me tuo exaudito, nullius detractio- „ne ulterius remoretur (c). Persolvet tibi, quod patri filius, quod „praelato subditus.“ (Deinde, quibusdam interpositis, in fine ita concludit.) „Quomodo rex sit tecum (d), et tu cum rege, mo- „do mihi rescribas tuo.“ (e)

CAPUT LXIII.

Denique his, quae decursa sunt, Romam directis, appropinquante tempore (f), quo se rex venturum per epistolam supra scriptam ipsi mandaverat, sicut jussus fuerat, venire ei obviam parabat, veniensque Mogontiam, ibi forte complures episcoporum, in occursum regis euntium reperit, ad quos facta oratione, quoniam confratres sui, suffraganei videlicet ecclesiae Trevirensis, supra nominati episcopi Herimannus Metensis et Bibo Tullensis, ob invidiam regis (g), metropolitani sui consecrationi noluissent interesse, petivit ex ipsis causa karitatis sibi (h) cooperatores fieri, et obtinuit. Itaque assumptis secum qui plus ceteris erga ipsum benigni videbantur, annuente (i) ejusdem sedis (k) archipraesule, Egilbertum consecravit episcopum.

Porro cum fuisset ordinatus, paucis interjectis diebus, Treverim venit et coepit cum his, qui, ut ita dicam, ipsum noluerunt regnare super se, tyrannico more agere, ut deinceps ab ejus impugna-

---

(a) Scilicet Egilberto Trevirensi.
(b) et cura patris: d'Ach.
(c) demoretur: cod. Vind.
(d) Calm. et Honth. male legunt: mecum. — sit: deest in cod. praef.
(e) mihi rescribas oro: d'Ach. An, et qualem Gregorius VII. responsionem dederit Theoderico, nullibi constat.
(f) termino: ibid.
(g) Cod. Eb. Cl.: ob excommunicationem et praesumptionem regis.
(h) sibi eos: d'Ach.
(i) connivente: quidam codd. et ed. Leibn.; convenit ejusdem sedis archipraesulem et &c.: ed. d'Ach.
(k) ejusdem sedis, i. e. Moguntinae.

natione desisterent: majoribus quibus plus nocere non potuit, ex rege timorem incutere; invalidae vero plebis, quae se adversus eum defendere non potuit, bona quacumque occasione diripere. Tunc hi, qui plus ceteris ei ausi sunt resistere, dixerunt (a): Quoniam ad hunc pontificatus honorem et tunc et nunc ingratus (b) nobis accessisti, sed et quia ab homine excommunicato et laico episcopalia suscepisti, episcopalia inquam, annulum et baculum praesertim, cum in canonibus (c) et decretis, laicis, quantumve religiosis nulla de ecclesiasticis rebus aliquid disponendi sit tributa facultas; idcirco non poteris episcopare (d), nec nos tibi communicare. At vero si insuper debes in gradu suscepti honoris consistere, oportet te Gregorio, catholicae ecclesiae summo pontifici, obsequi et obedire (e) et haeretico illi superposito penitus abrenunciare; haeretico, inquam, juxta illud, quod beatus Gelasius papa et martyr in epistola quadam universis orientalibus episcopis directa, de hujusmodi superpositis (f) scribens ait: „Quid ergo facimus de tantis totque civitatibus, ex quibus catholici pontifices sunt rejecti? Si catholici sunt subrogati, cur catholici sunt rejecti? Sed „evidenter apparet, quia cum catholici sunt rejecti, non „catholici fuerunt, qui subrogati sunt. Restat igitur, ut „non sint catholici sed haeretici, quicunque successerunt." Item: „Quis non videat, illos esse catholicos et ab „omni haeretica peste prorsus alienos, qui a propriis urbibus detrusi et in exiliis sunt redacti, et eos, qui superstitibus catholicis successores fieri ausi sunt, ca-

(a) Cod. Eb. Clus.: Tunc is, qui plus ceteris ausus est ei resistere, dixit.
(b) ingratis: cod. Vind. et ed. d'Ach.
(c) Quaedam edd. legunt: canonicis decretis.
(d) Quidam legunt: episcopari.
(e) et haeretico numquam juxta illud, quod: d'Ach.; cetera desunt.
(f) suprapositis: Leibn. et Mart., minus accurate.

tholicos omnino non esse. His (a) adde et illos, qui se prius talium communioni junxerunt (b).

Quo contra Egilbertus respondit: velle se prius vitam dare (c), quam illi, qui eum ad hunc honorem provexisset, infidelis existere: nunquam velle Gregorio obedire, quamdiu ipse nollet amicitiam regis inire.

Interea cum haec et his similia inter se (d) contendentes tractarent, appropinquabat jejunium quatuor temporum, quo consuetudo est ecclesiae, promoveri eos in ordinem clericatus (e), qui sunt promovendi (f); et hoc iste omni nisu affectabat facere, non amore justitiae, sed ut potuisset majorum quempiam sibi advincire, ut videlicet ab ipso consecrati, postea ipsi essent obnoxii, et quomodo suam ab ordine suspensionem, ita pertimescerent ejus ab episcopatu depositionem. Cujus intentionem (g) cum rescissent, dixerunt: Quia pallium, quod a Romana ecclesia metropoli nostrae debetur, nondum es adeptus, impositionem manus a te percipere nolumus, maxime cum in canonibus decretum sit: si quis episcopus metropolitanus sine pallio consecrare praesumserit, et consecrator et consecratus gravi ordinis sui periculo subjacebit. Quod utique si debes acquirere, necessarium habes erga papam, quem adeo despicis, Gregorium te humiliare, ut merearis accipere. Quid multa (h)? Expositis ei idoneis causis, pro quibus non debuerit ordines facere, abstinuit, et paucis diebus interpositis, quendam consentaneum suum, nomine Theodericum, arte nechromatiacum (i), professione monachum, scientia litterarum valde praeditum (k) [quendam subditorum

(a) His: deest in cod. Vind., jam saepius citato.
(b) conjunxerunt: Leibn. et Mart.
(c) velle se vitam dare potius: ibid.
(d) inter se: non legitur ibid.
(e) In cod. Eb. Cl.: ad sacros ordines.
(f) movendi: cod. Vind., sed male.
(g) Cod. Eb. Cl.: dolosam intentionem.
(h) Quid multa: non legitur ap. d'Ach.
(i) Al.: nigromanticum.
(k) Sic habent codd. Vind. et Guelf., et ed. d'Ach.

suorum, nomine Theodericum, virum probum, scholasticum, monachum scientia litterarum valde praeditum (a)], misit quaesitum Clementem suum apostolicum (b), ut inventum transmittere sibi expeteret pallium. At ille, Clemens inquam, gavisus, quod aliquis ipsum pro accipienda benedictione respiceret, quod petebat transmisit, cum litteris docentibus, quibus temporibus hoc foret usurus. Quas, quia auctor (c) non roborat, magis vero infirmat; haereticorum enim et excommunicatorum decreta fidelis quisque non recipit, idcirco commendare memoriae non curamus (d).

CAPUT LXIV.

Hic autem, quem jam nominavimus, Theodericus de saepe dicto Gregorio papa libros duos edidit, in quibus mendaciis multis compilatis (e), quae non ipso melius concinnare (f) quis novit, Gregorium infamem fecit; regis vero et sui papae innocentiam et sanctitatem commendavit. Pro quibus editis iste, de quo loquimur, Egilbertus abbatiam sancti Martini super (g) littus Mosellae, defuncto beatae memoriae Sigiberto abbate, eadem die illi in retributionem dedit, quo utique malo si majus non fecisset, ad perpetuam sibi damnationem sufficere usque potuisset (h) (illi regendam dedit, quam ipse felix abbas, quantum potuit, rexit et ecclesiam ipsam reparavit) (i). Nam ipsa abbatia prius quidem erat admodum in rebus suf-

(a) Ita legunt cod. Stuttg. nostrique codd. mss., et ex parte ed. Leibn.; sic etiam Mart., Calm. et Honth.

(b) papam suum: cod. Vind.

(c) quia auctoritas: d'Ach. et Mart.

(d) curavimus. d'Ach. et Leibn.

(e) copulatis: cod. Eb. Cl. — duos libros nugis plenos: cod. Trev. N°. 1462. Conf. animadv. in fine volum.

(f) Al.: continuare, communicare.

(g) juxta: cod. Eb. Cl.

(h) Sic legunt codd. Vind. et Guelf. et ed. d'Ach. Eadem habet unus codicum, quo usus est Leibn.

(i) Haec famae Theoderici favorabilia legimus in optimis nostris mss., ap. Mart. et ex parte in edit. Leibn.

ficiens; at nunc ab hoc est adeo adnihilata, ut monachi quoque, qui divinis ibidem mancipati erant servitiis (a), (sed peccatis exigentibus ejus temporibus ita est destituta, quod monachi, qui ibi Deo serviebant) (b), nisi aliunde conquirerent, nec necessaria vitae haberent.

Est et aliud quoddam gestorum ejusdem Egilberti, quod successoribus nostris volumus narrare (c). In monasterio puellarum Horrei, defuncta Imiza (d), summae strenuitatis ancilla Dei, matre coenobii, renitentibus omnibus ibi Deo famulantibus, quamdam neptem suam praeposuit (e), fratris sui filiam, nomine Luitgardam (f) — quod cum pace, salvo honore professionis sanctimoniae dixerim, Deus scit, quia non mentior — arte magicam, veneficam, incantatricem, blasphemam (g), [praeposuit neptem suam, fratris filiam, Luitgardam, corpore quidem valde juvenculam et speciosam, et secundum suam aetatem litteris eruditam, moribus honestam (h)]. De qua cum episcopus omnibus (i) modis niteretur, ut ibi eam praeficeret, sanctimonialibus omnibus pusillis et majoribus sine cessatione, tam die quam nocte, Deum et sanctam ejus Genitricem cui serviunt, ne hoc fieret, orantibus: cuidam ex earum (k) collegio, quae ceteris frequentior orationi incumbebat, inter verba orationis, ut divinae erat voluntatis, obdormienti, talis ostensa (l) est visio. Vidit sanctam Dei Genitri-

---

(a) V. notam h. pag. 170.

(b) V. notam i. ibid.

(c) Sic nostri codd Trev. — Cod. Guelf. vero et edd. lgunt: quod pro facti similtudine istic libet inserere.

(d) Cod. Eb. Cl. legit: Miza; cod. Scholerii: Irmina; ed. Calm.: Imita; Brow.: Jonza.

(e) Cod. Eb. Cl. addit: iste Egilbertus.

(f) Et hoc nomen vario modo scriptum legitur: Luicardam, Lugardam; Lynthardam, Ingurdam, Luitgardim.

(g) Haec famae Luitgardae valde noxia leguntur in codd. Guelf. et Vind., et in edd. d'Ach., Leibn., Mart., Calm. atque Honth.

(h) Codd. nostri S. Math., N°. 31 sign., S. Agnet., et Eb. Cl. hanc prorsus contrariam Luitgardae effigiem habent. Consentit praefatis codd. unus Leibnitii.

(i) omnibus: deest in cod. Vind.

(k) eorum: male legit Leibn. — quae: ibid. deest.

(l) oblata: edd. Leibn. et Mart.

cem (a), in medio angelorum stantem, et beatas virgines Irminam, Modestam, Anastasiam, quae in diebus suis ipsi loco praeerant (b), coram ea (c) consistentes, et vultus quasi moestos exhibentes, et sanctam Dei matrem ita se alloquentem: „Ausculta, inquit, filia! „cum illuxerit dies — erat enim (d) hora matutina — indica sorori- „bus tuis ex me, quia peccatis vestris exigentibus decrevit Deus, „ut ipsa, de qua petitis absolvi, flagelli vobis loco proveniat, et tam „diu maneat (e), quousque pro afflictionibus, ab ipsa vobis irrogandis, „de diuturnitate vitae (f) vos (g) pigeat. Verumtamen noveritis, ip- „sam ex praelatione iram Dei in se provocare; vobis vero non plus „officere, nisi quod super destitutione hujus loci nostri videbimini „sufferendo laborare."

Itaque cum fuisset inthronizata, (h) coepit de bonis ecclesiae, juxta illud Nachum, diabolum magnum (i) exercere, et, ut verum fatear, licet imprudenter (k) loquar; alia concubitoribus suis distribuere, alia vendere; postremo, ut breviter concludam, paucis ecclesiae derelictis, omnia in usus suos convertere, ut posses liquido perpendere veridicam Dei Genitricis supradictam existere sententiam: ipsam ex praelatione iram Dei in se provocare (l). (Itaque cum

---

(a) Mariam: addit edit. d'Ach.
(b) praefuerant: ibid.
(c) ei: ibid.
(d) erat enim: non legitur ibid.
(e) et tam diu maneat: haec desunt ap. Leibn.
(f) vitae ipsius: d'Ach. et Mart.
(g) vobis irrog. — vos pigeat: non legitur ap. Leibn.
(h) Valet hic eadem animadversio, ut supra.
(i) juxta illud libri Machabaeorum diabolicum magnum exercere: cod. Vind. et ed. d'Ach. — Idem habet ed. Mart, sed omittit: libri. Ceterum utraque lectio satis est obscura.
(k) impudenter: al.
(l) Alia sententia, Luitgardae favorabilis, sequitur. Primus hujus episcopi Gestorum scriptor, fortasse Erhardus, Theodericum scholasticum et Luitgardam Egilberti neptem, pessimis moribus fuisse denotat. Constat vero ex praemissis capitibus, hunc scriptorem stetisse a partibus Gregorii VII. contra Henricum IV., et consequenter contra Egilbertum et ejus familiares; ideoque, ut nobis videtur, in sua narratione aliquid humani passum esse. Lectio ejus virulenta correcta (non corrupta) nobis esse videtur per scholasticum quendam posteriorem, et quidem, ut nobis est simillimum veri, per doctissimum

fuisset inthronizata, coepit Deo servire, sorores ecclesiae procurare, et rexit locum illum quadraginta annis, usque ad tempora domini archiepiscopi Adelberonis, qui primo Metensis primicerius, postea Trevirorum archiepiscopus et Romanae sedis legatus. Cujus temporibus abbatissa Luitgardis felicis memoriae obiit et ante ecclesiam ipsam in pace quiescit.)

Deinde (a) aliquantis transactis annis, Egilbertus coepit se satis admodum officio dignum exhibere; nisi solum quod ab excommunicatorum, regis videlicet et Clementis, se noluit communione sequestrare. Propter quod Bruno, qui ei in episcopatu proximo loco successit (b), omnes quos ille ordinavit, iste ab officio suspendit, nec remotos ad pristinum gradum admisit, nisi qui se legitimo Romanae ecclesiae pontifici obediturum super sanctum (c) evangelium fidem fecit.

Complura memoriae digna de hujus Egilberti probis actibus, quae per ipsum, vel sub ipsius temporibus gesta sunt, seniorum relatione ad nostram notitiam devenerunt (d), quorum aliqua, siquidem vel aliquam ejus memoriam cum pace ecclesiae fieri liceat in benedictione, curabimus insinuare (e).

Lambertum de Legia, saeculo XII., qui sine ira et studio has historias enarrat. Remotior enim vixit ab ista famosa discordia, et nullo partium studio laborabat. (Conf. Gestorum capita 93, 94, 95 sqq.) Interea credendum est, Lambertum juvenem Luitgardae jam senili adhuc fuisse coaevum. Adde, quod Bruno episcopus, qui successit Egilberto, et maximopere Papae partibus favebat, sine omni dubio Luitgardae illi officiis suis fungi vetuisset, si revera talis foemina fuisset, qualem nobis eam auctor primus describit. Sed haec Luitgarda praefuit non sine laude monasterio annis quadraginta, et quidem longe post mortem Egelberti, usque ad tempora Alberonis episcopi.

(a) Denique: d'Ach., Leibn. et Mart.

(b) Anno 1102.

(c) sanctum: deest ap. d'Ach.

(d) Verisimile est, scriptorem Lambertum, supra laudatum, haec de Egilberti probis actibus interposuisse.

(e) (posteritati) insinuare: manus recentior interposuit codici Vind. Omissum est in his Gestis Egilberti iter in Bohemiam, ad coronandum regem Wratislaum jussu Henrici IV. Conf. Cosmam Pragensem (L. II. Chron. ad an. 1086.) et Aen. Sylv. (Hist. Bohem. c. 22.)

CAPUT LXV. (a)

Quaedam praepotens matrona comitissa de castello, quod Aralunae dicitur (b), mater videlicet comitum Walramni et Folconis (c), marito suo defuncto, astipulantibus filiis et filiabus suis, bona proprietatis suae in ecclesia Treveris (d) beato Petro tradidit, et amplius recepit sub conditione, quam precariam nominant; ita videlicet, ut (e) cum ipsa de hac luce migraret, utraque data simul et accepta in beati Petri et episcopi jus libere transirent, et quod episcopo ex his facere placuisset, liberam potestatem haberet. Hujus comitissae neptem, filii filiam, Heinricus quidam dux, cujus ditionis erat castellum, quod vulgo Limpurch (f) nominatur, duxit in matrimonium, qui, decurso aliquanti temporis spatio, eadem bona ecclesiae tollere et in suos usus vendicare nitebatur (g). Propter quod cum fuisset saepius ab episcopo ad satisfactionem vocatus et nollet desistere, sequestratus est a communione ecclesiae. Cumque nec ideo manus suas ab incepta malitia contineret, imo magis et alia episcopatus bona devastaret: episcopus maledixit ei anathemate maranatha (h). Cui nec sic quidem ab impugnatione desistenti, sed adversus ipsam civitatem Treverim (i) cum magna armatorum manu venienti, episcopus convocata ad se liberorum et ministerialium ecclesiae multitudine gravi, statuto die occurrit, et adjutorio Dei et beati Petri istius partis satis admodum modico (k), illius vero permaximo (l) detrimento et confusione, (m) ad propria redire coegit. Post multum vero tempo-

---

(a) In cod. Vind. N°. 686 absunt omnia hujus capitis usquo ad verba: accidit, ut quidam de militibus ejus &c.
(b) V. notas nostras in fine voluminis.
(c) Al.: Walrammi; Waleranni et Fulconis: ed. d'Ach.
(d) Treverensi: Leibn. et Mart.
(e) ut: ibid. deest.
(f) vocatur Lemburch: d'Ach. — Lempurch: cod. Vind. N°. 1069.
(g) studuit: d'Ach. — studebat: Leibn. et Mart.
(h) Vide notas ad hoc cap. in fine.
(i) Treverensem: Leibn.
(k) admodum parvo: d'Ach.
(l) et maximo; cod. Trev. N°. 184.
(m) eum: addunt d'Ach. et Mart.

ris, cum idem dux inflictum sibi anathema parvipenderet, et in malis supradictis et similibus perseveraret; accidit, ut quidam de militibus ejus die quadam in domum ejus advenisset, et facta hora prandii, apposita mensa coram ipso, panem comedere debuisset (a), dux illudens illi: surge, ait, et foras egredere, coram me commesturus non es, excommunicatus enim es; et ille: ubi, inquit, et quis me praeter eum qui et te excommunicavit? Cui dux ait: Ecce nunc vide, jam parebit, si ita sumus excommunicati, ut aliquid (b) nobis exinde molestiae possit (c) accidere. Si hic canis, (qui forte illis edentibus aderat) buccellam quam illi dedero, comederit, non pertimesco; sin autem, timenda nobis est excommunicatio et petenda reconciliatio. Et hoc dicto, misit buccellam (d), quam canis, ut naribus adhibuit, ultra contingere non curavit (e). Et ne quis hoc saturitati canis potuerit (f) imputare, dum alius (g) buccellam illi mitteret, festinus arripuit (h). Unde omnes, qui aderant, summa admiratione ducti, una voce dixerunt: opportere eos ad satisfactionem venire, et ita fecerunt. Sit ergo nomen Domini benedictum in saecula, qui sacerdotum, licet peccatorum, tamen in multitudine clementiae suae preces exaudit, et quod nostra parvitas (i) in terris ligat, apud ipsum quoque ligatum esse confirmat, juxta quod ipse beato Petro, et per ipsum (k) ecclesiae promisit, dicens: Quodcunque ligaveris super terram, erat ligatum et in coelis.

(a) Cod. Eb. Cl.: coram eo prandere deberet. Edd. Leibn. et Mart.: comedere devenisset.
(b) ut aliquae: Leibn. et Mart.
(c) possint: ibid.
(d) Cod. Eb. Cl.: projecit buccellam ante canem.
(e) curat: Leibn.
(f) posset: d'Ach.
(g) cum alius ministrorum ducis astantium eidem cani aliam buccellam apposuisset: cod. Eb. Clus.
(h) Ibid.: et avide comedit. — festinus apparuit: cod. Vind. N°. 1069.
(i) Cod. Trev. N°. 184 et ed. Mart.: pravitas.
(k) universae: addit d'Ach.

CAPUT LXVI. (a)

Ea tempestate populus multus utriusque sexus ex omni terra et natione Jherusalem ire intenderunt (b), et totis desideriis anhelabant pro Dei et fidei amore aut ipsi mortem suscipere, aut incredulorum colla fidei subjugare: et hac mentis intentione incitati decreverunt, primum Judaeos in civitatibus et castellis, ubicunque habitarent, persequi et cogere illos, aut Dominum Jhesum Christum Deum credere, aut sub ipsa hora vitae periculis subjacere. Cumque eodem fervore (c) civitati Trevirorum appropinquassent (d), Judaei qui ibi habitabant, similia sibi arbitrantes fieri, quidam ex eis accipientes parvulos suos defixerunt cultros in ventribus eorum, dicentes: ne forte Christianorum vesaniae ludibrio fierent, debere se eos in sinum Habrahae (e) transmittere. Quaedam autem ex mulieribus eorum, ascendentes super pontem (f) fluminis, et adimpletis sinibus suis (g) et manicis lapidibus, praecipitaverunt se in profundum: reliqui vero, quibus adhuc vivere cordi (h) erat, assumptis secum rebus suis et liberis, in palatium, quod est asylum (i) Trevirorum, ubi ipsa hora Egilbertus manebat, confugerunt, et coeperunt lacrimis flagitare suffragium. Ille vero, nacta opportunitate super conversione eorum (k) eos admonens,

---

(a) Hoc cap. deest in cod. Vind. N°. 686. — Quidam codd. addunt titulum: De nece Judaeorum.

(b) contenderunt: cod. Vind. N°. 1069.

(c) incitati: addit d'Ach.

(d) appropinquarent: ibid. — Sub Emichone duce, anno 1096. — Qui Cruciati Treveris, Coloniae, Moguntiae, Spirae, Wormatiae omnia juris ac disciplinae abrupere vincula, quique tam immane adversus Judaeorum praecipue gentem odium conceperant, ut quacunque iter esset, luctum lacrymasque miserabili populo ferrent (ait Browerus Annal. I. p. 571.).

(e) Al.: Abrahae.

(f) super ripam: d'Ach.

(g) sinibus earum: alii codd. — manibus loco manicis: cod. Eb. Cl.

(h) adhuc vivere: haec desunt in cod. Vind. praef.; sed legitur: aliquid cordis erat. — aliquid et litera s additamenta sunt manus recentioris.

(i) asyle: quidam alii codd. — Palatium, prius grande Romanorum monumentum, postea Regum Francorum palatium, tractu temporis archiepiscoporum Trevirensium habitatio, nostro tempore in mansionem militum transformatum est.

(k) eorum: deest ap. d'Ach., Leibn. et Mart.

ita exorsus est: „Miseri, nunc venerunt super vos peccata vestra „quae operati estis, filium Dei blasphemando, et sanctissimae Geni„trici ejus detrahendo, ipsum quidem in carne venisse negando, et „matri ejus superfluitatibus verborum vestrorum derogando. Ecce „jam hujus rei causa ad summam vitae vestrae desperationem deve„nistis, et vobis ego dico, si in hac infidelitate vestra perseveratis, „corpore simul et anima peribitis. Vos pro similitudine patrum vest„rorum, qui ante Christi adventum, ipsum venturum in carne crediderunt, „vobismetipsis blandientes promittitis (a), profecto (b) nisi jam ipsum „venisse, et quae pro redemptione humani generis ipsum acturum scrip„turae referunt, adimpleta esse cognoveritis (c), ipsi vos fallitis. Quae „vos stultitia vel magis duritia coarctat, ut cum prophetica scripta „legatis, non retractetis vobiscum cogitantes, quam brevis temporis „spatium adventus ejus in carne Daniel (d) propheta (e) commemorat, „et quot exinde anni defluxerunt? Septuaginta, inquit, hebdo„madae adbreviatae sunt super populum tuum et super ur„bem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem „accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur „justitia sempiterna, et impleatur visio prophetae, et „ungatur (f) sanctus sanctorum. Nonne scientiam littera„rum vestrarum bonam habetis (g)? Utique magnum vobis posset ex„istere gaudium et fidei incitamentum de assumptione generis vestri „in Deum.“ Hoc autem dicebat (h), quia ut quidam Sanctorum dicit: infidelibus est blandiendum, ut ad fidem convertantur, et ipsi Judaei (i) de generis sui nobilitate gloriantur; et adjunxit (k): „Nunc itaque ad„quiescite petitionibus meis et consiliis, et convertimini et baptize-

(a) In edd., (excepta d'Ach.) deest: promittitis.
(b) pro ficto: d'Ach.
(c) cognoscitis: ibid.
(d) Quidam codd. (Vind., Stuttg., Francof., Maxim., Paulin., et S. Agn.) legunt: David, sed male.
(e) propheta: deest ap. d'Ach. et Leibn.
(f) augeatur: Mart.
(g) Edd., excepta d'Ach., legunt: Nonne si scientiam &c. haberetis, utique &c.
(h) Hoc autem ideo dixit: d'Ach.
(i) Judaei: deest ap. Honth.
(k) episcopus: addit cod. Eb. Cl.

„mini, et ego restituam vos cum pace et salute possessionibus vest- „ris, et deinceps ab adversantibus tuebor vos.“ Cum haec et his similia ad illos diceret, unus ex illis, legis doctor, cui nomen erat Micheas (a), coepit dicere: „Vere, sicut dixisti, necessarium est nobis „magis (b) Christianorum fidei nos jungere, quam de die in diem ta- „liter vitae nostrae et possessionum periculo (c) subjacere. Age er- „go, quomodo credere debeamus edissere; et adjuva, quatenus libere- „mur de manibus eorum, qui foris sunt, quaerentium nos perdere „(d).“ Et ait episcopus: „Haec est fides catholica, sine qua salvari „nemo potest, ut credatis (e) in Deum Patrem omnipotentem, creato- „rem omnium creaturarum, et in Jhesum Christum filium ejus, qui „cum Patre unius est substantiae, quem Deus Pater ante omnia tem- „pora genuit, nativitate illa (f) ineffabili, de qua dicit Ysaias propheta: „Generationem ejus quis enarrabit? Qui quidem, cum homines „per multimoda vitia incedentes ad tantam devenissent insipientiam, ut „neglecto creatore suo, debitum Deo idolis manufactis honorem im- „penderent, sicut est infinitae misericordiae, condoluit perditioni eo- „rum, et ut eos ab errore et perditione, quae de hac vita deceden- „tes excipiebat, liberaret; manens quod erat, suscepit quod non erat, „ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, homo verus per im- „maculatae Virginis uterum sine virili (g) semine natus est. Quem, „quia filium Dei se dicebat esse, patres vestri crucifixerunt, et vos „ipsorum (h) maledicto devinxerunt, dicentes: Sanguis ejus super „nos et super filios nostros. Verumtamen hoc maledictum vos „evadere potestis, si in ipsum firmo corde credideritis, et de peccatis „vestris ipsum vobis propitium fieri rogaveritis (i). Qui post passio-

(a) Micheas nomine: d'Ach.

(b) necessarium nobis Christianorum &c. ibid. — necessum est nobis magis &c.: Leibn.

(c) periculis: Leibn. et Mart.

(d) perdere: deest ap. d'Ach. — Quidam codd. legunt: pro foribus; al.: pro foris; Honth.: prae foris.

(e) credatur: Leibn. et Mart.

(f) illa: deest in edd. Leibn. et Mart.

(g) viri: quidam codd. et edd. d'Ach. et Leibn.

(h) vos suo maledicto: d'Ach. et Mart. — ipsorum maledicta: Leibn.

(i) postulaveritis: d'Ach.

„nem suam effracto inferno, et his qui in adventu ejus crediderunt inde erutis, die tertia, Deus verus et homo (a), resurgens a „mortuis, ab hinc die quadragesimo videntibus qui digni erant, ad „coelos ascendit, ubi sedet in dextra Dei Patris sui, aequalis ei et „coëternus in divinitate, inde venturus ad judicium (b) in novissimo „dierum, Deus verus et homo, reddere unicuique prout gessit in cor„pore, sive bonum sive malum. Nec minus credendum est (c) et in „Spiritum sanctum, qui ex Patre et Filio procedens, universa condita „vivificat, aequalis et consubstantialis per omnia in divinitate Deo Pa„tri et Filio; propter quod (d) et fides Christiana trium Deitatis perso„narum unam praedicat essentiam esse, aequalem majestatem. Hanc „fidem catholicam per orbem confitetur ecclesia (e), in qua unum da„tur baptisma in remissionem peccatorum credentibus, in qua juste et „pie viventes, post hujus vitae decursum, corporibus nostris hisdem, „quibus nunc paremus, immortalitate vestitis, speramus (f) communio„nem sanctorum percipere, et fruituros nos aeterna beatitudine (g); „male vero operantes, non confessos et inemendatos, in aeterno ar„suros incendio."

Tunc Micheas, is (h) videlicet, quo hortante hanc fidei editionem episcopus exorsus est, ait: „Testificor tibi per Deum, quia quod „(i) locutus es credo, et ecce jam Judaismo abrenuntio, et quae „nunc mihi non satis plene sunt intellecta, cum nobis tempus pacis „et tranquillitatis adveniet, perquirere curabo; tantum nunc (k) acce„lera nos baptizare, ut possimus manus quaerentium nos evadere." Similiter et alii omnes dixerunt.

(a) et verus homo: d'Ach.
(b) judicandum: ibid.
(c) et: deest in edd.
(d) propter hoc fides Christianorum trium unam Deitatem personarum, eamdem praedicat &c.: d'Ach. — trium Deitate &c.: cod. Vind. praef.
(e) sancta: additur ap. d'Ach.
(f) Leibn., Calm. et Honth. omiserunt verbum: speramus, adjecerunt autem verbum: praeterea.
(g) non ambigimus: additur in cod. Eb. Cl.
(h) Micheas his: codd. Vind. et Stuttg.
(i) quia quae: cod. Trev. S. Agn. et ed. d'Ach.
(k) nunc: deest ap. d'Ach. et Mart.

Tunc episcopus baptizavit illum, nomen suum imponens ei; alios autem presbyteri, qui aderant, baptizabant. Sed ut de cetero (a) taceam, aliis omnibus in sequenti anno apostatantibus, iste solus (b) adhaerens episcopo, in fide permansit. Non ergo audebo nunc dicere, quod istius conversio (c) sit animae convertentis salvatio, cum scriptum sit: Quia qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte. Ejus, inquam, id est suam et conversi, cum ad Ezechielem Dominus dixerit, quod si adnunciaverit impio viam suam malam, et ille conversus non fuerit, ipse tamen mercedem suam non amiserit; sic enim dicit: Si autem tu annunciaveris impio, et ille conversus non fuerit a via sua mala, ipse quidem in iniquitate sua morietur: tu autem animam tuam liberasti.

Praeterea multa alia bona idem Egilbertus (d) operatus est, quae enumerare longum est. Hoc tantum sciendum, quod eleemosynas pauperibus largas faciebat, et ecclesiis bona plurima conferebat, sed et ab antecessoribus suis aliquibus ablata reconsignavit (e), quorum testamenta in ejus memoriam in bibliothecis usque hodie sunt recondita (f). Quae omnia ego pusillus, qui haec scribo, ad redemptionem animae ejus profutura sperarem (g), sed sententiae sancti Augustini non audio praejudicare; dicit enim: Omni homini, qui ecclesiae catholicae non tenet unitatem, neque baptismus, neque eleemosyna quamlibet copiosa, neque mors pro Christi nomine suscepta proficere poterit ad salutem, quando in eo vel haeretica vel scismatica perseverat pravitas, quae ducit ad mortem (h). Mortuus est autem anno

---

(a) de his: additur ap. d'Ach.

(b) solus: non legitur ap. editores. Cod. Eb. Cl. habet: solus iste Micheas. Chronogr. Saxo ad annum 1097 refert, Henricum IV. imperatorem, post ejus reditum ex Italia, Judaeis, qui (per vim) baptizati fuerant, judaizandi ritum concessisse.

(c) quod istius animae conversio sit convertentis salvatio: d'Ach.

(d) idem Egilbertus: non legitur apud editores.

(e) ablata aliquibus restituebat: d'Ach.

(f) reposita: ibid.

(g) profutura possum optare: edd. (excepta d'Ach.)

(h) Cod. Eb. Cl. addit hic aliqua, quae desiderantur in aliis codd. et in edd., nempe:

Dominicae incarnationis millesimo centesimo primo, die Nonarum Septembrium, et sepultus est in ecclesia majori, domo videlicet sancti Petri Apostoli. Sedit in episcopatu annos viginti duos (a), menses octo, dies tres, et vacavit episcopatus fere menses quatuor (b).

CAPUT LXVII.

In diebus illis fuerunt ex copioso Trevericae civitatis clero quamplures hac sacerdotii successione dignissimi, inter quos erat quidam Bruno nomine, Francus natione, insignis nobilitate, utpote quem pater Arnoldus comes (c) ex nobilissima Adelheida matre genuerat, forma praestantissimus, litteris sacris (d) eruditus, consilio cautus, plus quam dici potest munificus. Quibus rebus ita erga se principes devinxerat, ut non solum praeposituris majorum ecclesiarum in Treviri et Spira, verum etiam beati Florini (e) in Confluentia, et archidiaconatus (f) cum dignitate (g) sublimassent. De hoc suggestum est imperatori, ut eum Trevericae praeficeret ecclesiae. Eo siquidem anno Heinricus rex quartus, imperator tertius, habita curia natale (h) Domini celebravit in Mogontia (i), ubi cum adeuntes cives Treverici pe-

---

Erat autem isdem pontifex Egilbertus omnibus admodum familiaris, nulli onerosus, et diligebatur ab omnibus miro affectu.

(a) annis viginti duobus: d'Ach. — Capite 60. auctor scribit: Egilbertum VIII. Id. Jan. an. 1078 ab Henrico rege ad archiepiscopi Trev. dignitatem evectum esse; sed annus 1079 intelligendus videtur, cum certe anni duo supra viginti, menses octo, dies tres, quos hoc loco Egilberti regimini attributos legimus, ab anni 1079 octavo Id. Jan. ad Non. Sept. explentur. Antiquus Trevirorum mos scribendi annum a vigesima quinta Martii inchoabat. V. Dissertationem, anno 1815 Treviris impressam, s. t.: Chronologisch-Diplomatische Bemerkungen über die Zeitrechnung der Trierer im Mittelalter. Videatur etiam Trier'sche Chronik, mensis Augusti, 1817. p. 126. sqq.

(b) In summa aede sepultus est, et, ut scribit Browerus, ibi depictus, sed sine mitra.

(c) Comes a Bretten et Lauffen. — Adeleida: d'Ach. et Mart. — Aleyde: ms. Trev., N°. 1434 sign.

(d) litteris satis eruditus: d'Ach., Leibn. et Mart.

(e) Florentii: d'Ach., sed male.

(f) Sub-Archidiaconatus: ibid. male.

(g) honore: ibid.

(h) natalem: ibid., ap. Leibn. et Mart. — Anno scilicet 1102.

(i) Maguntia: d'Ach. et Mart.

tierunt sibi episcopum dari. Quibus mox petentibus principibus et civibus consentientibus, Brunonem eis consecrari jussit. Denique ibidem ordinatus est Idus Januarii, Adelberone (a), Metensis ecclesiae episcopo, oleum sacrae benedictionis imponente, Johanne Spirensi, Richero Virdunensi cooperantibus, assistentibus quoque (b) archiepiscopis Rutardo (c) Mogonciensi, et Frederico Coloniensi, et aliis quamplurimis episcopis. Itaque ordinatus venit Treverim die purificationis sanctae Dei Genitricis, et cum magno gaudio populi susceptus est. Anno autem (d) ordinationis suae tertio, mense Martio, Romam profectus, Apostolorum gratia et percipiendae benedictionis magistri sui (e) causa, invenit domnum Paschalem (f), universali synodo praesidentem (g), papatus sui jam annum quintum (h) agentem, a quo honorifice susceptus est, utpote Belgicae Galliae primae metropolis praesul magnificus, ad cujus praesulatum ex permissione beati Petri Apostoli suorumque successorum apostolicorum (i), quos enume-

---

(a) Edalberone: d'Ach.

(b) et assistentibus (omisso quoque): ibid. — assistentibusque: cod. Vind. N°. 686.

(c) Leibn., Calm. et Honth. legunt: Burchardo, sed erronee.

(d) Al.: anno igitur.

(e) Cod. Eb. Cl.: benedictionis apostolicae causa. — Ap. d'Ach. deest: sui.

(f) Papam: additur ibid.

(g) Hocce loco sermo est de synodo Romana anni 1104; non de Guastallensi concilio in Longobardia, hebdomada quarta Octobris an. 1106 celebrato. Qualiter Bruno ab Henrico V. ad hoc concilium legatus, et eo iter faciens, in valle Tridentina cum aliis legatis captus, tandem vero liberatus fuerit, refert Annalista Saxo ad an. 1106, sed silet auctor Gestorum. — Confer etiam Acta translationis S. Modoaldi, archiep. Trev., ad monasterium Helmwardeshusense, (vulgo Helmershausen, Ord. S. Bened., ad Dimelam fluvium prope Visurgim) sub Brunone factae an. 1107. cap. II. Num. 18. (Ap. Antwerp. Tom. III. Maji p. 63.) — Omisit quoque in sua narratione scriptor vitae Brunonis solemnem hanc translationem. Conf. notam marg. (f) ad cap. 37. p. 70.

(h) Codd. plurimi et editiones legunt: octavum; cod. Vind. N°. 1069: nonum; sed mss. et edd. errant, cum quintum scribere debuissent. Bruno, episc. Trev., Romam adiit anno 1104; Paschalis II. papa electus est 1099. — Conf. Ant. Pagi (Crit. in Baron. ad an. 1104. IV. p. 355.) — „Non officit," recte observat Calles (Annal. eccles. T. VI. P. I. p. 23.) „nullum apud alios veteres scriptores Romani hoc anno concilii men„tionem fieri; satis enim constat, synodos hoc tempore ibi quotannis in Quadragesima „celebrari solitas."

(i) Apostolorum: d'Ach., sed male.

rare longum est, inviolabilium testamentorum roboratione, totius Galliae atque Germaniae pertinet primatus. Ita enim sanctus Sylvester beato Agricio, quarto (a) episcoporum Treberensium, quorum nomina cognita habemus, scribit inter cetera dicens:

Sume prioratum post Alpes, Trebir, ubique,
Quem tibi lege nova Roma dat et veteri.

Honorifice, inquam, susceptus; sed quoniam episcopalia, annulum videlicet et baculum, per manum laicam (b) suscepisset, atque quia ecclesias dedicasset, et clericos, necdum pallium consecutus, promovisset, multum aspere correptus est, et decernente episcoporum ibi congregatorum concilio, pontificatus officium deposuit; quod tamen eisdem (c) intervenientibus, quia discretio ejus et prudentia officio et tempori conveniens (d) erat, post triduum non sine admissorum poenitentia recuperavit. Injuncta est autem poenitentia (e), ut quotiens in spatio trium proximorum (f) annorum missarum solempnia celebraret, dalmatica non uteretur, quod ipse humiliter implevit. Deinde accepta tam apostolici, quam totius synodi benedictione, pallii honore donatus, atque de regula fidei firmiter observanda instructus, atque (g) de instructione commissi sibi gregis diligenter ammonitus, in sua cum gaudio remeavit. Tum vero juxta magistri praeceptionem (h), magis quam ante, operibus justitiae coepit insistere, et verbum sacrae exhortationis, quasi mensuram evangelici tritici dominicae familiae, fideliter (i) erogare, et quod praedicavit ore, studuit operum executione confirmare (k), attentius illud beati Gregorii mente pertractans: Cujus vita despicitur, restat ut et praedica-

(a) Vide notas in fine.
(b) Heinrici scilicet imperatoris: addit cod. Eb. Cl.
(c) ipsis: d'Ach. et Mart.
(d) congruens: d'Ach.
(e) ei: additur ibid.
(f) proximorum: deest in cod. Vind. N°. 1069. et ap. Mart.
(g) sive de &c.: d'Ach.
(h) Quidam codd. et editores legunt: institutionem.
(i) et prudenter: addit d'Ach. — fideliter: deest in cod. Vind. praef.
(k) Leibn., Calm. et Honth. legunt: conficere.

tio ejus (a) contemnatur. Fuit enim constans in oratione, devotus in eleemosynarum largitione, pius in viduarum et pupillorum defensione, excidia domorum Dei, nulla sumptus (b) magnitudine motus, reparabat, et si quispiam Deo famulantibus aliquid intulisset injuriae, impune praeterire (c) non sinebat. Verum, ut breviter concludam, talem se omnimodis exhibebat, ut in administrandis quoque regni negotiis, ex omnibus principibus, consilio (d) et sapientia et auctoritate nullus eo sublimior haberetur: adeo, ut imperator patrem suum eum vocaverit, et majorem ceteris ei honorem impenderit. Sed et ab omnibus episcopis, quacunque se conventui eorum ingessisset, ut par (e) quidem diligebatur, sed ut major venerabatur. Igitur quoniam in rebus sibi commissis strenuissimus extitit (f), defuncto imperatore (g), communi consilio principum (h) vice-dominus regiae curiae effectus est, et regnum regnique haeres, Heinricus videlicet, hujus nominis quintus rex, adhuc adolescens circa annos viginti ei committitur, ut et regnum sua prudentia (i) disponeret, et haeredem regni morum suorum honestate et disciplina, qua ipse prae omnibus pollebat, informaret; quousque in virum perfectum aetate et sapientia (k)

(a) ejus: deest ap. d'Ach. — et (praedicatio): non legitur in cod. Vind.

(b) sumptuum: d'Ach.

(c) Cod. Eb. Cl.: praeteriri.

(d) consiliis: d'Ach.

(e) Edd. Leibn. et Mart. legunt: ut pater, sed false.

(f) erat: d'Ach.

(g) Leodii, septimo Id. Aug. 1106.

(h) „Eam dignitatem qui obtinebat", ait Browerus, „is dici consul aut vicedominus „consuevit: auctoritas ei, ut in dictatura, longe maxima, cum omne jus in eum rex „principesque conferrent. Non de sua tamen unius sententia, sed communi principum „consilio rempublicam administrabat." Quod ut confirmet, citat Adamum Brem. Lib. III. c. 36.

(i) providentia: d'Ach.

(k) educatus: additur ibid. — succresceret, educavit: cod. Vind. — Cod. Trev. ms. N°. 1462 rem narrat cum hac amplificatione: Brunoni et regnum commisit (Henricus) regendum, donec in virum crevisset perfectum. Vnde idem Bruno ab omnibus principibus ad papam cum aliis missus, ut tota alemannia a participatione Henrico IIII. facta absolveretur. Qui omnes in Tridento a quodam comite Adelberto sunt incarcerati. Bruno tamen et Wigbertus comes eo pacto dimittuntur, ut imperatori confederati et reversi, quid de reliquis sit facturus, reportarent. Sed tertia die

succrevisset. Quem susceptum tam diu educavit, usque (a) dum Adelberti tunc cancellarii, postea vero Mogontiensis episcopi, detractionibus exasperatus, regni et haeredis providentiam proceribus reconsignavit.

Quantae autem pietatis extiterit, exinde quis (b) colligere poterit, qui noverit, quod quantumlibet ei quispiam molestiae (c) irrogasset, si revertens veniam postulavit, facillime ad misericordiam motus indulsit. Unde factum est, ut cum idem Adelbertus, cujus supra (d) memini, Mogontiensium jam novus electus, ob illatas regi (e) molestias a rege captus et in carcerem retrusus (f), non inde prius exire potuisset, quam iste, Bruno inquam (g), fidem faciendo, nunquam illum (h) regi nociturum, pro ipso se obsidem regiae custodiae dedit. Quid multis moror? Denique cum tanta solertia ac sapientia ab ipso res acta est, ut, cum in diebus illis de venalitate sanctae Dei (i) ecclesiae, scilicet de contradictione venditionis episcopatuum, abbatiarum et aliarum quarumcunque ecclesiasticarum dignitatum, inter regnum et sacerdotium, sicut superiori sermone decursum est, ageretur invidiosa (k) dissensio; ita catholicorum amplexus sit (l) consortium, ut imperatori debitum non denegaret obsequium; neque ita se caesarianorum communione contaminaverit, ut catholicorum offensas incurreret (m). Propter quod contigit, ut novissime sua prudenti mediatione (n) imperator Apostolico obtemperaret, et deinceps desinerent

---

dux Noricorum venit, clausuras infregit et omnes absolvit. — Conf. Abb. Ursp. ad an. 1106.

(a) Quem susceptum tam diu usque ad Adelberti &c.: cod. Vind.

(b) quis: deest ap. d'Ach.

(c) molestiae: deest in cod. Vind.

(d) ante: d'Ach.

(e) regis: ibid., sed male.

(f) esset: additur ibid. — Ob ejus adversus schismaticos summum zelum.

(g) inquam: deest ap. d'Ach.

(h) illi: ibid., sed male.

(i) Dei: deest ibid. et ap. Mart.

(k) invidiosa dissensio: deest ibid.

(l) Al.: est.

(m) incurrerit: ibid.

(n) consilio imperator persuasus &c.: interposita haec sunt codici Vind. per manum recentiorem. — novissime: deest ap. Mart. — Ibid.: meditatione.

esse discordes. Quod ut facere non omitteret, quoniam omnibus praeeminebat (a) auctoritate, multorum episcoporum exhortatoriae (b) ad ipsum directae sunt epistolae.

CAPUT LXVIII.

Nunc autem superest, ut gestorum ejus quoddam memorabile (c), cui me contigit interesse (d), debeam declarare. Ivodii, quod Trevericae diocesis appendicium est, fuerunt eo tempore (e) haeretici (f), qui substantiam panis et vini, quae in altari per sacerdotes benedicitur, in corpus et sanguinem Christi veraciter (g) transmutari negabant, nec baptismi sacramentum parvulis ad salvationem proficere dicebant, et alia perplura varii profitebantur erroris (h), quae memoriae tradere nefas duxi. De his quatuor oblati sunt ei, quorum duo presbyteri, reliqui vero duo erant laici: presbyterorum unus Fredericus, alter duobus vocabatur nominibus, Dominicus Guilhelmus (i); laicorum vero alter Durandus, alter dicebatur Hamelricus (k). Quos dum discuteret et regula christiani dogmatis imbueret (l), Hamelricus fuga lapsus est; Durandus vero hactenus quidem se sceleris hujus assentatorem esse ultro confessus est; sed deinceps in ea assentatione nolle persistere, adhibitis sibi sanctorum reliquiis, juramento ver-

---

(a) supereminebat: d'Ach. — prominebat: Leibn.

(b) exhortatione: d'Ach.

(c) memoriale: Leibn.

(d) Argumentum scriptoris aequalis — forte Erhardi, scholastici ad S. Mathiam; constat enim, eum sui temporis Gesta Trevirorum composuisse, et Lambertum de Legia in hoc munere immediate praecessisse.

(e) Circa annum 1115.

(f) Qui, ut opinamur, Berengarii Turonensis, vel potius Tanchelini, his temporibus coaevi, sectatores erant.

(g) veraciter: deest in cod. Trev. S. Agn.

(h) et alia perplura profitebantur erronea: d'Ach.

(i) Cod. Eb. Cl.: Dominicus videlicet et Gwillernus. — d'Ach. legit: Willelmus. — Al.: Willehelmus.

(k) Halmericus: d'Ach.

(l) et regula christiani dogmatis imbueret: non legitur ap. Leibn., Mart., Calm. et Houth. — In cod. Guelf. haec etiam omissa sunt.

bis fidem fecit. Vocatus autem alter presbyterorum Fredericus ad audientiam, non solum non negavit, verum etiam bene et recte se credere id profitendo asseruit. Cui Bruno episcopus ait: „Opporte-„bat ut tu, qui doctor fidelium esse debuisti, sanam doctrinam cunc-„tis evangelizares, omittens (a) infidelitatis (b) assertiones, in quibus „mentiri te cunctis credentibus (c) luce clarius constat, cum beatus „Augustinus dicat: Quoniam Christum vorari fas dentibus „non est, voluit ipse Christus hunc panem et hoc vinum „in mysterio carnem vere (d) suam et sanguinem, conse-„cratione Spiritus sancti potentialiter (e) creari, et cotti-„die pro mundi vita mystice immolari: ut sicut de Virgi-„ne per Spiritum sanctum vera caro sine coitu creabatur; „ita per eundem ex substantia panis et vini mystice idem „Christi corpus consecretur. In epistola quoque de fide catho-„lica idem beatus Augustinus dicit: Firmissime tene, et nulla-„tenus dubites, parvulis (f), qui nec propria voluntate „credere, nec poenitentiam pro peccato, quod originali-„ter (g) trahunt, agere possunt, sacramentum fidei et poe-„nitentiae, quod est sanctum baptisma, quamdiu rationis „eorum aetas capax esse non potest, sufficere ad salu-„tem (h).“ His atque aliis hujuscemodi (i) scripturae sacrae eulogiis in medium prolatis, cumque (k) ab astantibus fidelibus nunc singulariter, nunc communiter increpatus, atque ad christianam veritatem incitatus, nollet acquiescere, sed magis in infidelitate delegisset (l) ob-

(a) omitteres: d'Ach.
(b) erroneas: addit cod. Eb. Cl.
(c) fidelibus: d'Ach.
(d) In edd. Leibn. et aliis, excepta d'Ach.: carnem vero suam &c.
(e) Quidam legunt: potentiali; quidam: praeternaturaliter. Nostris codd. concordant codd. Vind. N°. 1069, Stuttg., et ed. d'Ach.
(f) parvulos: d'Ach.
(g) originali: Leibn.
(h) Edd. praef. addunt: in capitulo epistolae vicesimae septimae.
(i) hujuscemodi: deest ap. Leibn.; d'Ach. habet: hujusmodi.
(k) cum: ibid.
(l) destinasset: ibid.

stinata mente persistere, acclamabatur ab omnibus Dominicae vocis sententia: *Quoniam ecclesiam non audit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*; adjeceruntque, gradu moveatur atque damnetur. Quod ut fieret omnibus accurrentibus (a), ille nacta fugiendi oportunitate, se inter astantes (b) subduxit, sicque evasit. Proinde cum requisitus non esset (c) inventus, juxta canonum sanctiones, qui noluerit ad audientiam venire vocatus, eadem patiatur absens: ut breviter comprehendam, damnatus est. Inquisitus autem et alter, ille videlicet, qui ob hujus nequitiae infamiam obumbrandam duobus vocabatur nominibus, an et ipse praelibatae (d) haeresis assertor existeret: testificatus est, nunquam se (e) professum esse vel profiteri velle; delatoribus e contra (f) affirmantibus et dicentibus, se quadam vice insperato conventiculis eorundem haereticorum supervenisse, ipsumque illis communicantem vidisse (g). Quo contra ille timens, ne forte convictus (h) presbyterii privaretur honore, respondit, se ob hujus suspicionis abolendae gratiam (i) libenter velle summae examinationis subire sententiam. Quod dictum cum placuisset omnibus, jussus est missam celebrare, et sacrum canonem, qui *Secreta* vel *Actio* (k) dicitur, sicut cetera *excelsa* voce decantare, ut qui mysterio pretiosi corporis et sanguinis Christi praesumpsisset detrahere,

---

(a) Edd. Leibn. et Honth.: *omnibus currentibus*; edd. d'Ach. et Mart.: *omnibus acclamantibus*.

(b) se *interim* subduxit: Leibn.

(c) *requisitus non esset, reinventus juxta* &c.: lectio ed. d'Ach.

(d) *publicatae*: ibid. et ap. Mart.

(e) *eam*: additur ibid.

(f) delatoribus *ejus* affirm. &c.: Leibn.

(g) d'Ach. et Mart.: *communicantem invenisse*. — Leibn. et Honth.: *communicantem*, omisso verbo; sic etiam in codd. S. Agn. et Vind. N°. 1069.

(h) *ne forte convictus*: desideratur ap. d'Ach.

(i) *ob hujus suspicionis notam abolendam*: ibid. et ap. Mart. — Leibn. legit: *ob hujus suspicionis abolendae* (omittens *gratiam*). — *culpam abolendam*: cod. Vind. praef.

(k) i. e. *secreta oratio* (εὐχῇ προσκομιδῆς in Liturg. Chrysosth.). Antiquus ordo ecclesiae voluit, ut sacerdos missae canonem celebrans *submissa voce* post Praefationem *secretam orationem* (quae in textu *Secreta*, vel *Actio* dicitur) recitet. (Vide notam ad hoc cap. in fine.) — Unus codicum Leibn. habet: *secio vel acco*; alter vero: *secreta relaxia*; sed utraque lectio sane pessima est.

ipsius probaretur virtute. Missa itaque decursa, ubi ad communicandum perventum est, episcopus verba imprecationis hujusmodi intulit, dicens: Si vivificum hoc salutis nostrae sacramentum, quod manibus tenes, non vere corpus Christi et sanguinem esse ausus es impio ore garrire, cum ipsius mysterii contestatione interdico, ne quo modo (a) praesumas accipere; si vero non ita, sed catholice profiteris, accipe: et accepit. Verumtamen qualiter idem redemptionis munus ad damnationem sui in os ejus intraverit (b), referre supervacaneum non judicavi. Cum enim esset in examinationis anxietate constitutus, omnipotenti Deo de admissis poenitentiam, de futuris custodiam pollicens, corde contrito supplicavit et obtinuit ab instanti confusione liberari. Inde vero (c) ubi in sua rediit, pollicita fallere (d) non expavit, et abdicatam haeresin majori quam antea pertinacia roboravit, non recolens, quod cum sit Deus judex justus, fortis et patiens, tanto delinquentium culpas districtius judicat, quanto aequanimius portat (e). Contigit ergo, ut de vitio in vitium corrueret, sicut scriptum est: Qui sordidus est (f), sordescat adhuc, et spiritu fornicationis seductus, non multo post in adulterio deprehensus est, et digna iniquitatis suae morte peremptus.

Saepe dictus etiam Pontifex crebris infirmitatibus, nunc pedum dolore, quod podagram Graeci vocant, nunc ventris fluxu, quod ciliacam (g) vocant, vexabatur: propter quod exquisitos (h) semper secum solebat (i) habere medicos. Habebat autem inter eos Judaeum quendam, Josue nomine (k), physicae artis eruditissimum, compotis-

---

(a) interdico quoquo modo: d'Ach.
(b) intravit: Leibn.
(c) vero: deest ap. d'Ach.
(d) pollicita facere: Leibn., omnino male.
(e) Cod. Eb. Cl.: quanto nunc tolerat patientius. — Al.: aequaniiter.
(f) Qui in sordibus est: d'Ach.
(g) Ap Mart.: coiliacam; ap. d'Ach.: creliacam.
(h) exquisitissimos: d'Ach., Leibn. et Mart.
(i) solitus erat: d'Ach.
(k) Vide notas ad hoc cap., quibus adde folia menstrua, Trier'sche Chronik, mensis Octobris a. 1822. p. 122.

tam peroptimum (a), hebraicarum litterarum et totius Judaismi scientia perfectissimum, quem circumdabat militaris habitus. Hunc majori prae ceteris familiaritate et dilectione idem Bruno sibi annectebat, satagens, ut quomodo ille ipsum carnaliter medicaretur, ita ipse illi salutem animae operaretur. Cum hoc (b) saepissime de divinis disputabat voluminibus, semper illum ad conversionem deprecans et exhortans, in quo tandem, Domino largiente, optatum tenuit effectum. Nam consiliis ejus acquievit et ab ipso baptizatus est. Cui Bruno nomen suum imposuit, et in cunctis bonis adjuvit, cunctis fidelibus suis ipsum commendans et petens, quia genus illud hominum multum est in fide instabile semperque desiderat (c) vitae necessariis abundare, quatenus ubicunque ille (d) ipsis manentibus superveniret, providerent ei necessaria cum caritate.

CAPUT LXIX.

Nunc iterum ad ordinem, unde digressus sum, orationis verba convertam. Cum (e), ut dictum est, Bruno omni probitatis actione (f) duodecim annis serenus extitisset, auctoris omnium praevaricationum diaboli, qui (g) felicibus ejus actibus invidebat, instigatione retro conversus, religiosi itineris limitem excessit, et incentivis vitiorum, avaritiae videlicet et cenodoxiae, plus justo inhiavit (h). Ut enim militum (i) interminatae habendi cupidini muneribus et beneficiis potuisset satisfacere; non solum clericorum et laicorum bona diripiebat,

---

(a) et totius artis compotistam &c.. addit d'Ach. — Leibn. aliique legunt: computistam.
(b) Cod. Eb. Cl.: Cum hoc Judaeo episcopus saepissime &c.
(c) in vitae: d'Ach., Leibn. et Mart.
(d) baptizatus Judaeus: addit cod. Eb. Cl.
(e) Cum igitur: d'Ach.
(f) actu: ibid. — omnimoda probitatis actione: Leibn.
(g) videlicet: additur ap. d'Ach. et Mart.
(h) Josue, Judaeus conversus, computista ille peroptimus, Brunonem episcopum, magistrum suum, computum docuisse videtur.
(i) Ap. d'Ach. et Mart., Ut enim multum &c. — Ap. Leibn. et Honth.: Ut enim militum interminate habendi cupidorum &c. — Cod. Eb. Cl. addit: militum suorum.

verum etiam ecclesiarum villas et curtes, Deo et sanctis ejus vespere et mane et meridie famulantium victui deputatas, sed et ornamenta pretiosa (a) et vasa concupiscibilia, tam aurea quam argentea, in suos usus redigebat, et exinde expensas faciens, humanos in se favores concitabat: nichil enim (b) laude fuit ei in vita dulcius. Inde est, quod villae duae, una Dei Genitrici, loci qui Orgium (c) dicitur, nuncupata Machara (d), distans a Treveri versus aquilonem circiter tria milliaria; altera beato Paulino, dicta Lesura (e), et aliae quamplures, quas omnes enumerare propter multitudinem distuli (f), a prioribus quoque pontificibus ad tempus quidem sublatae, sed frequentius ab omnibus reconsignatae; nunc autem ab hoc subtractae, nec restitutae, episcopalibus sunt addictae redditibus. Quarum priorem (g) Dagobertus, rex Francorum, inter cetera quae ecclesiis Dei legitur contulisse beneficia, sanctae Dei Genitrici, ob amorem sanctissimae virginis Irminae, filiae suae, tunc ibi degentis, nunc vero quiescentis, cum aliis quampluribus contulit: alteram autem quam diximus Lesuram, beato Paulino Ludolfus, Trevirorum archiepiscopus, perdonavit et sacerdotii sui auctoritate obsignavit, imprecans, ut siquis Lesuram in succedentibus annis usui fratrum, in beati Paulini basilica ministrantium, subtrahere (h) conaretur, disperderet eum Deus (i) de terra viventium (k). Ubi vero in hunc ejusdem pontificatus (l) auctoritas

---

(a) pretiosa: deest ap. d'Ach. et Mart.

(b) humana laude: cod. Eb. Cl.

(c) Cod. Trev. S. Agn. habet: Horreum. — Cod. Eb. Cl.: loci sanctimonialium qui Horreum dicitur.

(d) Macharia: ap. Leibn. et Honth. — Machra: in cod. Eb. Clus.

(e) Id. cod.: Lysura.

(f) enumerare longum est: cod. Vind. praef.

(g) Machram videlicet: additur in cod. Eb. Cl.

(h) subtollere: Leibn.

(i) Dominus: d'Ach.

(k) Masenius (Epit. p. 370.) scribit: „In Brunone laudem habuit illa munificentia, qua „basilicam Paulinianam, nuper incendio haustam, ingenti rursum sumtu eduxit; sed „quod ejusdem quoque bonis Lesuram Machramque decerpserit, hoc reprehensionem „non effugit. Par in Horreense coenobium hinc ad opem praestandam liberalitas: inde „ad opes decerpendas libertas fuit. An quod ex alieno promptius sit esse „liberalem? an quod infra benefaciendi voluntatem facultas esset?

(l) episcopatus: d'Ach. et Mart.

collata est, iniquorum seductus consilio, ut diximus, eam cum aliis aliquibus in usus suos redigebat, dicens: non licere cuiquam episcopalium reddituum alicui sanctorum loco (a) assignare; et quoniam praenominatus Ludolfus hoc fecerit, ratum non esse: quod utrumne illi licuerit, decernite (b). Aestimo namque, quoniam (c) episcoporum est summam Deo famulantibus diligentiam adhibere, necessaria ministrando, ne, dum pro necessariis conquirendis negotiantur, a sancto proposito recedere (d) compellantur. Ad hoc enim deputati sunt ecclesiastici redditus, ut ex eis subveniatur Christi pauperibus; quod ille exsequens, melius usui ministrorum Dei assignaverit, quam iste in usum superbae gloriationis absumpserit (e). Huc accedit, quod cum Egilbertus, proximus hujus Brunonis antecessor, adhuc viveret, inito consilio cum optimatibus suis, ex quibus (f) iste Bruno unus erat, hujusmodi verbis eos compellabat: Obsecro vos per misericordiam Dei, dilectissimi filii mei et fratres, quidquid ego et antecessores mei episcopi sanctorum locis injuriae violentia magis quam ratione irrogavimus, vos me commonefacite et ego restituam, ut et meam et eorum animas ab inferis redimam. Quod cum placuisset omnibus, discretis cuique loco redditibus, banni constrictione firmavit (g); ut, qui deinceps inde subtraheret, Deum praesumptionis suae ultorem (h) sentiret; et responderunt omnes: amen. Ubi vero Egilbertus spiritum reddidit, et Bruno ei in episcopatu successit, universa quae ille reconsignavit (i), iste resumsit, dicens: nichil exinde ratum esse, quod ille infirmus, et jam suimet impotens in novissima suae vitae hora constitutus (k) fecerit; cum beatus Gregorius dicat: ultimam poeni-

(a) Mart. legit male: aliqui factorum loco.
(b) discernite: Leibn. et Mart.
(c) quod episc. &c.: d'Ach.
(d) Cod. Eb. Cl.: declinare. — Edd. d'Ach., Mart. et Leibn.: discedere.
(e) Cod. Eb. Cl. et ed. d'Ach.: assumpserit.
(f) quorum: d'Ach.
(g) Ap. Leibn. et Mart. additur: et ligavit.
(h) vindicem: d'Ach.
(i) Cod. Trev. S. Agn.: consignavit. — Ed. d'Ach.: resignavit.
(k) ille, et constitutus: non legitur ibid.

tentiam nulli negandam (a); beatus vero Augustinus dicat: se non diffinire, quod qui seram tantum egerit poenitentiam, liberetur per eam (b). Ego equidem puto, si audeam dicere, quod si temporanea sive serotina poenitentia male parta restituerit, etsi propterea non liberabitur, qui ea postmodum in indebitos usus usurpaverit, non minus judicium sustinebit.

CAPUT LXX.

Anno igitur ordinationis suae nono decimo (c) placuit ei Romam tendere, ut renovaret privilegia sedis suae, indignatus super protervia praefati Adelberti, Mogontiensis episcopi, de legatione Romanae sedis sibi concessa superbe se efferentis, maxime cum ex concessione priorum apostolicorum, episcopus Trevirorum nulli nisi soli apostolico, vel a latere ejus ad praesens misso, debeat obedire, sicut Hincmarus, Remorum archiepiscopus, in epistola sua Nicholao papae directa commemorat, dicens: „Remensis ecclesia nunquam, ex„cepto Romano pontifice, primatem habuit, nisi quamdiu ejecto (d) ab „ea sine ullo crimine suo pontifice, violentia tyranni Milonis tempore „Caroli principis pastore vacans, (e) Bonifacio, apostolicae sedis legato „aliquamdiu, sicut et Treverensis ecclesia, commissa (f) fuit.“ Sed et in tempore illo praefuit ecclesiae Metensi quidam Stephanus, Kalixti papae ex sorore nepos, cui jam dictus avunculus ejus concesserat in celebrationibus missarum pallio indutum procedere (g), integra Tre-

(a) negandum: ibid.

(b) Varii codd. habent: libenter ego per eam equidem puto &c. — Textus cod. Eb. Cl. variat hoc loco in hunc modum: nisi beatus Gregorius dicat, ultimam poenitentiam nulli negandam. Ego equidem puto &c. — Nostrae lectioni concordant edd. cunctae.

(c) Conf. notam nostram ad hoc cap. in fine voluminis.

Hocce loco animadvertere licet, Brunonem cum aliis principibus jam anno 1109 per Henricum V. Romam missum esse; quod factum scriptor noster silentio transiit. (Annalista Saxo ad an. MCIX., et Annales Hildeneshemenses ad eund. an.)

(d) abjecto: d'Ach.

(e) sub Bonefacio: ibid.

(f) commissa: deest ibid.

(g) incedere: ibid.

vericae metropolis potestate. Qui de pallii honore exhilaratus, velut confidens gratiae consanguinitatis supra memoratae, ultra quam oportuit se extulit, omnimodis nitens (a), si quomodo potuisset (b) ut Trebericam ecclesiam deprimeret, suam autem anteferret et metropolim faceret; sperans, quod quaecunque inchoasset, Kalixtus assentiret (c). Quod exinde perpendimus, quia, quotiescumque a metropolitano vocatus fuisset, ut, sicut consuetudo est suffraganeis episcopis, metropoli obedientiam et subjectionem subscriberet, venire contempsit; dicens: suos quoque antecessores quandoque (d) fuisse archiepiscopos quod nullarum scripturarum auctoritas firmat (e) et pronuntiat. Solummodo quippe Metensium episcoporum quinque numero pallio usi referuntur, quibus iste sextus asscribitur, servata tamen in omnibus metropolitano subjectione. Sed non omnes, qui palliis utuntur, archiepiscopi sunt, nisi quorum sedes metropolis subjectis sibi aliis civitatibus et episcopis principatur. Cum igitur propter supra memoratas causas saepe dictus Bruno Romam versus iter faceret, et Augustidunum (f) usque processisset, Kalixtus papa ibi ei occurrit et amice sucepit, et cum eo in eodem loco natalem Domini celebravit. Transactis autem diebus solempnibus, pariter iter Cluniacum dirigunt, ubi Bruno causas adventus sui aperuit, prolatisque coram sedis suae privilegiis, eadem sibi et ecclesiae suae apostolicae subscriptionis firmamento stabiliri postulavit, quod et obtinuit. Nam facta ei peccatorum suorum indulgentia, remisit (g) ad propria, dans ei chyrographum hunc modum continens.

CAPUT LXXI.

„Kalixtus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Bru-

---

(a) innitens: Leibn., Mart. et Honth.
(b) ut: deest ap. Honth.
(c) Cod. Eb. Cl.: sperans, quia quodcunque inchoasset, Calixtus papa, avunculus ejus, assentiret.
(d) quandocunque: Al. — Ap. Leibn. et Honth. sic legitur: dicens: suos quoque antecessores quinque fuisse archiepiscopos.
(e) firma pronuntiat: cod. Vind. praef.
(f) Al.: Augustodunum, Augustidinum, Augustudunum.
(g) cum: d'Ach.

„noni, Treberensi (a) archiepiscopo, salutem et apostolicam benedic-„tionem. Et consuetudo sedis apostolicae persuadet, et ipse rationis „ordo exposcit (b), ut in Romanae ecclesiae unitate atque obedientia „devotos existentes honorare amplius ac diligere debeamus. Proinde, „frater dulcissime, postulationi tuae clementer annuimus, et personam „tuam dilectionis brachiis amplectentes (c), eam a cujuslibet legati „potestate absolvimus, nisi forte a nostro latere dirigatur. Confidi-„mus enim in Domino, quia de sapientia et religione tua, et Deo et „ecclesiae honor magnus utilitasque proveniet (d). Data Cluniaci III. „Nonas Januarii (e).“

Denique non multo post tempore viribus corporis ejus senio simul et infirmitate ad occasum vergentibus, in omni fere circa regione coeperunt viri nequam consurgere, et res ecclesiae, quae ipsorum defensioni, et ut ita dicam, advocatiae commissae fuerunt, barbarico more depopulari: quodam comite Wilhelmo (f), filio Cunradi supra memorati comitis de castello, quod vulgo Lucelenburch vocatur, ducatum illis praebente. Quos cum saepius ad correctionem invitasset et non profecisset, tandem cum non haberet, qui illorum vesaniam armata manu posset reprimere, ipsi enim, si barbari provinciam hanc impeterent, illis debuissent resistere, utebatur in illos anathematis ultione, die quadam Dominica VIII. Idus Decembris, anno Dominicae incarnationis millesimo centesimo vicesimo secundo (g), pontificatus sui anno vicesimo primo.

CAPUT LXXII.

Cujus anathematis verborum (h) series hunc habet modum: „Prop-

---

(a) Leibn., Calm. et Honth.: Trevirensis ecclesiae archiepiscopo.
(b) Cod. Guelf. et edd. hic addunt: ut sapientes religiosasque personas, et in &c. In nostris codd. mss. haec non leguntur.
(c) amplectimur, et: d'Ach.
(d) proveniat: ibid.
(e) An. 1120.
(f) Al.: Willelmo, Willehelmo, Gillehelmo.
(g) M. C. XX.: Leibn., sed false.
(h) verborum: deest ap. d'Ach.

„ter continuas oppressiones, quas ecclesia nostra patitur, decernimus „et Spiritus sancti judicio (a) et auctoritate nobis concessa confirmamus, ut quicunque sive in rapinis rerum ecclesiasticarum, sive in „combustione alicujus ecclesiae, sive in captione alicujus clerici, vel „in quacunque indebita exactione, sive in generalis vel specialis pacis „violatione hactenus nos conturbaverit, ad satisfactionem canonice vocetur, passurus sententiam secundum merita; obediens, judicium cum „misericordia, rebellis, judicium sine misericordia. Ab hac autem „die ulterius quicunque supradictorum violator (b) inventus fuerit, hodierna excommunicatione praedamnamus, et praecipimus, ut ab omnibus ut sacrilegus devitetur, suspenso ejus nomine in ecclesia, ad indicium (c) excommunicationis jam super eo factae, et singulis Dominicis diebus repetendae, ita, ut quicunque ei (d) communicaverit, „si laicus (e), eodem anathemate feriatur; si clericus, ab ordine deponatur. Spolia quoque emens vel dono accipiens, ei, cui et spoliator, damnationi subjaceat. Congregationibus autem licentiam damus, ut quicumque eos in bonis stipendiorum suorum laeserit, eum „cottidie (f) excommunicatione persequantur (g). Porro archidiaconis concedo, ut, ubi aliis negotiis impeditus adesse non potero, poenitentes ecclesiae reconcilient, servato ordine in compositionibus et „ceteris ecclesiasticis consuetudinibus (h).“

CAPUT LXXIII.

Multa quidem et alia probitatis fecit insignia, quae et ipse ego vidi (i), et aliorum certa relatione cognovi, quae enumerare per sin-

---

(a) et Spiritus sancti judicio: haec desunt in cod. Vind. praef.

(b) violatorum: d'Ach.

(c) Edd. legunt: judicium. Vide notas ad hoc cap. in fine.

(d) qui cum eo: d'Ach.

(e) fuerit: Leibn., Mart., Calm. et Honth.

(f) Cod. Guelf. et ed. Leibn. legunt: cottidiana; alii quidam codd.: hodiana; edd. d'Ach. et Mart.: quotidiana.

(g) prosequantur: Al.

(h) Hoc Brunonis decretum adversus invasores bonorum ecclesiae suae separatim etiam nobis dederunt Martene et Durand ex ms. cod. Eptern. (Ampliss. collect. I. p. 677.)

(i) Scriptorem hujus vitae fuisse Brunoni coaetaneum, jam supra notavimus.

gula, gratia vitandae prolixitatis, omisi. Hoc tantum (a) scire sufficiat, quod appropinquantem vitae ejus terminum laudabilibus admodum operibus antevenit (b). Etenim per nocturnam quietem solitus erat sanctorum memorias silenter circuire, illicque in oratione diutius persistere (c), et Dei propitiationem cum eorum intercessione profusis lacrymis exorare (d). Sed et loca, ubi servi Dei et ancillae in clausulis degebant, uno tantum comite contentus frequentabat, et quaecunque habuissent necessaria, tam in victu quam in vestitu, ministrabat, atque eorum orationibus se devotius commendabat.

Nec praetereundum quoque, quod in Spirensi (e) diocesi, in praedio suo quod Odenheym dicitur, monasterium construxit (f), ubi Deo famulantes monasticae professionis coenobitas adunavit, tantumque de rebus praediorum suorum delegavit, quantum posset illic commorantibus ad cottidianum victum sufficere. Hisdem (g) quoque temporibus sancti Eucharii coenobium, religione rebusque jam pene conlapsum, per Eberhardum, abbatem Kambergensem (h), strenuae religionis vi-

---

(a) Hoc tamen: Leibn., Mart. et Honth. — Addamus ex aliis codd. mss. adhuc quaedam, quae scriptor Gestorum omisit: Anno MCVIII. Bruno fundat hospitale S. Nicolai Confluentiae. — Anno MCXXI. reparat Treviris summum templum. In pervetusto rituali, quondam ecclesiae metropolitanae, testimonium hujus rei legitur his verbis: „Anno Domini MCXXI. Indict. XV. X. Kal. Novemb. dedicata „est hujus domus nova pars, quae est ad Occidentem cum altari S. Nicolai Confes- „soris in ea sito, a domino Brunone, venerabili Treuirorum archiepiscopo, pontifica- „tus sui anno vigesimo, in honore sanctae et individuae Trinitatis sanctique Nicolai „episc. et conf., cujus reliquiae in eo continentur."

(b) antecessit: d'Ach.

(c) illisque — insistere: cod. Vind. praef.

(d) Hic finis est editionis d'Acherianae; in codice vero abbatiae S. Corneli Compendiensis, quem exscripsit d'Achery, folium unum in fine evulsum erat.

(e) Mogontina diocesi: cod. Vind. praef.

(f) De hoc monasterio legimus ap. Trith. in Chron. Hirs. ad annos 1102 et 1123. — Silentio praeteriit scriptor Gestorum fundationem abbatiae Springirsbacensis an. 1107 factam; et quidem sub regula canonicorum regularium S. Augustini, beneficio viduae, cui nomen Benigna. Ejus filius Richardus fit primus abbas loci. — Ecclesia hujus abbatiae serius, anno nempe 1136, indictione XIIII., epacta XV., regnante Lothario imperatore, VIII. Idus Augusti, ab archipraesule Trevirorum Alberone et apostolicae sedis legato dedicata est. Sic chartularium hujus monasterii.

(g) Quae hic sequuntur usque ad: Sed nec hoc &c., non leguntur in edd. Leibn. et Honth., neque in plurimis mss.

(h) Ap. Mart.: Hambergensem, sed male.

rum reparavit. Qui vetus monasterium, novum inchoans aedificare, dejecit; ejusque temporibus praefati Eberhardi, sanctus Domini Apostolus Mathias inventus est (a). Quantum autem ipsum locum Deus per multorum miraculorum signa provexerit, testis est omnis Trebirorum urbs, quae etiam per meritum beati Mathiae, meliorationis suae plurima indicia monstrat.

Sed nec hoc silendum, quod in Confluentia quoque (b) basilicam beati Florini, vetustate consumptam, meliori schemate et ampliori ambitu, ex lapidibus thophis (c) sectis et politis, sicut in hodiernum diem conspicuum est, construxit. Sed et in Treviri ecclesiam, in qua beati Paulini et aliorum confessorum pontificum Trevirensium, nec non et corpora plurima martyrum Thebaeorum, sub Rictio Varo passorum, requiescunt, quam, sicut patrum (d) nostrorum relatu didicimus, sanctus Felix, Trevirorum episcopus, qui in ipsa requiescit, magno et spatioso ambitu, primus fundavit, postmodum vero vetustate consumptam beatus Marus, et ipse ejusdem civitatis episcopus, quique ibidem quiescit, in pristinum statum separavit; iste quoque nostris temporibus ignis concrematione dirutam, Adalberti et Rudolfi, ejusdem ecclesiae praepositorum industria, datis eis sumtibus, non juxta primae quantitatis amplitudinem, sed secundum facultatis suae modum (e), reformavit.

Anno autem Dominicae incarnationis millesimo centesimo vicesimo IIII°., qui est annus episcopatus ejus vicesimus tertius (f), VII. Kal. Maji, die sexta feria, hora prima, animam reddidit. Cujus exequiis celebrandis affuerunt Trebericae dioceseos episcopi, Heinricus

---

(a) Inventionis hujus historiam fusius exposuit Browerus (Annal. Trev. II. ad annum 1127). Metrice jam eam descripserat saepe laudatus Lambertus de Legia, hujus coenobii scholasticus.

(b) quoque: deest ap. Leibn. — In cod. Trev. ms. N°. 1462. legimus: Et in Confluen̄ Monasterium Sti Florini antiquatum quadratis lapidibus, et bti Paulini Monasterium combustum non in eadem amplitudine reformavit.

(c) Al. legunt: stophis, trophis. — Tufus vel tophus, lapis tofosus (Tuffstein).

(d) Leibn., Calm. et Honth. habent: primum.

(e) fac. s. mendicitatem: cod. Vind. praef.

(f) Leibn., Calm. et Honth. legunt: XXIX. — De hoc errore in computu temporis plura vide in animadversionibus ad calcem voluminis, ad capita 70 et 73.

Virdunensis, Conradus Tullensis, et eum non longe ab antecessoris sui Egilberti sepulchro, magno cum honore et totius cleri ac populi moerore, deposuerunt. Sedit autem in episcopatu annos viginti tres, dies viginti quatuor, et vacavit episcopatus menses duos, dies octo (a).

CAPUT LXXIV.

Post decessum vero Brunonis episcopi, Godefridus, majoris ecclesiae decanus, in episcopatum successit. Hic de Leodiensi parochia extitit oriundus. Arnoldum vero consanguineum suum, et majoris ecclesiae, domus videlicet beati Petri praepositum, virum scilicet religiosum et morum honestate praeclarum, qui ecclesiam in honore sanctae Crucis, juxta albam portam sitam, constituit, Treberim secutus, ab Eberardo Trevirorum archiepiscopo clericus est designatus. Hic vero (b), sicut et antesessor ejus (c) praedictus, inquam, praepositus, morum dignitate et animi liberalitate insignis, prius a Treverensibus, clero scilicet et populo dilectus, et ab episcopis ejusdem civitatis, Egilberto et Brunone, multis ecclesiasticis honoribus ditatus, ad ultimum, decedente domino Brunone, sicut praediximus, in episcopatum est sublimatus. Peracto vero anno (d) episcopatus sui, insurgentibus contra eum quibusdam de clericis suis, et introitum ipsius calumniantibus, quorum calumnia, si justa aut injusta fuerit, nescio ego, Deus scit, tandem ad hoc causa est perducta, quod sentiens suam iufirmitatem ad hoc onus non sufficere, jam enim ad decrepitam venerat aetatem; videns, quod (e) pro eo in ecclesia fraterna scindebatur caritas, quibusdam sibi adhaerentibus, aliis resistentibus: ne causa esset hujus schismatis, circa finem tertii anni ab

---

(a) Anno dni. M.CXXIIII. obiit. Juxta Egilbertum in ecclesia bti. Petri sepultus: cod. Trev. ms. N°. 1462. — Testamentum hujus Brunonis, a nostro auctore in Gestorum textu omissum, legitur ap. Calmet (Hist. de Lorr. III. in probat. Col. CIX. ed. 2.) et in Honth. Prodromo (II. p. 703. sq.)

(b) Gottfridus: cod. Eb. Cl. — Al.: Gothfridus, Guothfridus.

(c) Ap. Leibn.: antecessores ejus.

(d) Cod. Eb. Cl.: vero primo anno.

(e) etiam: Leibn.

episcopatu est absolutus (a). Obtinuit autem sedem episcopatus (b) annis duobus, mensibus decem, diebus undecim. Supervixit autem postea annum I. menses V. dies XVI (c), obiitque VIIII.. Kal. (d) Decembris, die quinta feria, hora noctis tertia. Quem sepelivit successor ejus in basilica sancti Petri majoris ecclesiae, sub arcu, qui (e) est ad meridionalem plagam (f). — —

Gesta Godefridi, archiepiscopi Trevirensis, (ex codice Guelferbytano.)

Igitur post excessum Brunonis episcopi Guothfridus in episcocopatu successit. Hic de Leodiensi parochia progenitoribus admodum nobilibus, patre Rittfrido, matre Fridesinda nomine, ex vico, qui Falmanies dicitur, extitit oriundus. Arnoldum avunculum suum, majoris ecclesiae, domus videlicet beati Petri Apostoli praepositum, Treberim secutus, ab Everhardo, Treberorum episcopo, clericus est designatus. Verum ubi immatura libertate potitus est, continuo per coaequevos, quibus luxus et desidia cordi est, amare vitia, corruptae viae tramitem incedere perdocetur, ac velut equus infrenis, rectore contempto, recti itineris lineam dereliquit. Propterea enim ab Arnoldo supra memorato in ministerium Heinrici quarti regis delegatus est, vel quia de morum ejus irreligiositate regulariter non speraret, ullum ecclesiasticum honorem contingere; sed si facultas subpeteret, videlicet si ecclesiarcharum quisquam vita decederet, si nequiret canonice,

---

(a) In cod. Francof. bibl. publ. legimus: Cum hic autem decederet, Godefridus, majoris ecclesiae decanus, subrogatur episcopus; sed postmodum a suis incusatus de symonia, sejectus est, et Meginero cedit episcopatus. — Senio gravatus resignavit: sic cod. Trev. ms. N°. 1462. — Processus contra Godefridum, de symonia a clero Trevirensi graviter accusatum, multa continet memorabilia, quae in solo codice Guelferbytano legimus, et nullibi impressa sunt. Gratulamur nobis, hujus codicis habuisse notitiam. Perutile ergo erit, illa hoc loco supplere, quae per reliquorum codicum scriptores ex arbitrio omissa sunt. Plura vide in notis nostris ad hoc caput in fine voluminis.

(b) episcopatus: deest ap. Leibn.

(c) Ibid.: annis duobus &c.

(d) Ibid. et ap. Honth.: XVIII. Kal., sed male; obiit nempe 23. Nov. 1127. Mart. legit: VIII. Cal. Dec.

(e) quae: Leibn.

(f) Ante altare Cosme et Damiani sepultus: cod. Trev. ms. N°. 1462.

regia saltem intruderetur potestate. Contigit itaque temporis labente curriculo, decanum domus Treberensis diem extremum claudere, et non multo post archidiaconatus officium, alioque ibi obeunte, vacare; quod ut regi innotuit, directis mox ad Egilbertum episcopum litteris, mandavit, ut supra memoratum Guothfridum illis honoribus sublimaret, quod nisi faceret, regem offenderet. Jam vero adeptus, si debuisset quempiam claustralis stipendii, vel altaris dono investire, non faciebat sine muneris assecutione: more diabolico non passus se solum interire, quin et alios satagebat secum praecipitare, praesertim cum ex decretis pontificum Romanorum tam vendentes quam ementes honores ecclesiae sint damnati. Cum autem nec sic satis libere sibi videretur canonicos posse venumdare; prior enim decano praepositus debet investire: affectavit et ipse, si quas posset praeposituras acquirere. Igitur congregationi beati Symeonis super portam civitatis praeerat quidam Odelricus nomine, natus de finibus Aquileae, quem idem Guothfridus per Martinum quendam capellanum suum ita circumvenit, ut, si Aquileam remeare voluisset, praeposituræ suae eum haeredem substitueret: cum utique non dignitates ecclesiasticae jure haereditario, sed probatis vitae sanctitate sint conferendae, quorum vita subditis sit vivendi norma. Itaque corrasa hinc et inde thesauri magna agerie, cum Bruno obiisset, coepit totis desideriis anhelare, ut in locum ejus potuisset assurgere. Misit ergo per secretarios suos Heinrico regi mille trecentum et ultra, ut dicitur, marcas argenti, et ita eum sibi conciliavit, ut, cum Treberenses venirent et dari sibi episcopum expeterent, et quidam illius ineptiam praetenderent, rex non eo minus omitteret, quin eum episcopum constitueret. Erat enim senilis desipientiae, plenus furore iracundiae, discretionis permodicae, qui nec domui suae bene noverat praeesse. Propter hujusmodi eligere eum episcopum formidant. Si tamen vellent nollent, inthronizatus est die VI. Nonas Julii, statimque missa legatione mandavit episcopis ecclesiarum subjectarum Treverica metropolis, quatenus Treberim convenientes ipsum consecrarent antistitem. Quam videlicet consecrationem sui, licet ipse noluisset accelerari, tamen diversis causarum intercidentium praepediebatur obstaculis. Ecce enim Stephanus, Metensis episcopus, ut audivit, quod prae-

fato ordine intervenerit; illo venire dissimulavit, venisse tamen, si pallio, quo avunculus suus Kalixtus papa eum honoravit, in consecratione metropolitani permissum fuisset indui. Non enim nisi pallio indutus voluit interesse consecrationi. Quare autem eo non sit permissum indui, causa haec est: quoniam quasi in injuriam metropolis ecclesiae eo cogitabatur indui, nec in ejus usu ullum voluit in metropolitano habere respectum.

Est et alia causa, quare consecrationi praemissae noluerit interesse. Inter ipsum Stephanum et Heinricum, Virdunensem episcopum, facta est contentio, quis eorum metropolitanum consecraturus esset episcopum: Stephano praetendente sedis suae principatum, Heinrico autem ordinationis suae prioratum. Sed uter eorum justiorem proposuerit causam, edisserat maxime, cum Stephanus quodam fastu superbiae, Heinricus vero ratione voluerit consecrator existere; nisi si forte ecclesia Metensis in privilegiis habeat, quod suus episcopus sit metropolitanum consecraturus.

Interea dum haec agerentur, supervenit forte quidam cardinalis, Wilhelmus nomine, Praenestinus episcopus, dicens se ab apostolica auctoritate directum, ut quocunque in loco episcopos non consecratos, vel aliud quodlibet hujusmodi negotii imperfectum invenisset, adimpleret. Quem ut Stephanus Metensis Treberim venisse comperit, directis ad eum litteris, primum per caritatem rogavit, et postea ex apostolica auctoritate interdixit, ne quid sui ordinis esset, ipse facere praesumeret. Quo contra ille apostolicae auctoritatis litteras in hoc opus sibi datas protulit, hunc modum continentes:

„Kalistus episcopus, servus servorum Dei, carissimis nobis in „Apostolo fratribus archiepiscopis caeterisque ecclesiasticis ordinibus „per Galliam, Germaniam et Franciam constitutis, salutem et apos„tolicam benedictionem. Mittimus ad vos fratrem Wilhelmum, Pre„nestinum episcopum, dantes ei cum vestra caritate licentiam, ut si „qui sint in vobis episcopi non consecrati, consecret, et si quae sint „alia hujusmodi ecclesiasticorum negotiorum minus perfecta, in omni„bus inoffensa fraternitate consummet. Pax vobis.“

Has itaque cum in auribus omnium, qui aderant, exposuisset, adjecit: si frater noster Metensis consecrationi metropolitanae voluerit

interesse, ego vita comite ero ei adjutorio; si vero venire non maturaverit, prout dominus permiserit, ego vice ejus adimplebo. Denique illo propter supra memoratas causas Treverim venire nolente, praefatus cardinalis cooperantibus episcopis, Heinrico Virdunensi et Cuonrado Tullensi, praemissum Guothfridum consecravit episcopum, die Dominica VII. Idus Septembris.

Ita demum ordinationis suae compos effectus, quadam vice, cum debuisset ut moris est, in ambone fidelibus verba salutis adnunciare, et quomodo de sancta Trinitate sentiendum esset, elucidare; ita irrationabiliter et inordinate disserebat, ut hi, quos docere debuerat, potius eum haereticum, quam catholicum aestimare potuissent, si non magis, ut erat, ejus eloquentiae inscientiae, quam pravitati haereticae addixissent. Verum namque est, quod beatus Hieronymus ait: Stulti sunt, qui cum loqui nesciant, tacere non possunt. Ut enim unum de multis locutionis suae erratibus exponamus, cum, ut diximus, in ambone constitutus fidei verba explanare voluisset: credite, inquit, quia tres domini unus dominus est; personas dominos interpretans, cum ab orthodoxis tres Deos aut Dominos dicere prohibeamur, ut beatus Athanasius Alexandrinus in editione fidei catholicae proposuit dicens: Si singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri, christiana veritate compellimur; ita tres Deos aut Dominos dicere, catholica religione prohibemur. Proinde ne corrumperentur, testante enim Apostolo: corrumpunt mores bonos colloquia mala; unus in viam suam disputans, intus se istum quasi novae fidei verba inaudita, sed haeretica proferre, nunquam doctorum suorum quempiam hujusmodi pertulisse. Et quidem de simplicioribus aliqui exinde scandalizati et seducti fuissent; nisi industriosi cleri praedicatione viae restituti, atque secundum christianae veritatis professionem instructi audissent, quod unus et idem Deus indivisus et inscissus, trinus sit in personarum distinctione, unus in Deitate substantiae.

Porro paucis adhuc innotuerat, quod episcopatum pretio comparaverat: cum ecce insurrexerint in eum ex equestri ordine viri iniqui, exigentes, dari sibi promissa beneficia, mercedem videlicet favoris, quoniam ipsi eum magis favore suo, quam ecclesiastica electione

constituissent. Quibus cum ille plurima episcopalium redituum concederet, nec tamen satis eis ad placitum impertiret; calumniato eo abcedebant, et aliqui ex eis in ejus injuriam castra instituebant, alii praedationes, alii concremationes exercebant: adeo, ut nostris quoque temporibus, sicut antiquitus factas legimus, devastationes hujus Trebericae civitatis deploremus. Denique si qui de clero, aut etiam de reliquo populo, ad opus suum de civitate exeuntes, hac vice illuc habuissent divertere, capiebantur, calumniabantur, et omnia sua eis tollebantur. Totius autem hujus interitus auctor et praedux erat Wilhelmus, cujus proximo sermone mentio est, et comes filius ejus Cuonradus, qui sicut paternae possessionis, ita quoque haeres et imitator totius extitit iniquitatis, et si quo modo non per omnia aequalis patri in malitia erat, magis illum scelerum immensitate quam ulla praeivit diminutione. Horum cooperatores extiterunt ipsorum tam ministri quam liberi, si tamen quislibet dicitur qui servus est iniquitatis et esse convincitur — ecclesias diruentes et lapidibus inde sumptis, cum aliis prae manibus non erant, castra sua, quod dictu quoque nefas est, construentes. Ex quibus quidam Brunicho, in cacumine cujusdam montis, miliario ab urbe plus minus secundo, turrim construxit, quae bis igne de coelo veniente conflagravit; nec tamen ille ab injustitia vertit. Mirum est quod referam, et fortasse paucorum auditui credibile; veruntamen noverint, quod et me super hoc obstupescente et pro rei novitate fidem adhibere nolente, relator eorum quae dicturus sum, testificans in Domino vera esse (a), et vidisse se simul et audisse quae diceret, ajebat, quod supra nominatus Brunicho idem hoc castrum suum, quod utique circumjacentis provinciae plaga et destructio erat, ut ita dicam, fidei et custodiae sathanae commendasset, qui videlicet sathan mira et incredibili familiaritate circa ipsum castrum discurrebat; ac ne longius idem sathanas quasi a castro declinaret, portionem stipendii trium hominum ad opus ejus in secreta parte domus, cottidie hora prandii, deferre jussit; quod quam cito depositum, absumptum est

---

(a) Vide observationem nostram in praefatione de fabulosis narratiunculis, Gestis Trevir. hinc inde insertis. — Ex his dictis liquet, hujus historiae auctorem Godefrido fere coaevum fuisse.

in momento coram eo qui detulit; nec tamen illum devorantem vidit, sed sonum, quasi voces canum certantium, audivit.

His igitur et hujuscemodi tribulationibus multis et malis afflicti Treberici, ad eum, cujus causa haec omnia illis inferebatur, Guothfridum, inquam, dictum episcopum congregabantur, et ita ipsum compellarunt: „Quamdiu ista passuri simus?“ qui ait: „Vos scitis per„fidiam et malitiam totius cognationis illius pessimae, quae de cas„tello Lucelenburch dicto oriunda est; quantis adversitatibus an„tecessores meos, mei utique respectu, apostolicos viros affecerunt, „ut prophetae verbis utar, non enim melior sum quam patres mei: „nempe qui nos impugnant, ipsi nos protecturi erant.“ At illi responderunt: „Num si materiali gladio defendere nos non potes, quare „saltem spirituali nos non defendis?“ Post ille: „Nunquid,“ ait, „audistis, quomodo illi auctoritatem episcopalem parvipendunt, dicen„tes, non posse me quemquam vinculo spirituali vel ligare vel ab„solvere, quoniam praedecessorum meorum in hac sede archiepisco„porum pallii videlicet non fungor honore, pro quo acquirendo vos „videtis, quod corporis infirmitate praepeditus, dominum papam adire „non possum; sed sicut saepius, ita iterum et nunc obsecro vos: se„gregate mihi de vobis prudentes utriusque ordinis viros, qui tanta „legatione digni habeantur, et ego eis vitae subsidia ministrabo.“ Responsumque est ei: „Ex parte quae loqueris vera sunt, sed aliud „nobis insinuatur ab his qui nos persequuntur, comminantibus, non „ante nos pacem habituros, quam munera, quae ipsis pro electione „tui spopondisti, persolveris (a). Verumtamen, ut omnibus pateat, „quod in nobis non obsistat, nos dominum papam in nomine tuo adi„bimus, et tribulationem loci nostri exponemus dicemusque, si tibi „visum fuerit, quod quia pallium metropolis nostra non habeat, hanc „esse causam, quare non possis impugnatores hujus ecclesiae nostrae „comprimere, addemusque, ut pro Dei nomine meminerit tribulationis „nostrae, debitum honorem ecclesiae nostrae concedendo.“

Itaque in haec verba accinguntur viri honoratiores utriusque ordinis. Cumque Romam pervenissent, illic fama rei seriem deduxerat

(a) Tristissimus sane rei publicae Trevirensis tum temporis status!

omnem. Cum ergo causam sui adventus in auribus domini Honorii, tunc Romani pontificis, exposuissent, ipseque narrato eo quod audierat super ingressu hominis illius, ita enim ipsum nominavit Guothfridum, dico, perquisivit, si rerum harum innoxium voluissent illum juramento comprobare, et negantibus, ait: „Homo ille sanctam Dei „ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, symoniacae pravitatis „decoloravit infamia; unde nisi expurgatus fuerit, cum pace ecclesiae „episcopare non poterit. Ecce ego ultra Alpes missurus sum fratrem „nostrum Petrum, cardinalem diaconum tituli sanctae Mariae imma„culatae, sapientem utique et discretum virum, pro disponendis in „partibus illis ecclesiasticis utilitatibus; qui cum ad vos venerit, obe„dite illi sicut et mihi, statuaturque dies et locus, ubi in provincia „vestra competens visum fuerit, ibique sedente hoc (a), loco judicis, et „advocatis circumjacentis provinciae episcopis et aliis quibusque re„ligiosis personis, homo ille conveniatur, et si innocens inventus fu„erit, dimittatur, sin autem, amoveatur. Nos vero ecclesiae vestrae, „antiquae illi et nobili Trebericae metropoli, propitio Deo, debitum „non abnegamus honorem.“

Veruntamen, cum eadem ecclesia ad priorem fuerit restituta decorem, et responso accepto, hi, qui missi fuerant, absoluti in sua sunt restituti.

Denique cum jam fere ad omnium per circuitum notitiam devenisset, omnesque ejus detestarentur ingressum, eos quos supra memoravi, per se Romam directos saepius lacessivit, quod tam infamis de eo rumor processerit, ipsorum culpae esse dicens. Sed ex eis quendam Theodericum nomine, diaconum domus, virum acrem ingenio et ambitiosum valde, per supra memoratum presbyterum suum Martinum, et Bolsonem quendam, quem hic archidiaconatus officio sublimaverat, quia cum jam dicto Martino ipsi episcopatum emptum ierat, aliis insciis, data et promissa pecunia corrupit, ut contra alios ipse defensor ejus fieret. Nam prae ceteris majoris erat eloquentiae et auctoritatis, sed et animi duplicis, qui utrimque manu firmaverat; hic, quod ecclesiae causam ageret; illic, quod adjutor ejus fidelis existeret.

(a) Scilicet Petro Cardinali.

Qui demum cum crebro adversus eum factos conatus evacuisset, persaepe etiam incitaret: justo Domini judicio, illo genere morbi, quem Graeci hemeriam nominant, infirmatus, insperato cum surrexisset, ut ventrem purgaret, simul cum egestione exspiravit.

Proinde cum definitus concilii super hac re futuri terminus appropinquaret, indicitur Tulli concilium III°. Idus Martii, mediante quadragesima (a), praesidente praelibato Petro cardinali, cum episcopo Stephano Metensi, Heinrico Tullensi et Gerhardo Trecasino, et abbatibus quampluribus et optimatibus regionis. Primo omnium Petrus, prolatis coram litteris domini papae, continentibus relatam ad apostolicam sedem de hujus inthronizatione infamiam legit; deinde consedentes ex ordine commonuit ad obedientiam Romanae ecclesiae, quam praevaricari nefarium esset, ut quod super hoc scirent, edicere non omitterent. Quanta tunc audiret, explicare non sufficio; maxime cum plerique vidisse se, alii audisse se conclamarent; hoc itaque certum se habere, quod si quis diffideret, voluissent jurejurando fidem facere.

At ille (b), ut vidit, prope modum confusus, aliud quoddam diffugium non habens, dicebat: quia comparium suorum, episcoporum videlicet, nullus illic compareret, qui hujus eum facti accusaret; justum videri, quod de sola infamia solius sui manu ei se expurgare licuisset. Quod negantibus et dicentibus: accusatum utcumque a catholicis et veracibus personis, quin et cum liceat cuicunque personae, ut ajunt, scorto in veritate compertam symoniam duntaxat zelo Dei accusare; debere eum religiosorum se fratrum testimonio expurgare; lectisque super hoc in commune plerisque sanctorum decretis, inter legendum venit quidam bajulus litterarum subscriptarum Mogonciensis episcopi, in quibus se legatum apostolicae sedis nominat; quod quam indigne omnes acceperint, noverint, qui praesentes audierunt. Quae dum lectae coram omnibus fuissent; ita Petrus Guothfridum alloquitur:

(a) De hac synodo dioecesana Tullensi silent conciliorum editores. In Conciliis German. (ed. ab Hartzhemio T. III. p. 293.) legimus quidem acta concilii Tullensis, sed de anno 1123, XVII. Cal. Jul., praesidente Riquino, episcopo Leucorum. Conf. Calmet T. IV probationum histor. Lothar. p. 269. sq.

(b) Scilicet Godefridus.

„Quaerebaris prius, frater, irrogari tibi violentiam, eo quod non es„set qui coëpiscoporum te accusaret; ecce audis, qualia iste adversum „te testificatur!“

Cum ergo non haberet idoneum quid obtendere, indicitur aliud concilium Wormatiae, illique injungitur, ut eo conveniens cum episcopis sex, ipseque septimus se expurget. Humanius autem decreverunt, petentibus pro eo omnibus misericordiam Dei et clementiam domini Honorii, summi pontificis, ut episcopis tribus, abbatibus duobus, presbyteris similiter duobus boni testimonii se debeat expurgare die ab hinc LXIV°., quod erat Idus Maji, dominica proxima ante pentecosten, quo videlicet induciarum spatio decurso, ubi Wormatiam ventum est (a), non habuit de injunctis personis, qui adjuvarent eum. Erant autem ibi supradictorum episcoporum duo, Virdunensis et Tullensis, nec non et alii tres, Bucho (Buggo) ipsius civitatis, et Sigefridus Spirensis, vir valde religiosus. Quibus consedentibus, Heinricus Virdunensis, qui et Tullo, de judicio interrogatus, hoc edixit: quod, quia antedictas personas ad expurgandum se non produceret, justum esse, ut depositis episcopalibus, ab officio cessaret. Unde ille indignatus et iracundiae spiritu repletus, coepit exhortari eos, qui secum erant, ut foras egressi arma corriperent, et regressi intus partem eorum, quae sibi adversa fuerat, trucidare pararent. Quod qualiter gratia Dei interveniente omiserint facere, referre non est ab re. Nempe ille peccatum peccato adjiciens, sumpto sacro Evangelio, juravit in eo de imposito sibi crimine innocuum se esse. Quo facto, sui summa cum festinatione accurrentes, et ad manus illum trahentes, eduxerunt illum de concilio, et quasi voluntatis suae compos effectus fuerit, et obtinuerit suum honorem, per viam incedebant cum cantico; sicque ille conventus impiorum evasit manus.

Tunc cardinalis habito super hoc episcoporum et totius cleri consilio, decrevit, ipsum cum omnibus, qui eum de medio sustulerant, excommunicare in crastinum. Quod ut audierunt, omnes se de illius contubernio subtraxerunt, ita, ut qui pridie turba multa comitatus de concilio exierat, sequenti die cum vocatus adveniret, vix unum,

(a) Anno 1127.

qui eum sequeretur, habebat. Unde contritus in faciem se prostravit, omniumque miserationi expositus, tantum vitae necessaria concedi sibi impetravit; nihilque moratus, licet invitus, quia obtinere non potuit, pontificalia deposuit die XVI. Kal. Junii (a). Occupavit autem etc. (b).

(Hucusque codex Guelferbytanus.)

CAPUT LXXV.

Hic autem successor ejus nomine Meginherus (c), eadem qua decessor parochia (d), nobilibus et ipse parentibus procreatus, a pueritia in Treverensi ecclesia educatus, morum honestate et personae maturitate ad praesulatus honorem dignus profecto ascendisset, si antedictum Godefridum vel parcius impugnasset, vel suae rigiditati et indescretioni modum imposuisset. Mense Junio electus, sequenti autumno, collecta militia Treverensi, castellum novum, quod dicitur Numage (e), primo impetu cepit; Wilhelmum comitem ad conditionem pacis venire coegit pacemque patriae in brevi reformavit.

Veniente quadragesima iter suum Romam direxit, ubi a papa Honorio ordinatus et pallio dignitatis est decoratus: unde reversus, a clero et populo Treverico honorifice est susceptus (f). Deinde dum nimio (g) zelo rectitudinis de incontinentia clericorum multa saeve disponeret sine condimento discretionis, magnam sibi comparavit invidiam, et, quam nec dici fas est, adquisivit infamiam.

(a) Conf., quae leguntur in vita Alberonis cap. 82.

(d) Quae sequuntur usque ad finem, eadem sunt, ut supra (pag. 200.) jam dicta erant.

(c) Al.: Megenherus.

(d) Leodiensi parochia: Cod. Eb. Cl.

(e) Plerique codices mss. legunt: Bunnage, et cum his Mart.; sed Leibn., Calm. et Honth. legunt: Hunniag vel Bumage. Cod. Paris. habet: Huniage; cod. Vind. praef.: Bumaggen. Vide notas ad hoc cap. in fine.

(f) Addunt folia mss. recentiora: Anno MCXXVIII. Meginerus III. Non. Aug. consecrat sacellum B. Sulpitii, prope templum B. M. V., qui locus nunc dicitur Bernardshoff. — Mense Junio anni 1127. Meginherus electus, anno 1128. primum Romam profectus est et ann 1130. altera vice.

(g) Ap. Mart.: dum intimo zelo.

CAPUT LXXVI.

Et forte eodem tempore Francorum respublica valde turbabatur. Nam paucos ante annos Heinrico imperatore, hujus nominis rege quinto, sine prole defuncto, proceres Francorum apud Mogontiam Lotharium (a), ducem Saxonum, in regnum elevaverant, eorumque decretum Romani laudaverant: cum ecce Fridericus, dux Alamannorum, ejusdem Heinrici ex sorore nepos, inito consilio cum quibusdam faventibus sibi (b), fratrem suum Cunradum regno substituit, magnamque belli materiam et contentionis fomitem hac de causa suscitavit. Quod ubi Honorius papa comperit, Cunradum omnesque sibi faventes excommunicationis vinculo colligavit, et Meginhero archiepiscopo ordinato, jam reversuro, ut in sede sua eundem Cunradum excommunicaret, per obedientiam praecepit, quod ille quoque sine mora perfecit (c).

Gesta quaedam hujus temporis, quae in codd. Eberh. Clusano et Lind. leguntur (d).

Lotharius autem supra nominatus imperator contra Bohemos sibi rebelles, cum multitudine magna Alemannorum proficiscens, quorundam principum suorum proditione, magnam suorum militum stragem passus est. Qui postea in Italiam ingressus, Innocentium papam congregato exercitu suo Romam perduxit (e) et in sede sua collocavit, et ab eodem Innocentio idem Lotharius coronatus in imperatorem est consecratus. Post haec hi ambo in Apuliam processerunt, scilicet Innocentius papa et Lotharius imperator, contra principem Rogerium,

---

(a) Codd. Vind. et Guelf. legunt: Leodegarium.

(b) Quidam codd. mss. et Gestor. Trevir. editores legunt in hunc modum: facta conspiratione cum quibusdam justitiae inimicis.

(c) In edd. Leibn., Calm. et Honth. desunt verba: quod ille quoque sine mora perfecit.

(d) Scriptores horum codicum haec facta addunt in capite, quod tractat de Meginhero, archiepiscopo Trevirensi: quaedam sunt aevo hujus archiepiscopi posteriora, quaedam vero etiam anteriora. In ceteris codd. et in edd. haec desunt.

(e) Conf. cap. sequens et Annales Hildesheim. ad. an. 1133.

qui favebat antipapae Petro-Leonis (a). Quo fugato, dominus papa Ranyonem (b) quendam ibi ducem constituit. Redeuntibus autem eis cum victoria Romam, post aliquod tempus Lotharius in Alemanniam iter arripuit, veniensque Veronam morbo correptus vitam finivit (c).

Hic Lotharius in principio imperii sui, maxime postquam fuit in imperio confirmatus, in ecclesiae Romanae favorem, quantum potuit, humiliavit progeniem imperatoris Henrici quinti, praedecessoris sui novissimi. Qua de causa Fredericus et Conradus fratres ac praedicti Henrici ex sorore nepotes contra eum rebellaverunt: ob quam causam ab Honorio papa, praedecessore Innocentii secundi, fuerant excommunicati, ut supra dictum est. Nichilominus tamen dictus Conradus a quibusdam Germaniae principibus factus est imperator (d).

Imperante autem praedicto Henrico quinto tantus terrae motus totam Syriam concussit, ut funditus urbes, castella et oppida dirueret. Fiebat autem ex aedificiorum ruina hominum infinita strages; ita ut habitationem hominum fugientes, ut requiem invenirent, homines habitabant in campis. Circa eadem tempora in pago Bracarensi circa Tornacum nix tanta cecidit, nono Kal. Maji, ut etiam sylvas fregerit. Apud Ravennam et Parmam, civitates Italiae, in agris et intra moenia sanguis pluit in mense Junio (e). Idibus Novembris in suburbio Antiochiae noctu terra dehiscens turres multas et adjacentes domos multas cum habitatoribus absorbuit. Anno Domini millesimo centesimo decimo octavo, tertio Nonas Januarii, in aliquibus locis, sed non usquequaque, terrae motus accidit, alias clementior, alias validior; adeo ut quarundam urbium partes cum ecclesiis subruisse dicantur: Mosa etiam fluvius, juxta abbatiam quae dicitur Sustula, quasi pendens in aëre visus est suum fundum deseruisse. Eodem anno civitas Leodium multis plagis attrita est; nam quinto Nonas Maji, dum in

(a) Anacleto.

(b) Al.: Reginaldum. Conf. Ottonem Frising. et Joh. de Ceccano ad a. 1137.

(c) Conf. cap. 83.

(d) Conradi electio ac inauguratio facta est Confluentiae, oct. Kal. Mart. 1139., Alberonis archiepiscopi auspiciis. Vide cap. 83.

(e) Browerus refert has tempestates horrificas ad annum 1117 sub Brunone archiepiscopo. Vid. Anselm. Gemblac. Chron. et Chron. Ursp.

majori ecclesia vesperas celebrarent, subito tonitrus cum terrae motu omnes ad terram stravit, et fulmen ad laevum templi ingressum non modicas crustas hac illacque disjecit, deinde turrim ingrediens multas trabium partes diffindit. Subsecutus est foedor intolerabilis; adeo ut multo aromatum odore vix potuerit expelli. Sequenti mense Junii, septimo Idus ejusdem mensis, circa horam nonam, nubes pluviae subito rupta, a monte, qui dicitur Roberti, subjectam sibi partem civitatis penitus oppressam pessumdedit; adeo ut multas domos dirueret, et immensam annonam perderet, et matrem cum duobus filiis in brachiis amplexatis necaret, et alios octo homines in diversis locis opprimens perimeret. Dum sabbato ad vesperas pulsaretur, mulier quaedam, dum caput lavat puero, manus ejusdem mulieris manant sanguine fluido. Circa Kalendas Julii, hora quasi sexta, turbo vehemens nimis et obscurus civitatem eandem, scilicet Leodium, operuit, et nubes ex obrupto scissa ita omne tectum ecclesiae majoris dejecit, ut et imbribus pateret, et totum pavimentum perfunderet. Ilico fulmen a parte aquilonis ingrediens tres sacerdotes, unum orantem, alium legentem, tertium de scriptorio (a) egredientem in egressu ecclesiae extinxit, et unum laicum ante fores ejusdem ecclesiae stantem. Tertio Nonas Augusti primo noctis conticinio quasi per orbem terrarum cum tonitrum audiretur, et fulgura saepius micarent: in urbe Leodii amplius ipse turbo desciit; ita ut homines, e stratis exilientes, ecclesias tristi coetu complerent, et tota nocte supplicationibus intenderent. Summae vero aurorae diluculo a parte orientis ignis cum ingenti flamma circulavit, et tantus, ut omnes divinitus cremari extimescerent. Post haec magnus turbo erumpens ab occidente ipsum ignem visus aliqualiter obscurasse; iterum autem quasi victor, ignis cum flamma recaluit, et iterum turbine revertente paululum delituit; tertio etiam ipse ignis recaluit, et quarto nichilominus turbine victus cecidit: hoc spectaculum a summo mane usque ad horam tertiam vehementer terruit. Monstrum quoddam Namurci natum est, cui simile raro vel nunquam visum est: videlicet biceps infantulus. Hic tam sexu duplex,

(a) Cella in monasteriis scriptioni librorum destinata.

quam ceteris simplex erat compage corporis. Tertio Idus Decembris ad mediam noctem, lucentibus stellis, coelo sereno, tertia decima luna eclipsim passa est, et contracto orbe multis coloribus, sed maxime sanguineo, integra fere hora suffusa est. Quarto Kalendas Januarii, prima hora noctis, igniae acies a septentrione in orientem visae sunt in coelo; deinde per totum coelum sparsae, plurima noctis parte videntibus miraculo et stupori fuerunt (a).

Iste Henricus quintus, cujus temporibus praefata contigerunt, adversus patrem suum imperatorem, Henricum scilicet quartum, rebellionem movit et in ipsum insurgit; sumens occasionem ex eo, quod idem pater ejus esset a Romana ecclesia excommunicatus: unde facile Saxonum principes, patri suo semper infestos, suae voluntati conjunxit. Multi praeterea principes, relicto patre, filio adhaeserunt: ad postremum, cunctis illum relinquentibus, a filio capitur et carcerali custodiae mancipatur; ubi dum audientiam peteret, filius una cum principibus dolo circumventum cogunt, imperialia insignia filio resignare. Quo facto dimissus, et omnium suffragio destitutus, per Alemanniam vagus et profugus discurrens, venit Coloniam. Cives autem miserati ejus sunt calamitatem, et ab eis non sicut exul, sed tanquam imperator solenniter est susceptus. Inde multis illum comitantibus Leodium venit, ubi convocata principum curia aliquibus ad eum confluentibus asseruit, a filio se fuisse coactum, imperialia insignia resignare. Filius audiens, eum Leodii esse, obsidere paravit; praemissisque militibus, qui pontem super Mosam fluvium situm occuparent, a populo Henrici illuc venientes repulsi, multi occisi atque capti sunt: inter quos et Bruno comes occisus est. Sicque filius contra patrem pergens confusus rediit et inglorius. Non multo post tempore idem Henricus apud Leodium moritur, ac a civibus in majori ecclesia more principum sepelitur; sed postmodum mandato summi pontificis, tamque excommunicatus, inde ejicitur et omnis ei sepultura christiana denegatur.

(a) Haec omnia codices nostri descripserunt ex ms. Aegidii ab Aurea Valle (Orval in ducatu Luxemburgensi), monachi Cisterciensis et scriptoris rerum Leod. saeculo XIII. Conf. Foullon Historia Leodiens. I. p. 253. edit. an. 1735.

De pallio archiepiscoporum, et de morte Meginheri archiepiscopi.

Quamvis quilibet episcopus sit potens in jurisdictione spirituali, quae potior est temporali: archiepiscopus tamen potentissimus est, quia super alios est episcopos, quod designat pallium ejus. Pallium autem est insigne ornamentum archiepiscopi, sumptum de corpore beati Petri, quod datur in signum plenitudinis pontificalis dignitatis. Ponuntur autem in pallio quatuor cruces nigri coloris, propter mortificationem vitiorum, quae debet esse in palliato. Prima crux, quae est in pallio ante pectus, significat gaudium spirituale de corde puro et conscientia bona; secunda, quae est in sinistra, designat spem futurae retributionis pro laboribus factis; tertia crux, quae est retro, designat dolorem pro peccatis propriis, pro delictis proximorum praecipue sibi commissorum; quarta crux, quae est a dextris, designat timorem: nescit enim, an amore, an odio dignus sit. Papa semper utitur pallio et ubique; patriarchae autem et archiepiscopi solum eo utuntur infra missarum solemnia in qualibet ecclesia suae diocesis, et hoc in diebus, quibus sibi conceditur in privilegio suo. Est autem pallium illud quoddam ornamentum ad modum stolae sacerdotalis cum quibusdam crucibus nigris intextis, quod defertur super alia ornamenta, circumdans pectus et humeros ad modum coronae ante dependens: significat autem plenitudinem pontificalis officii. Debet autem peti a papa infra tres menses a tempore consecrationis suae vel confirmationis, cum instantia; et debet petens praestare sacramentum fidelitatis et obedientiae ecclesiae Romanae. In datione pallii debet dari novum privilegium vel antiquum confirmari. Recepto pallio, et non ante, potest se archiepiscopum nominare; nec ante potest convocare concilium, nec conficere crisma, nec dedicare basilicas, nec ordinare clericos, nec episcopos consecrare. Non potest archiepiscopus pallium suum alteri resignare, quia pallium ejus in personam alteram non transit; unde debet cum eo sepeliri.

Nunc ad id redeundum, unde occasionaliter declinavimus.

Meginherus igitur archiepiscopus Trevirensis de mandato aposto-

lico Cunradum supradictum excommunicavit; unde indignationem ejus incurrit.

(Haec hactenus ex praefatis codicibus.)

Anno ordinationis suae secundo, mense Novembri, cum jam erga multorum animos, ea qua dixi causa, esset odiosus, Romam ire disposuit, ut consilio apostolici vel auxilio, ea quae se gravabant, alleviaret. Quo tempore praedictus Cunradus, minus in Teutonico (a) prosperatus, regnum Italicum, tanquam et illud sibi deberetur, invadere cupidus, ibidem in Italia morabatur, ubi Meginherum episcopum per exploratores proditum cepit, eumque apud Parmam civitatem custodiae deputavit; ubi sequenti anno, jam oculorum lumine ex afflictione (b) amisso, Kal. Octobris obiit. Episcopus Parmensis vestibus, quas sibi ipsi morituro paraverat, corpus indutum in majori ecclesia sepelivit (c).

CAPUT LXXVII.

Post hunc Treveri Brunonem (d), ecclesiae Trevericae canonicum, Brunonis quondam archiepiscopi nepotem, elegerunt VII. Idus Decembris. Quod ille omni nisu, maxime causa inopiae hujus ecclesiae, renuebat; re autem vera ut post claruit, majoris episcopatus gloriam affectabat, et hoc (e) cum gratia apostolici Innocentii (f) fa-

---

(a) solo: addit cod. Eb. Cl.

(b) Trith. (Chron. Hirs. ad an. 1127) male refert: „Megenherus a duce Conrado — „captus, et lumine oculorum privatus in carcerem retruditur.“ Sic et minus accurate scribit Annalista Saxo ad an. 1130: „Meginherus, Trev. archiep., contra regem „(Lotharium) sentiens, eo inconsulto Romam tendit, regis causam apud domnum apos- „tolicum disturbare. Sed in ipso itinere a Conrado (Hohenstauffio), cui favebat, ae- „mulo regis, miro Dei judicio, capitur, et in vincula conjicitur, ibique in captivitate „moritur.“ Conf. Dodechinum ad an. 1129, et Magn. Chron. Belg.

(c) In Necrologio S. Maximini legimus: Kal. Octobris (anni 1130 moritur) Meginerus, Trevirorum archiepiscopus. — Cod. Trev. ms. N°. 1462 addit: Hoc tempore legatus papae milites congregavit, et in porticum templi Jerosolimis locatos, templarios vocavit.

(d) Brunonis, comitis ab Aldenahr, electionem videtur ignorasse Trithemius l. c. — Hic Bruno paulo post electus est Coloniensis archiep., anno 1131.

(e) et hoc: deest ap. Leibn.

(f) Innocentii: deest in cod. Vind.

ciebat, qui eo tempore in Galliis commanens, diversis in locis concilia celebrabat.

Nam quando Meginherus episcopus, Romam (a) pergens, captus et custodiae traditus fuit, bellum quoque inter Romanos conflatum est, de loco Innocentii et Anacleti, Honorio papa defuncto; quorum prior electione autentica cleri et populi inthronizatus et consecratus defuncto successerat; alter autem factione nobilium Romanorum, quorum ipse propinquitate pollebat, papatus sibimet honorem assumserat. Maximo autem motu horum gratia concitato, Innocentius papa templum sancti Petri fugiens intravit, quem Anacletus obsessum, tormentis quoque machinisque adhibitis, de templo et urbe fugavit. Pulsus (b) Roma, Gallias Innocentius petiit, ubi eum legati Trebirorum (c) adeuntes, ut electionem suam firmare et perficere non differret, postulabant. Quibus ipse respondit, ut alium ad hoc idoneum, quem vellent, eligerent: nam Brunonem nec ipsi, nec alterius ecclesiae filii episcopum habere potuissent. Hoc responsum apud Leodium in quadragesima acceperunt.

Sequenti pascha, cum rex Lotharius omnesque principes (d) Trebirorum Treberi convenissent, pars cleri primicerium Metensem, Adelberonem eligebat; principes tamen et populus acriter repugnabant. Qua dissensione per continuum annum protracta, tandem jussu apostolici et imperio regali sedata, altero pascha inthronizatus est Adelbero, anno Dominicae incarnationis millesimo centesimo tricesimo secundo (e).

(a) Quidam codd.: Boma.

(b) ergo: additur ap. Leibn.

(c) Treverensium: cod. Vind.

(d) Trebirorum: deest ibid. — Principes: scilicet comites et barones Trevirorum. — Conf. infra cap. 82.

(e) Cod. Guelf. legit: vicesimo secundo, sed omnino false; nam Meginherus non prius quam anno 1130 decesserat. — Editiones Leibnitii et Calmeti hoc anno 1132 finem habent. — Codices etiam manuscripti Guelf., Stuttg. et Vind., N°. 1069 sign., hocce loco desinunt.

CAPUT LXXVIII. (a)

Gesta Alberonis archiepiscopi a Balderico ejus domestico (b) conscripta.

Alberonis (c), Trevirorum archiepiscopi, facta et dicta memorabilia narraturus, rem aggredior, apud posteros minus fidei habituram, quam miraculi; in qua re, scias lector, nec laudi, nec vituperationi me studere, sed veritati (d). Ammiramur quosdam magna fecisse, sed multorum favore et auxilio et cooperatione: quemadmodum principes gentium, qui, existentes paternorum regnorum (e) haeredes et successores, subditarum gentium armis suum dilataverunt imperium, ut Alexander, Julius, Augustus, Karolus et plerique alii, qui materiam magnam (f) suis factis praebuerunt antiquis historiarum scriptoribus. Hic autem (g) singulariter in hoc exstat ammirandus, quod solus homo atque privatus, imo etiam adhuc pauper, maximas res perfecit. Cum enim adhuc in prima juventute nulla fulgeret dignitate ecclesiastica vel saeculari, pro libertate ecclesiae, solus inter

---

(a) In Gestorum Alberonis narratione insigni secuti sumus egregium codicem Trevirensem, N°. 4 in nostra bibl. publ. sign., temporibus Alberonis aequalem, et si non Balderici autographum, tamen certe ex ipso autographo diligentissime scriptum.

(b) domestico: i. e. Alberonis familiari, qui in aula archiepiscopi munere praecipuo fungebatur. Baldericus ipse nomen suum declarat, infra in capp. 86 et 88.

(c) Adelbero, Adalbero. De Alberonis parentibus haec habet cod. ms. Aureae-Vallis (Martene T. IV. Ampl. coll. col. 171.): „Anno MCXXXI. Albero Metensis „fit archiepiscopus per annos circiter XX. Hic dicendum est, quod frater episcopi „Heinrici Leodiensis, qui sepultus est in Hoio, comes Tullensis Fridericus duos ha„buit filios, comitem Renardum et comitem Petrum. Iste Petrus duas habuit filias. De „una natus est iste Albero archiepiscopus, de alia episcopus Petrus Tullensis.“ — Albero natus est in Lotharingia ex familia Nobilium de Monsterol vel Montreil. Calm. (Hist. de Lorraine, II. Liv. XXI. num. 72. p. 52.) haec refert: „Alberon de Mons„terol étoit d'une ancienne famille de Lorraine, dont le chateau, nommé Monsterol, „étoit prés du lieu, ou est aujourdhuy l'abbaye de Belcamp, habitée par des chanoi„nes reguliers. Ce chateau est aujourd'huy entièrement ruiné &c.“ —

(d) Haec verba initialia non leguntur in cod. Eb. Clus., sed incipit textum hoc modo: Ammiramur quosdam &c. — Plura Alberonis gesta desiderantur ap. Mart.

(e) Ap. Honth.: bonorum.

(f) Cod. Eb. Cl.: maximam.

(g) Albero: additur ibid.

omnes Metenses, imperialis majestatis culmini se opposuit; ea tempestate, qua regnum et sacerdotium gravissimo dissidebant scismate, quod in diebus Gregorii papae septimi, qui priori nomine Hildebrandus dicebatur, atque Heinrici III. imperatoris coeptum, per tempora Urbani et Paschalis (a) apostolicorum, usque ad tempora Calixti papae perduravit. Iste homo novus coepit esse miles, et mirabilibus ingenii atque consilii sui armis ecclesiae sanctae (b) esse defensor. Ut autem plenius atque planius intelligas, quae et qualia, et qualiter et ad quid homo iste perfecerit in defensione ecclesiae contra imperatoris injuriam, praedicendum mihi videtur, quae et qualis fuerit causa hujus scismatis.

CAPUT LXXIX.

A tempore Karoli imperatoris usque ad tempora Heinrici imperatoris tertii reges ob sua merita, quia suis beneficiis ampliabant et defensabant ecclesias, ex concessione Romanorum pontificum investituras episcopatuum dabant et ecclesiarum providentiam gerebant (c). Heinricus autem III. (d), cujus, ut speramus, propter pleraque bona opera valde magna, tecta sunt peccata, nimis fuit infamatus de venditione episcopatuum: unde praedictus papa Gregorius VII. investituras episcopatuum eidem regi conabatur aufferre; quod cum perficere non posset, coegit tamen eum firmiter promittere, quod eos omnes expelleret a suis sedibus episcopos, quos pretio sciret intrasse; et de cetero, pretio (e) nulli episcopatum dare.

Quam rem cum praedictus imperator aggrederetur, tantum incurrit fere omnium odium episcoporum, quod contra ipsum regem Gregorio papae adhaeserint, et eum (f) cum domino papa excommunica-

---

(a) Ap. Honth.: Paschalis et Urbani, lectio incongrua quoad chronologiam.
(b) Ibid. deest: sanctae.
(c) Ibid.: regebant.
(d) Honth. ad marginem recte notat: IV. — Scriptor non ubique satis distinxit Henricos, scilicet hujus nominis tertium et quartum.
(e) pretio: non legitur in codice Eb. Cl.
(f) Ed. Honth. omisit: eum.

verint. Multi autem ex cardinalibus regi adhaeserunt, et de clero Romanorum atque de populo, quorum contra papam Hilbebrandum plurima extant scripta mordacia. Hic autem Heinricus filius erat Conradi imperatoris (a), cujus filius Heinricus, qui dicebatur senior (b), paternae haeres discordiae cum Romanis pontificibus, imitando patrem, gravabat in tantum quosdam episcopos, quod eorum machinatione et Romani pontificis authoritate, a filio suo Heinrico (c) regno pulsus est, LIIII°. (d) regni sui anno, et paulo post Leodii defunctus est. Cui cum in regnum successisset filius ejus Heinricus junior, jam post Gregorium, Urbano papa defuncto, sedebat apostolicae memoriae Paschalis papa, qui, quod Gregorius septimus coeperat, zelo Dei succensus perficere volebat. Cum enim Heinricus junior ad consecrationem imperialem Romam venisset, unctionem ei papa denegabat, nisi cederet a jure, quod in investituris episcopatuum videbatur habere. Quae res quem eventum habuerit, ex epistola a rege Heinrico, Roma redeunte, per universum regnum transmissa, perpendi potest.

„Heinricus, Dei gratia Romanorum imperator augustus, omnibus „Christi et ecclesiae fidelibus. Notum esse volumus dilectioni et dis„cretioni vestrae, ea quae inter nos et dominum illum Paschalem „erant, quomodo incoepta, tractata et pacta sint: scilicet de conven„tione inter me et ipsum, de traditione Romanorum in me et meos; „ut audita intelligat, intellecta examinet, examinata dijudicet. Igitur „cum in eo totus essem, ut me ad ecclesiae utilitatem et ipsius vo„tum, si justum esset, componerem, coepit dilatationem et exaltatio„nem regni super omnes antecessores meos studiose promittere, sub„dole tamen, quoniam regnum et ecclesiam a statu suo scinderet (e), „tractare. Quod facere sic aggressus est. Regno, quod jam a Ka„rolo, trecentis et eo amplius annis, et sub sexaginta tribus apos-

---

(a) Conradi Salici filius est Henricus III. seu Niger.

(b) Scilicet Henricus IV.

(c) Henrico V.

(d) Henricus IV. rex eligitur an. 1054., patri succedit 1056., Romae inauguratur 1083., exauctoratur 1106., fatis concedit III. Id. Augusti 1106.

(e) Ap. Honth. non legitur: a statu suo.

„tolicis (a), investituras episcopatuum et abbatiarum eorundem autho-„ritate et privilegiorum confirmatione tenenti, absque audientia auferre „volebat, et cum per nuntios nostros quaereretur, quid de nobis fie-„ret omnibus his ablatis, in quo regnum nostrum constaret, quoniam „fere omnia antecessores nostri ecclesiis concesserunt et tradiderunt, „subjunxit: fratres ecclesiae decimis et oblationibus suis contenti „sint; rex vero omnia praedia et regalia, quae a Karolo et Lodoyco, „Ottone et Heinrico ecclesiis collata sunt, sibi et successoribus suis „recipiat et detineat. Ad haec cum nostri responderent: nos quidem „nolle (b) violentiam ecclesiis inferre, ne ista subtrahendo tot sacri-„legia incurrerem, et sui sacramento pro ipso firmaverunt dominica „Esto mihi in Deum (c). Se omnia haec cum justitia et authori-„tate sub anathemate confirmare et corroborare (d), nostris itidem fir-„mantibus, si hoc, uti promissum est, complesset, et quod tamen nullo „modo posse fieri sciebant; me quoque investituras ecclesiarum, uti „quaerebat, refutaturum, sicut in charta conventionis plenius poteritis „videre. De traditione vero in nos et in nostros, sic res se habet (e). „Vix portas civitatis ingressi sumus, cum nostris infra moenia secure „vagantibus quidam vulnerati, alii vero interfecti, omnes vero spoli-„ati aut capti sunt (f). Ego tamen quasi pro levi causa (g) non mo-„tus, bona et tranquilla mente usque ad januas beati Petri cum pro-„cessione perveni; ubi, ut ostenderem, nullam Dei (h) disturbationem „ex velle nostro procedere, in cunctorum astantium oculis et auribus „hoc decretum promulgavi:

„Ego Heinricus, Dei gratia Romanorum imperator augustus, con-„firmo Deo et sancto Petro, omnibus episcopis, abbatibus et omnibus „ecclesiis omnia, quae antecessores mei reges et imperatores cis

---

(a) Ibib. deest: apostolicis.
(b) Ibid. legitur: nos non quidem velle.
(c) Ibid.: Esto etiam in Deum.
(d) Ibid.: omnia haec in justitia et authoritate confirmare et corroborare.
(e) Praecedentia hujus diplomatis desiderantur in cod. Eb. Clus.
(f) Ap. Honth.: spoliati et capti sunt.
(g) In codice Eb. Clus. legitur: Ego vero Heinricus pro levi causa.
(h) Ap. Honth.: cleri. — Lectioni nostrae consona est illa codicis Eb. Cl.

„concesserunt et tradiderunt; quae illi pro spe aeternae retributionis „obtulerunt Deo, ego peccator pro timore terribilis judicii ullo modo „subtrahere recuso.

„Hoc decreto et subscripto petii ab eo, ut, sicut in charta con„ventionis ejus scriptum est, etiam adimpleret. Haec charta conven„tionis ejus ad me (a):

„Domnus papa praecipiet episcopis praesentibus in die coronatio„nis regis, ut dimittant regalia regi et regno, quae ad regnum per„tinebant tempore Karoli, Lodoyci, Ottonis et Heinrici, et aliorum „praedecessorum ejus, et scripto firmabit sub anathemate, ne eorum „praesentium vel absentium quisquam, vel successores eorum intro„mittant se, vel invadant eadem regalia, id est, civitates, ducatus, „marchias, comitatus, monetas, theloneum, mercatum, advocatias, „omnia jura centurionum, id est, villicorum curtes et villas, quae reg„ni erant, cum omnibus pertinentiis suis, militiam et castra, nec ipse „regem et regnum super his ulterius inquietabit, et privilegio sub ana„themate confirmabit, ne posteri sui amplius inquietare praesumant; „regem benigne et honorifice suscipiet, et more praedecessorum ejus „catholicorum scienter non subtracto, coronabit; et ad tenendum cum „his omnibus officii sui auxilio juvabit. Si haec domnus papa regi „non adimpleverit, ego Petrus Leonis juro (b), quod cum tota poten„tia mea tenebo me ad domnum regem; obsides autem, nisi effuge„rint, reddemus altera die post coronationem regis. Si per papam „remanserit, ut non coronetur, similiter reddemus die dominico, cum „rex ad processionem venerit. Obsides dabo Gratianum filium meum,

---

(a) Haec charta conventionis non legitur in codice Eberh. Clus., qui ita fatur: quam (epistolam) ob prolixitatem hic inserere omisi. — Baronius ad annum 1111. de hoc eventu haec notat: „Praeviis initis pactis Henricus Rex hoc anno urbem „ingressus; mox fraude et vi agens, Pontificem circumvenit captivavitque, atque ab „eo et imperii coronam et privilegium investiturarum extorsit. Quae quidem tunc „in arduo eo rerum articulo, cum nempe caedibus utrinque foederatur urbs, conces„sit Paschalis in captivitate constitutus, ut patriam ab imminente ulteriori clade li„beraret."

(b) Scilicet ille Petrus Leonis, cui turris Crescentii (Castelli S. Angeli) praefecturam Papa commisit.

„et filium Wizonis (a), filii mei, vel filium sororis meae, si eum habere „potuero. Haec sancta sacramenta ego Petrus Leonis juro vobis, „quia domnus papa proximo die dominico adimplebit regi, quod in „charta conventionis scriptum est. Haec sunt sacramenta ex nostra „parte. Ego comes Herimannus. Ego comes Godefridus. Ego co- „mes Fridericus. Ego Folmarus. Ego Adelbertus cancellarius juro „vobis, quia domnus rex proxima quarta vel quinta feria principes „jurare faciet et obsides dabit, sicut in charta conventionis scrip- „tum est.

„Cum ergo supradictae postulationi insisterem, scilicet, ut cum „justitia et authoritate praemissam mihi conventionem firmaret, uni- „versis in faciem ejus resistentibus, et decreto suo planam (b) hae- „resin inclamantibus; scilicet episcopis, abbatibus, tam suis quam „nostris, et omnibus ecclesiae filiis, hoc, si salva pace ecclesiae dici „potest, privilegium proferre voluit (c).

„Paschalis, episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Hein- „rico regi ejusque successoribus etc. Et divinae legis institutione „sancitum est, et sacris canonibus interdictum, ne sacerdotes curis „saecularibus occupentur, neve ad comitatum, nisi damnatis eruen- „dis, aut pro aliis, qui injuriam patiuntur, accedant; unde et Apos- „tolus Paulus: saecularia, inquit, judicia si habueritis, contemptibiles „qui sunt in ecclesia, illos constituite ad judicandum. In regni au- „tem vestri partibus episcopi vel abbates adeo curis saecularibus „occupentur, ut comitatum assidue frequentare et militiam exercere „cogantur, quae nimirum aut vix, aut nullo modo sine rapinis, sa- „crilegiis, incendiis, aut homicidiis exhibentur; ministri enim altaris „ministri curiae sunt facti, quia civitates, ducatus, marchias, mone- „tas, theloneum, curtes et cetera ad regni servitium pertinentia a „regibus acceperunt. Unde etiam mos ecclesiae intolerabilis inolevit, „ut electi episcopi nullo modo consecrationem acciperent, nisi prius

(a) Wirzonis: ap. Honth.
(b) Ibid.: plenam.
(c) Conf. Hist. pontif. et comit. Engolismensium c. 35. in vita Gerardi episc. p. 259. T. II. Bibliothecae MS. novae Philippi Labbei.

„per manum regiam investirentur. Qua ex causa et simoniacae haeresis pravitas et ambitio nonnunquam tanta praevaluit, ut, nulla electione praemissa, episcopales cathedrae invaderentur (a): aliquando „etiam, vivis episcopis, investiti sunt. His et aliis plurimis malis, „quae per investituram plerumque contingerent, praedecessores nostri „Gregorius VII. et Urbanus II., felicis memoriae pontifices, excitati, „collectis frequenter conciliis episcopalibus, investituras illas manus „laicae damnaverunt; et si qui clericorum per eam obtinuissent ecclesias, deponendos, datores quoque earum communione privandos „censuerunt, juxta illud apostolicorum kanonum capitulum, quod ita „se habet (b): si quis episcopus, saeculi potestatibus usus, ecclesiam „per illos ipsos obtineat, deponatur et segregetur omnesque, qui illi „communicant. Quorum vestigia subsequentes, et nos eorum sententiam episcopali consilio confirmavimus (c): tibi itaque, fili karissime, „rex Heinrice et nunc (d) per officium nostrum Dei gratia Romanorum imperator, et regno regalia dimittenda praecipimus, quae ad „regnum pertinebant manifeste tempore Karoli, Lodoyci et ceterorum „praedecessorum tuorum; interdicimus etiam, et sub anathemate districtiore prohibemus, ne quis episcoporum vel abbatum, praesentium „vel futurorum, eadem regalia invadat, id est civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, theloneum, mercatum, advocatias, jura „centurionum et curtes, quae regni erant cum pertinentiis suis, militiam et castra; nec se deinceps, nisi per gratiam regis, de ipsius „regalibus intromittat; sed nec posteris nostris liceat, qui post nos „in apostolica sede successerint, aut te aut regnum, super hoc inquietare negotio (e). Porro ecclesias cum oblationibus Dei haereditariis possessionibus, quae ad regnum manifeste non pertinebant,

---

(a) Gesta Trevirorum medii aevi abundant exemplis.

(b) Est canon 29. apostolicus, qui ita fatur: „Si quis episcopus saecularium magistratuum familiaritate usus, per ipsos ecclesiam nactus fuerit, deponitor: segregantor „quoque a communione, quicunque cum ipso communionem habent.

(c) Apud Honth.: confirmamus.

(d) Ibid. pessime: et nepos, per &c.

(e) Ibid.: ullo negotio.

„liberas manere decernimus, sicut in die coronationis tuae (a) omni„potenti Domino, in conspectu totius ecclesiae, promisisti. Oportet „episcopos curis saecularibus expeditos, curam suorum agere popu„lorum; nec ab ecclesiis suis abesse diutius: ipsi enim pervigilant „juxta Apostolum Paulum, quasi rationem pro animabus eorum red„dituri.“

Ut autem ex tenore epistolae perpendere potes, o lector, res ista ad finem non est perducta; sed efficientibus his, qui cum rege erant, tanta ex hac re discrevit discordia, quod inter regis exercitum et Romanos acriter ad gradus S. Petri pugnatum est, et rex papam captivum usque Viterbium adduxit et quosdam cardinales. Ubi rex, ut dicitur, cum in ecclesia respiceret picturas, videns Jacob luctantem cum angelo, domino papae eandem quoque demonstravit picturam, dicens exemplo Jacob: non dimittam te, nisi benedixeris mihi; tandemque a coacto domino papa non solum unctionem imperialem extorsit, imo etiam juramentum, quod nunquam in eum excommunicationis sententiam proferret: quod cum ipse dominus papa, ut vir Dei timorem habens, firmiter observaret; praelati tamen ecclesiarum, vicem pii patris dolentes, a communione imperatoris abstinuerunt. Hinc imperator contra ecclesias; hinc ecclesiae contra imperatorem (b).

CAPUT LXXX.

Sed fortassis, o lector! verbis me deridebis Horatii, dicendo:

— Amphora coepit
Institui; vergente rota, cur urceus exit (c)?

hoc significans, quod cum Alberonis promiserim gesta narrare, ad Romanorum pontificum atque regum facta me transtulerim. Sed ego tibi ejusdem verbis Horatii facile respondeo:

Nec primum medio, medium nec discrepat imo.

(a) Apud Honth.: coronationis suae, sed male.
(b) Conf. Godofred. Viterb. et Conr. Ursp. ad an. 1111.
(c) Quidam codd. et ed. Honth. legunt: nunc urceus exit.

(a) Tunc enim dominus Albero, Metensis clericus, solus inter omnes, imo contra omnes Metenses, domino papae astitit, vivacique arte et consilio multa ad honorem et utilitatem domini papae, et ad libertatem universalis ecclesiae intrepidus peregit, unde et regiae indignationis severissimos motus contra se incitavit, quos mirandis artibus saepissime evasit (b). Cum enim rex nullam ecclesiis eligendi pontifices permitteret libertatem, in Metensi quoque civitate, expulso de sede venerabili viro, Poppone episcopo (c), quendam nobilem virum Alberonem nomine, sua voluntate constituit episcopum, quem dominus Albero praedictus, saepe Romam eundo, deponi fecit (d) tandemque excommunicari, et in excommunicatione defunctum extra ecclesiam sepeliri, apostolicisque apicibus civitatem interdici fecit a divinis; ita, quod etiam sepultura defunctis negabatur. Litteras autem domini papae interdicti sententiam continentes, cum nemo Metim (e) timore crudelissimae mortis auderet afferre, ipse clericali toga linea se induit, et peplo muliebri caput et vultum involvit, et cappa de griseio panno se superinduit, atque in specie peregrinae mulieris, tanquam thus ad altare ferens, litteras domini papae altari imposuit, indeque revertens, canonicos, quos in ipsa ecclesia beati Stephani vidit, ad se convocavit, et quod litteras domini papae in altari acciperent et reverenter legerent, indixit; illi autem, cum jam eum recognoscere inciperent, furere et constrepere, et sonitu campanae populum civi-

(a) Omissis iis quae praecedunt, cod. Eberh. Clus. praesens caput verbis: Tunc enim orditur.

(b) Eadem de eo narrat scriptor vitae beati Theogeri, Metensis episcopi (saec. XII.), cap. 2., ubi Alberius nomen ejus effertur, qui nobis Albero dicitur. Vide Recueil des Historiens de la France, T. XIV. p. 208., ubi fragmentum ex libro II. hujus vitae primum editum legitur. Scriptoris nomen incompertum est; sed hanc Theogeri vitam inter pretiosiora ejus aevi monumenta censeri debere, jam doctissimus Ruinartius pronunciavit, tum propter auctoris illorum temporum aequalis gravitatem, tum propter conciliorum acta et alia multa quae continet.

(c) Popponem ab urbe Metensi expulsum fuisse, alibi non legimus: notat Brial (Recueil &c. p. 350.)

(d) Albero annis 24 pro episcopo se gessit, vivente Poppone et ipso defuncto, nec nisi anno 1114., agente Alberone primicerio (id est nostro) exauctoratus est. — Conf. opus praefatum.

(e) Al.: Metis, Mettim.

tatis in eum concitare accelerabant; ipse vero, antequam eum possent comprehendere, in equum quem ante fores ecclesiae praeparaverat velocissimum, ascendit et cursu citissimo auffugit. Quem cum homines civitatis illius, equites et pedites, usque ad villam, quae dicitur Arkenzey, insequerentur, ipse forti equo, in quo sedebat, transnatavit Mosellam fluvium, et usque Rozeium (a) castrum, in patrimonio ipsius episcopi Popponis situm, ad dominum suum pervenit. Consimili arte insidias regis multoties evasit. Rex enim ipsi Romam eunti omnes vias obstruxerat, et de morte ipsius omnibus fidelibus suis praeceperat (b); adversarium enim et inimicum regni eum publice pronunciaverat: ipse autem transfigurando se in diversas formas, per medios hostes transibat incognitus. Aliquando enim servos suos suis vestibus induebat, et ipse servili habitu ipsis ministrabat, equos procurabat, coenam praeparabat, calciamenta detrahebat, reliquias servorum comedebat; aliquando inter mendicos ut mendicus (c) ibat; aliquando cum mercatoribus, tanquam merces ferens, atque innumeris aliis modis se transformabat, non solum vestes mutando, imo etiam vultum, capillos, barbam fuco colorando. Dicitur quoque, quod ego tamen nescio, quod aliquando regi et exercitui ejus, formam similans contracti et sedens in asino, occurrit, et ab regina quinque solidos in elemosinam accepit. Additur quoque, sed ego nescio, quod in eodem itinere, longius regis comitatus processum, sub specie mendici, regis sub mensa locatus, audierit plurima (d) ipsum regem cum regina et cum aliis suis fidelibus otioso animo loquentem de his, quae contra papam machinatus erat, atque inter cetera, de insidiis contra ipsum dominum Alberonem dispositis recitantem, et quot et quae viae ipsi Romam tendenti essent interclusae (e).

(a) Ed. Honth. legit: Roscenium; cod. Eberh. Clus. nullam de hoc castro facit mentionem; dicit enim: usque ad castrum in patrimonio &c.

(b) omnibus sibi subjectis praeceperat: cod. Eb. Clus.

(c) Ap. Honth. deest: ut.

(d) Ibid.: plurimum.

(e) In vita b. Theogeri supra laudata haec de Alberonis nostri fatis legimus: „Audiens rex eum adversus mandata regia rebellem existere, in furorem instinctu in-„dignationis exarsit, atque ut incendium suum ruina illius extingueret, multiplices

Quas regis insidias sic praemunitus, cum omnes evasisset, Romam perveniens, reginae remandavit multas et magnas gratias pro accepto ab ipsa beneficio; ipsum enim se esse mandavit, cui quinque solidos in asino sedenti dedisset. Cumque rex ipsum Romam pervenisse intellexit, non solum per terras, sed et per mare insidias illi praeparavit, ne quo modo rediens evadere posset (a); quod nec ipsum dominum Alberonem latuit. Unde ipse Roma revertens, cum Pisas venisset, sciens, quod rex Pisanis quoque de morte ejus mandasset, portum navium non audebat per se ipsum adire, ne forte ab his, qui praeparati erant insidiatores, ibi expectaretur; sed servus ejus pro se atque pro socio tanquam adhuc venturo, navem (b) conduxit: die autem qua navis conducta a litore solvenda erat, servus ejus cum rebus suis navem ascendit; ipse autem intrare navem non audebat, eo quod plurima turba in portu ad spectaculum staret, inter quos etiam insidiatores suos esse timebat. Unde alio loco in praeparata navicula piscatoris mare ascendit, et vix eo die navem praecedentem consecutus est: quam cum ascendere vellet, lapsus est in mare, atque aliquamdiu natans in aequore, fune de puppe dejecto, tandem (c) vix est attractus in navem. Qui cum in sero, siccatis vestibus, cum nautis comederet, coeperunt pulcherrimas ejus manus considerare et ex hoc perpendere, quod homo plebeius non esset. Coacti autem eidem fuerant nautae a Pisanis, fidem dare, quod nullum ferentem litteras apostolici (d) in navem suam reciperent: unde dicebant Alberoni, se

„viro molitur insidias, jubetque Alberium (Alberonem), sicubi fuisset inventus, illico „comprehendi. Sed cum nil minis procederet, promissis etiam onerat suos, quo diligentius virum, quem honori et regno suo insidiari ajebat, inquirerent: jurans per „coronam et majestatem imperii, quingentis se talentis argenti Alberii oculos, si quis „suorum suis praesentasset obtutibus, compensaturum. — — Alberius vero, adjutus „oratione fidelium, per terras et maria, et per multa discrimina, per plana, per invia „iens et rediens permansit illaesus, cum tamen frequenter in manus inimicorum, ipsis „quidem ignorantibus, incidisset, ita ut eadem navis simul utrosque transveheret. — „Ille enim, ut solerti pollebat ingenio, pro loco, pro tempore, modo habitum mutans, „modo comam et barbam nutriens, modo per terram quasi debilis repens, intuentium „oculos arte fefellit.

(a) Apud Honth. desunt: ne quo modo &c.

(b) In cod. Eb. Cl. additur: navem idoneam et paratam &c.

(c) Apud Honth.: tamen vix.

(d) Ibid.: apostolicas.

velle loculos ejus respicere, ne forte litteras contra dominum imperatorem deferret; et referebant ei, qualiter mandatum super hac re a Pisanis accepissent fidemque dedissent. Ipse vero dominus Albero litteras absconderat in pixide eburnea serata, quam tirio panno honeste involverat, tanquam rem sacram; dicebatque esse sanctorum reliquias, quas de transmarinis partibus afferret; addebat quoque, illorum suffragio, cum in mari fluctuarat, se a periculo liberatum. Unde illi conterriti, reverentiam sacrae rei exhibentes, aperire non audebant. Sic haec et multa alia evasit pericula.

In archiepiscopatu Argentinensi quadam vice, dum regalium insidias sibi sciret in via, qua iturus erat, praeparatas, nec aliorsum jam declinare posset, clipeo et lancea et militaribus vestibus se adornans, forti sedens equo, per medium eorum ferebatur festinus, requirens subito ab eis, si Alberonem, Metensem diabolum, transeuntem ibi vidissent; rex enim ad capiendum illum subito misisset ipsum, maledicebatque ei dicens, tam malas horas det ei Deus, sicut ego habui tota nocte insequendo illum. Sic mille artibus insidias regis eludere solebat.

Metenses vero tempore hujus discordiae domum ejus, quam in civitate eorum habebat, bis destruxerant, bonis suis distractis; sed ipse quoque bis compulit eos, eandem reaedificare et ablata restituere.

Tandem defuncto supradicto Poppone episcopo, alium quoque absque voluntate regis fecit Metenses habere episcopum (a), quendam mirae sanctitatis virum; qui cum consecratus esset in episcopum, non est in civitate receptus, sed infra paucos dies ad aeternae civitatis habitaculum translatus est. Post (b) quem eos fecit habere episcopum Stephanum nomine, fratrem Rainaldi (c), comitis de Monzon. Hoc amore comitis Rainaldi putabatur fecisse; nam ipsi duo unum par amicitiae esse videbantur: unde etiam tempore praedictae discordiae

---

(a) Theogerum scilicet, abbatem S. Georgii in Sylva-nigra, de quo vide supra.

(b) Anno 1120., uti legitur in Gestis Metensium episcoporum: verum initium episcopatus Stephani ad an. 1121. vel etiam 1122. revocandum est, ex auctoritate scriptoris vitae beati Theogeri.

(c) Ap. Honth.: Ramaldi. — De Monzon, i. e. Barri ac Moncionis; erant enim filii Theoderici comitis Barrensis et Hirmentrudis Burgundicae, sororis Calixti II. Papae

castrum suum Monzon ei commodaverat, ut guerram Metensibus inde inferret; ex quo castro quodam tempore latenter intrans civitatem, in domum cujusdam viduae declinavit, maneque facto, subito equum ascendens, per plateas sese ostentabat (a); quo cognito, clamor per totam civitatem exorsus est, et quicunque equos habebant, ipsum persecuti sunt longe extra civitatem; comes vero Rainaldus milites, sicut condixerant ipse et dominus Albero, in insidiis tenebat, et insultum in Metenses faciens, plurimos ex eis cepit. Contigit vero postea, comitem Rainaldum Metensibus confoederari acceptis muneribus, quae excoecant etiam corda sapientum, et defecit ab amicitia domini Alberonis; quod ipse dominus Albero indigne ferens, minas graves in faciem ejus contra eum protulit, manifeste praedicens, quod magnum dedecus ex hac re ipsi esset proventurum; jubensque subito coram comite equos insellari (b), ad regem properando pervenit. Heinricus, in cujus gratiam plenarie noviter redierat, et multa loquendo effecit, quod ipse rex Monzon pervenit, et cum illud obsedisset (c), noctanter fugiens comes Baris evasit; rex autem Monzon relinquens, Barim multo milite circumdat, et dum comitem ad deditionem compulisset, captivum eum adduxit (d); sed tandem multis precibus flexus dominus Albero eum liberum et absolutum reduxit; et deinde amicitia eorum, quae ad horam fuerat dissoluta, tam contanti firmitate consolidata, quod nullus casus, sed neque mors eam dissolvere potuit.

CAPUT LXXXI.

Igitur dominus Albero jam in his diebus multum creverat dignitatibus et reditibus; primicerius enim jam factus fuerat Metensis ecclesiae et archidiaconus et praepositus S. Arnualis; archidiaconatum quoque in ecclesia Virdunensi adeptus fuerat, et in Tullensi ecclesia, de qua oriundus fuerat, archidiaconus et praepositus S. Gangolfi (e)

(a) Ibid.: ostendebat.
(b) Ibid.: consellari.
(c) Cod. Eb. Clus. legit: exercitu obsedisset. — Anno 1113. Moncionem et Barrim obsedit Imperator. Vide Gesta Virdunensium episcoporum et Ottonem Frising.
(d) et dum comitem &c: in edit. Honth. non legitur.
(e) Quidam codd. legunt: Gengulfi; ap. Honth.: Dengulfi.

erat. Originem, inquam, habebat ex episcopatu Tullensi, nobilibus quidem parentibus; in quo episcopatu etiam, antequam a Trevirensibus eligeretur, patrimonio suo, quod Monasteriolum dicebatur, abbatiam construxerat, in qua regulares canonicos, magnae religionis et sanctitatis viros collegit, vocaturque claustrum Bellus-Campus; nostris enim temporibus nemo majori intentione studuit, religiosos viros et litteratos circa se attrahere, et eos diligere, et suis beneficiis largiter honorare. Hospitalis quoque supra vires semper extitit, et extraneos quosque (a) dulciter et humane tractare solebat.

His ita (b) se habentibus, contigit eum eligi ad archiepiscopatum Partonopolensem (c), temporibus Lotharii regis et imperatoris II., quem omnibus modis abnegans, suis effecit ingeniis, quod dominus Norbertus, vir famosae religionis, ecclesiam eandem regendam suscepit. Ejusdem quoque imperatoris temporibus cum Alberstadensem venisset ecclesiam, clerici ejusdem civitatis, jam ad sedem vacantem ut episcopum eligerent, convenerant, et cum, studiis diversis existentibus, voluntates eorum in nullam possent convenire personam, audientes, talem et tantum advenisse virum, omnes unanimiter convenerunt in ipsum; quod cum ipse percepisset, relicto prandio, quod jam praeparatum ipsi fuerat in domo cujusdam venerabilis personae Conradi camerarii, quem rex Heinricus excoecari fecerat tempore praedicti scismatis, cum jam sui manus abluere coepissent, ituri ad prandium, ex improviso equum ascendit suosque se subito sequi praecepit, et sic auffugit. Tandem sedente domino papa Innocentio, regnante Lothario, Trevirenses clerici, contra voluntatem omnium laicorum, eum elegerunt in archiepiscopum (d). Qualiter autem electio facta fuerit, ex tenore subscriptae epistolae, quam clerus domino Innocentio transmisit, perpendere poteris (e). Est autem haec epistola:

„Beatissimo ecclesiae catholicae pontifici, personae Trevirensis ecclesiae devotum obedientiae et servitii famulatum. Non te latet,

(a) quoque: Honth.
(b) Ibid.: His itaque &c.
(c) Magdeburgensem (Megadaburg ap. alios Chronographos).
(d) Anno 1131.
(e) Legitur illa ap. Honth. l. c. Tom. I. pag. 517. sqq.

„pater reverende, qualiter ecclesia Trevirensis jam per biennium pro-„prio pastore viduata est; nosti etiam, quod dominum Brunonem, „quem unanimiter elegeramus, habere non potuimus; sed nos modo „labores et mala, quae interim sustinuimus, supersedentes, novas an-„gustias et pericula tibi denuntiamus, finemque illorum, per tuae pa-„ternitatis auxilium, quamprimum obtinere desideramus. Sane, cum „rex esset in civitate nostra (a), et cum eo dominus Albanensis, epis-„copi quoque Metensis et Tullensis, et provinciae nostrae barones, „facto conventu ad eligendum pastorem, quinque (b) nominavimus, ut „facilius per concordiam unus illorum ab omnibus eligeretur. His „nominatis, barones et omnes laici a nobis pro capiendo consilio in „partem secedentes, moxque (c) ad nos reversi, nullum de quinque „sibi praenominatis (d), sed omnes uno ore Geberhardum illum Wir-„zeburgensem petierunt; et quamvis nos illis (e) justam reprobatio-„nis rationem ostenderemus, tamen clamando, tumultuando, usque „adeo in ea petitione perseveraverunt, quod plerique fratres nostri il-„lis concordare coeperunt. Sic ea die, infecto negotio, dimissus est „conventus. Postea vero nos pauci, non nostris viribus contra tan-„tam multitudinem satis confisi, ab episcopis, Albanensi videlicet et „Metensi, consilium quaesivimus, et tandem sic nos et causam nos-„tram in manu et consilio eorum posuimus, ut de quacunque persona „ipsi consulerent, dummodo illa tibi, pater, accepta foret, et dominus „rex eam investire vellet, illam nos eligeremus. Quid plura? locuti „sunt regi (f). Deinde ad nos reversi, ut dominum Alberonem Me-„tensis ecclesiae primicerium eligeremus, consuluerunt; et hunc do-„mino regi placere, ejusque favorem nobiscum in hoc fore dixerunt.

(a) Celebrabat in urbe Trevirensi Pascha anni 1131. Lotharius Rex; aderantque cum eo apostolicae sedis in Germania legatus Matthaeus, Albanensis episcopus cardinalis, Stephanus Metensis, et Henricus Tullensis, episcopi.

(b) Apud Honth.: tres.

(c) Ibid.: mox.

(d) Ibid.: nullum de vel sibi praenominatis.

(e) Ibid.: illum. — Geberhardus ille, triennio ante, cathedra Würzeburgensi dejectus erat.

(f) Ibid. legitur: quo de plura domino locuti sunt regi.

„Hac igitur fiducia animati, dum ad faciendam electionem convenire-„mus, Palatinus comes (a), qui est ecclesiae nostrae advocatus, ce-„terique nobiles et populus, ubi intentionem nostram persenserunt, „facta turba et tumultu, penitus nos disturbaverunt, et tunc omnes „dominum Godefridum (b), ecclesiae nostrae praepositum, qui primus de „quinque erat nominatus, sibi dari petierunt. Sed nos, quia, ut supra „dictum est, obligati eramus (c), eorum petitioni satisfacere renuen-„tes, electionem usque ad discessum regis et baronum distulimus; „nam in praesentia eorum (d) primicerium nequaquam eligere audeba-„mus. Tunc rex discedens, diem nobis Mogontiae nominavit; ibi ju-„dicio episcoporum se negotium nostrum velle tractare affirmans. In-„terea nos pauci (e), videlicet praepositus majoris domus, decanus, „duo archidiaconi, praepositus S. Paulini, magister scholarum, cus-„tos, et alii IIII. canonici majoris domus, in choro nostro conveni-„mus, et dominum Alberonem sub ea quidem spe elegimus, videlicet, „si tibi, domine pater, placeret; et si dominus rex eum, ut nobis „episcopi Albanensis et Metensis promiserant, dono sui juris inves-„tire vellet. Sciebamus enim et adhuc vere scimus, iram et furo-„rem laicorum nullo modo, nullo ingenio, nisi regia potestate et gratia „sedari posse. Quod autem ad electionem non plures fratres vocavi-„mus, causa fuit timor, quo timebamus cives nostros, qui, si forte „rescissent, in jugulos nostros irruissent, et de quorundam fratrum „nostrorum assensu minus sperabamus; quoniam prius eos timore mor-„tis, ut credimus, territos, laicis favisse videramus; et tamen ad-„huc eo tempore plerique ad se delatam a nobis electionem benigna „mente et verbis receperunt; postea vero, ubi Moguntiam die statuto „venimus, et electionem factam domino regi praesentavimus, ille gra-„tia laicorum immutatus, non sperata benignitate nos audivit, nec „causam nostram manutenuit, et tandem a domino Albanensi promis-

(a) Guillelmus.
(b) Ap. Honth.: Geberhardum, sed false.
(c) In cod. Eberh. Clus. ita legitur: obligati eramus episcoporum, scilicet Metensis et Albanensis, satisfacere, istos audire renuentes &c.
(d) Ibid hic interponuntur: dominum Alberonem.
(e) Quae nunc sequuntur usque ad verba: in choro &c. non leguntur ibid.

„sionis supradictae commonitus, coram omnibus episcopis et principi„bus, qui praesentes erant, nunquam se domino Albanensi vel Metensi „promisisse testatus est, quod aliquam de eligenda illa persona bo„nam voluntatem habuisset, nisi per assensum et concordiam omnium, „tam laicorum quam clericorum, fieri potuisset (a). Sic confusi et „frustrati ab eo recedentes, ubi domum venimus, omnem fere clerum, „praeter nos, qui electionem feceramus, a nobis discordantem inve„nimus; et quotiens eos alloquimur et confortare tentamus, claustro„rum destructionem, praebendarum suarum direptionem et ipsius vitae „periculum nobis praetendunt (b), et omnium istorum malorum nullum „se invenire conclamant remedium. Majestatis igitur tuae provoluti „pedibus, per caritatem Jhesu Christi obsecramus, ut cito regis fa„vorem, quem dominus Albanensis et Metensis nobis promiserant, ac„quiras: alioquin vero restat, ut vel primum electum nostrum, domi„num videlicet Brunonem (c), nobis reddas; vel, salva tuae paternita„tis gratia, aliam nobis necessario incumbit eligere personam, in qua „et cleri et populi concordent vota. Non equidem tam nos movent „mala, quae ipsi (d) sustinemus, vel sustinenda exspectamus, quam fre„quens fratrum nostrorum, clericorum, monachorum, sanctimonialium, „orphanorum et viduarum ejulatio et quaerimonia, qua se omnibus „periculis, culpa nostra expositos, misere conqueruntur."

Ut autem ex tenore hujus epistolae perpendere potes, laici, tam liberi quam ministeriales, electioni hujus personae se opposuerunt; inter quos Lodoycus quidam Burggravius (e), id est, praefectus urbis, homo de familia ecclesiae (f), omnium clericorum, qui huic electioni contradicere nolebant, domos irrupit, et omnia bona eorum rapuit, immo, quod crudelius est, excellentiores totius ecclesiae cleri-

---

(a) Fieri potuisset: non legitur ibid.

(b) Ibid.: praetendebant.

(c) Brunonem, comitem Montensem, de quo Novillanius in catalogo abbatum S. Maximini ad annum 1135. haec notat: „Bruno ante Alberonem electus fuit in archi„episcopum, sed ipse omni nisu, maxime causa inopiae Trevirensis ecclesiae, renuit." Vide infra plura de hoc Brunone.

(d) ipsi: deest ap. Honth.

(e) Burggravius: non legitur in cod. Eberh. Clus.

(f) de familia ecclesiae: etiam deest ibid.

cos, et altioribus dignitatibus decoratos, Metim ad requirendum electum properantes, apud pontem Conchis (a) per insidias ceperat, et equis et vestibus ablatis, horrendum dictu! nobiles personas etiam diris ictibus atque percussionibus perturbaverat (b).

Sed neque pigrum est, nomina eorum memoriae commendare, qui libertatem ecclesiae defendere conati sunt. Hi autem fuerunt viri strenui, et in tribulatione probati, et in fide constantes: Godefridus, majoris domus praepositus, Folmarus decanus, Arnulphus archidiaconus, Theodoricus et Bolso archidiaconi, dominus quoque Hillinus, adhuc eo tempore subdiaconus, qui proximo loco praedicto domino Alberoni in sedem archiepiscopalem successit, et dominus Bruno, tunc Confluentinus praepositus, postea vero Coloniensis archiepiscopus, frater comitis Adolfi de Monte, quem ejus tribulationis tempore Trevirenses, antequam dominum Alberonem denominassent in archiepiscopum, omnes unanimiter elegerant; sed ipse multo labore a domino Innocentio papa absolutionem impetravit, quasdam latentes causas praetendens. Dicebatur autem, quod ambitione ditioris, licet dignitate minoris, episcopatus, hunc noluerit oblatum honorem recipere, quod etiam ipse satis fecit probabile; parvo enim interposito tempore, ipse in Francia ad studium existens, cum Colonienses quendam Godefridum, Xanctensem praepositum, communi cleri et populi consensu (c) elegissent; hac fama comperta, statim reversus est, et eandem cassari cum fecisset electionem, eundem accepit episcopatum (d).

CAPUT LXXXII.

His itaque hoc modo se habentibus, contigit, apud Remensem civitatem colligi concilium (e), cui praesidebat dominus Innocentius papa II., ad quod concilium praedictus dominus Albero et aliqui clerici Trevirenses, diversis studiis, convenerunt: isti enim, ut electum

---

(a) Prope Concionacum (h. Conz) ad Saravum fluvium.

(b) Adde illa, quae de hoc Ludovico ultra leguntur in cap. subsequente.

(c) communi cleri et populi: deest in cod. Eberh. Clus.

(d) Ibid. legitur: gaudens suscepit.

(e) Anno 1131. celebratum est Remense concilium, mense Octobri.

suum eis reluctantem coactione domini papae obtinerent, nitebantur; ille vero absolvi ab hoc onere, et dignitates et ecclesiastica beneficia, quae propter inobedientiam suam amiserat, recuperare laborabat: praedictus enim Innocentius papa, cum post ejus saepius iteratam jussionem hoc onus declinaret, eum ab omni officio et beneficio ecclesiastico (a) suspendit.

In hoc itaque concilio dominus papa rapi sublimem (b) eum praecepit, atque pluviali indutum inter archiepiscopos collocari, ducensque Viennam, et adhuc pro absolutione laborantem in archiepiscopum consecravit. Hujus rei fama cum ad Treviros pervenisset, Lodoycus, praedictus Burggravius, conjurationem fecit, quod si unquam dominus Albero civitatem Trevirorum intraret, morti eum traderent; et ipse Lodoycus juramento tali addidit, quod ipse futurus esset primus, qui in illum irrueret. Causa autem, propter quam praedictus Lodoycus se opponebat in tantum domino Alberoni, haec erat (c): dominum Godefridum archiepiscopum suis artibus in tantum sibi subegerat quod dicebat, se in beneficio tenere palatium atque omnes reditus episcopales in illud deferendos, et quod ipse pascere deberet episcopum cum suis capellanis, et cetera omnia ad episcopatum pertinentia de suo esse beneficio; ad episcopum autem dicebat pertinere missas et ordinationes clericorum, et consecrationes ecclesiarum celebrare; sui vero juris dicebat esse, terram regere omniaque in episcopatu disponere, et militiam tenere. Unde per singulos dies ad prandium episcopi sextarium vini et duos sextarios cerevisiae amministrabat; ipse vero cum multitudine hominum in mensa sua, quasi magnus princeps, cotidie epulabatur splendide; stipatus caterva militum ubique incedebat, et omnibus modis toti terrae principabatur.

Inde evenit, quod praedictus episcopus tantum odium incurrit omnium (d) clericorum, eo quod ipse, spernens consilia et familiaritatem totius cleri, soli laico totum se dedisset, quod ad depositio-

---

(a) ecclesiastico: non legitur in cod. Eberh. Clus.
(b) sublimem: etiam deest ibid.
(c) Ibid.: Iste enim Lodowicus praedecessorem Alberonis archiepiscopum &c. Godefridus autem erat praedecessor Megineri.
(d) omnium: non legitur ibid.

nem ejus coeperunt laborare (a). Ipse autem paupertate oppressus, coram adversariis suis succubuit; praedictus enim Lodoycus non tantum pecuniam, sed omnem quoque sapientiam et rationem ejus exhauserat; in utroque (b) enim deficiebat, ut fieri assolet, quotiens aliquis, qui publicis utilitatibus invigilare debet, tanquam ignavus inerti desidia torpere volens, omnem curam et sollicitudinem suam in alium projicit, nec de se, nec de alio volens esse sollicitus. Dicitur enim in proverbio: Manticam clienti committas, sed prudentiam consilii tui penes te ipsum reserva. Ob similem quoque causam Hildericus, rex Francorum, a regno depositus est; et ei, cui ipse commiserat regendum, datum est, Pipino scilicet Majori-Domus, domino papa Adriano approbante (c). Et quoniam Alberonem, virum acris ingenii, et in omnibus providum, et sibi non futurum obnoxium praesciebat Lodoycus, et quia non ferre dominum, sed dominare didicerat, ideo se ipsi opponebat. Sed visne hujus rei audire finem? audi: Nec juga taurus amat; quae tamen odit, habet (d). Hac enim conjuratione comperta, dominus Albero archiepiscopus, cum prius tanquam episcopalis officii onus subterfugiens, sese a commissa sibi civitate subtraheret, nunc haud aliter quam fluvius, qui obice clausus, cum prius silenti tractu quietus incederet, obstaculi quasi indignans oppositionem, strepitu tumultuanti undisque spumantibus littora fatigat claustraque disrumpit, ut vir inexpugnabilis et imperterritus, collecto multo milite Trevirim adiit. Cui clerici ad Albam portam (e) cum solemni processione obviantes, honorifice cum hymnis et laudibus studio magno eum susceperunt. Lodoycus vero et sui conjurati, similiter ei occurrentes, cum vidissent, eum tam magna manu militum stipatum, obstupescentes et mente confusi, pacem statim simulaverunt,

(a) Quae nunc sequuntur usque ad verba: et quoniam &c.: etiam non leguntur ibid.
(b) mente enim: ap. Honth.
(c) Melius dixisset scriptor: Papa Zacharia approbante.
(d) Hic locus non legitur in cod. Eberh. Clus.
(e) Allthor vero usque ad nostra tempora germanico idiomate adpellata. Non erat antiquitus porta Romana, sed tractu temporis in thermarum Romanarum ruinis exstructa est. Apud scriptores nostros medii aevi videtur alba porta ad contrapositionem illius nigrae portae accepisse nomen.

et inter omnes primus Lodoycus ad salutandum blanda et humili voce ad dominum suum festinavit, et ad ejus osculum accessit.

CAPUT LXXXIII.

Praetereundum non est, quod cum dominus Albero archiepiscopus venisset Aquisgrani (a) ad curiam imperatoris, Lotharius rex noluit eum investire regalibus, eo quod ante recepisset consecrationem episcopalem, quam suam requisivisset investituram; et omnino, ut credebatur, rex se ei opposuisset, nisi quod ipsum talem virum esse sciebat, qui facile totum orbem (b) sui imperii contra ipsum commoveret (c); unde et levem satisfactionem ab ipso recepit. Cum enim ex communi consilio principum juramentum regi obtulisset, quod non ad diminutionem sui honoris hoc factum esset, sed a domino papa (d) coactus ad consecrationem accessisset, dominus rex juramentum ei remisit, et regalia sceptro regni ei concessit. In eadem quoque curia Lotharingiae ducem Symonem (e), fratrem regis, excommunicatum pronunciavit, et in die sancto paschae, dum legeretur Evangelium, eum exire ecclesiam compulit (f). Nec hoc silentio dandum, quod, cum acceptis regalibus idem archiepiscopus Albero Treverim intraturus esset, inter omnes reditus episcopales non potuit tantum reperiri, unde prima die posset ei servitium praeparari; omnia enim ad episcopatum pertinentia aut oppignorata erant, aut praedictus Lodoycus et sui conjurati ea se in beneficio tenere dicebant. Eapropter dominus archiepiscopus aliquid contra paupertatem providens, a domino

---

(a) Lotharius Imperator anno 1132. Aquis Pascha celebravit (Annal. Saxo.).

(b) Alii legunt: m u n d u m.

(c) Eum T r i t h e m i u s dicit hominem, secundum saeculi aestimationem, prudentem et magnae apud hujus mundi optimates reputationis; B r o w e r u s eum praedicat virum magni et celeberrimi in regno nominis, ac prudentia usuque rerum incomparabilem.

(d) Male ap. Eccardum: s i a domino papa &c.

(e) Natum Theoderico duce et Hadwide vidua Gebhardi de Supplenburg.

(f) Addit B r o w e r u s lib. 13. Annal. Trev.: „Nec Simon ante vinculis exsolvi potuit, „quam Romam profectus, ipsi Pontifici causam suam exposuit." Attamen absolutus est in conventu episcoporum, eodem anno (1132) apud Theodonis-villam habito. Vide Tom. 4. Anecdot. pag. 135. sq.

papa Innocentio impetraverat, quod reditus ecclesiasticos, quos ante episcopatum tenuerat, per spatium trium annorum ei tenere concessit. Cumque vinum et annona sua, et cetera ad victum suum pertinentia, secundum antiquam consuetudinem, in palatium deferrentur, praedictus Lodoycus omnia includens, non nisi quantum sibi placebat, sicut cum antecessoribus suis consueverat, ei per singulos dies distribuebat; cetera vero ipse cum suis expendebat. Quod cum dominus archiepiscopus aliquando tolerasset, ille Lodoycus in tantum patientia ejus abusus est, quod quadam die in postmeridiano, cum extranei quidam ad curiam venissent archiepiscopi, et ipse, ut consuetum est, curiis juberet propinari, et cum venissent ministri ejus ad palatium pro vino; procurator Lodoyci respondit, nihil se illis dare, nisi dominus Lodoycus praeciperet. Haec et his similia cum ipse Albero saepe passus esset, tandem visum est ei hoc malum intolerabile. Eapropter Palatiolum, Julii Caesaris castrum, juxta civitatem situm, eo tempore situ et vetustate dirutum et inhabitabile multis sumptibus restruxit, et victualia sua illuc deferri jussit (a); et tunc sarcasmum talem protulit: Nunc habeat Lodoycus suum palatium. Postea vero per triennium mansionem ibi faciens, studium suum ad hoc omnino adhibuit, ut reditus episcopales absolutos faceret, et curiam Lymbach (b) pro trecentis marcis redemit, quam praedecessor ejus dominus Meinherus invadiaverat; et cetera fere omnia ad episcopatum pertinentia redemit, a domino Godefrido aut invadiata, aut in beneficium data.

Tandem Lodoycus Burggravius, vacuum suis sumptibus servans

(a) Quidam codd. mss. hocce loco interponunt: „Stephanum Metensem episcopum, de quo „superius mentionem fecimus, qui tribus antecessoribus suis, Brunoni videlicet, Gode-„frido et Meinhero, respuebat subjectionem exhibere, coegit obedientiam sibi et sub-„scriptionem facere.

(b) Al.: Humbach, Humahe. Honth. legit: Limbach, addens notam: apud Bliessam amnem. Sic quoque scribit cod. Trev. ms. N°. 1462.: Hic Albero cathedratus curiam Lymbach &c.

Hocce loco editio Mart. Gesta Alberonis incipit his verbis: „Isdem archiepiscopus „studium suum ad hoc omnino adhibuit &c.“ Capita praecedentia desunt. Abrupte cadit haec editio in hanc narrationem.

palatium, ad tantam devenit humilitatem (a), quod ad Palatiolum veniens nudis pedibus, in laneis, ad pedes se provolvit archiepiscopi, misericordiam petens et palatium resignans.

His diebus dominus archiepiscopus multa colligendo, factus est valde habundans in rebus, et cottidie succrescens ad quaedam magna, quae mente gerebat, praeparationem faciebat (b). Abbatiam enim sancti Maximini, ex antiquis privilegiis ecclesiae suae in fundo beati Petri sitam (c), et de jure antiquo ad suam pertinere dispositionem intelligens, omnino animum apposuit, quomodo eam de potestate regis eriperet (d) et suae ecclesiae restitueret. Propter quod in expeditionem Italicam cum rege Lothario profectus est cum centum militibus secundum aestimationem, sed secundum veritatem cum sexaginta septem, pulsoque Rogerio (e) rege Siculo de finibus Apuliae, quam occupaverat, dataque ea Remaldo (f) duci, et recuperatis beati Petri regalibus; cum imperator reverteretur, in valle Tridentina communi mortalium sorte in fata lapsus est. Ipse autem dominus archiepiscopus a domino papa Innocentio legationis officio decoratus (g), cum

---

(a) humiliationem: cod. Eberh. Clus.

(b) Undique corrasit, sibi quod mens utile suasit,
Et nec coenobiis propriis hac parte pepercit.
Unde ecclesiam S. Eucharii sanctique Mathiae
Apostoli nimis attrivit nimiumque gravavit.
Haec addunt codd. S. Math., S. Agn. et Eberh. Clus., Alberoni minus faventes.

(c) Vide notas nostras ad hoc cap. ad calcem voluminis.

(d) Quot et quantas discordias haec exemtio inter archiepiscopos Trevirenses et monachos S. Maximini atque comitem Luxemburgensem, hujus monasterii advocatum, causaverit; de hoc plura extant exempla in Gestis Trevir., sub regimine praesertim Philippi Christophori anno 1633. sqq.

(e) Quidam legunt: Rogerico. — Al.: rege Sicelio. — Cod. Eb. Clus.: Rogerico Siciliae. — Edit. Honth.: Rogerio rege Sicelio.

Ad hunc locum legatur epistola Alberonis ad Innocentium Pontificem de an. 1134. vel 1135., quam scriptor noster non refert, sed quae inter epistolas S. Bernardi et in Honth. Hist. Trev. dipl. I. p. 540. impressa est. In hac epistola consolatur Papam de amissione urbium Beneventi et Capuae, quas Rogerius, rex Siciliae, occupaverat, significans, ecclesias Germaniae et Galliae ei esse devotas, et Regem Lotharium parare exercitum contra Rogerium.

(f) Al.: Rainaldo, Reginaldo. Conf. Ottonem Fris. L. 7. Chron. c. 20., et Joh. de Ceccano in Chron. fossae novae ad an. 1137.

(g) Vide Honth. Hist. Trev. dipl. I. 536. et Günth. Cod. dipl. I. num. 116.

reverteretur, ad montem Romaricum (a) perveniens, audivit fama referente, quod comes Otto de Reneka (b) ex acie regis ab Italia mandaverat fratribus duobus Guarnero (c) et Joanni de Nantersburch (d), quod castrum suum Arraz per insidias caperent, et hoc effectui fore mancipatum. Cumque post multos labores quietem sperasset, et nunc (e) denuo videret, tot tantasque sibi imminere curas, animum viriliter contra adversa obfirmans, per coronam suam juravit, se nunquam barbam suam rasurum; nisi et castrum suum Arraz prius recuperasset, et illorum fratrum, Guarneri scilicet et Joannis, Nantersburch (f) destruxisset. Colligens quoque (g) omnes Tullensis et Metensis terrae principes, cum magna militia Treverim pervenit, et utrumque castrum, Arraz scilicet et Nantersburch, simul obsidione cinxit, et Nantersburch destructo, atque Arraz recuperato, cum triumpho magno Treveris reversus est.

Taciturnitati quoque denegandum videtur, quod praedictus dominus Albero, ab eadem expeditione revertens, praedecessoris sui archiepiscopi Meinheri reliquias (h) Parmae per vim abstulit, et Treverim secum attulit, et in ecclesia Treverensi apud Brunonem tumulavit (i). Praedictus enim dominus Meinherus Conradum, postea regem, cum Lothario esset superpositus, ut vir magnanimus excommunicavit; unde pro negotiis ecclesiae suae ipsum Romam properantem idem dominus Conradus, postea rex, cepit, et Parmae pro magna pecunia loco pignoris posuit, ubi etiam in carcere defunctus est (k). Idem autem Conradus, tunc superpositus rex, in praedicta expeditione, Lothario regi reconciliatus est, et domino Alberoni archiepiscopo,

---

(a) h. Remiremont.
(b) Ryneck: cod. Eberh. Clus.
(c) Codd. S. Math. et Eberh. Clus.: Wernero.
(d) Ibid.: Nantirsburch — Nantisburch. Cod. Trev. ms. N°. 1462 scribit: Nentersperg (prope Lutzerath, notat Honthemius). — Ap. Mart.: Ventirburg.
(e) Al.: et ne &c.
(f) Cod. Eb. Clus. addit: castrum.
(g) Quidam codd. legunt: vero.
(h) Meginheri corpus: Mart.
(i) Plurimi codd. mss. et edd. haec verba: et in ecclesia Trev. &c. non habent.
(k) Vide supra cap. 76.

quia penes eum regni videbat robur et mentem existere, sese familiaritate magna et servitio adjunxit; et tanta tunc conjuncti sunt amicitia, quod post obitum Lotharii imperatoris omni studio dominus Albero elaborans, contradicentibus fere omnibus regni principibus, eum in regnum sublimari procuravit. Effecit enim magna sua industria, quod dux Fridericus, frater Conradi regis, et Bochus, Wangionum episcopus, cum ipso Conrado ad colloquium suum Confluentiam (a) convenerint. Ad quod colloquium Coloniensis archiepiscopus Arnoldus occurrit; et tandem post multa consilia dominus Albero archiepiscopus Conradum in regem elevavit et Aquisgrani cum magna deducens multitudine, regali unctione confirmavit in regnum (b). Postea cùm Saxones cum duce Heinrico, Lotharii regis genero, diem et locum Conrado regi Heresveld (c) praescripsissent, ut belli discrimine decernerent, utrum regnare recte inciperet (d), nec ne, et dominus archiepiscopus se venturum cum XX. militibus cum promisisset, quingentos adduxit milites, et triginta vini carratas, et immensam copiam victualium (e) secum advexit, carris fere opinione infinitis. Ibi Albertus Junior, tunc Mogontinus episcopus, omnimodis laborabat, ut ad majorem discordiam hoc malum excresceret. Ipse autem dominus Albero Dei adjutorio elaboravit, quod in pace ab invicem separati (f) sint, cum tamen multa millia magno odio ad pugnandum convenissent.

(a) Idus XXII. Februarii (1138.): sic Dodechinus ad hunc annum. Conf. Conr. Urspergensem p. 292., qui addit: praesente Theodewino episcopo cardinali (qui natione et ipse Suevus erat). — Bochus (al. Bacus) rectius designatur nomine: Burchardus de Ahorn. — Conradus Rex Aquisgrani a Theodwino cardinali episcopo, quod Coloniensis archiepiscopus adhuc pallio careret, cooperantibus tamen Coloniensi et Trevirensi archiepiscopis, Dominica tertia Quadragesimae, quae tum in VI. diem Martii incidit, in regem unctus est. — Conferantur Otto Fris., Annal. Saxo et Dodech. ad h. annum.

(b) Honth. legit: in regem.

(c) Hersueld: cod. S. Agn.

(d) Quidam codd.: juste regnare. Edit. Mart.: juste regnare incoepit.

(e) Honth. false legit: copiam metallium. Cod. Trev. ms. N°. 1462 habet: „Cum „dns Albero Conrado regi XXX. milites adjutoriales promisisset, cum quingentis et „triginta novem carratis vini et victualibus multis advenit.“

(f) Quidam codd.: divisi ab invicem sunt.

Ipse vero archiepiscopus Albero, omnibus in pace compositis, singulis principibus singulas misit vini karatas (a), et maxime Saxonibus. Et notanda in hac re subtilitas ingenii domini Alberonis (b): perpendit enim, plus conferre ad victoriam atque ad animos accendendos virorum vini copiam et aliorum victualium, quam multa millia famelicorum.

CAPUT LXXXIV.

His omnibus ita peractis, abbatiam sancti Maximini, pro hoc atque aliis servitiis, a rege Conrado accepit. (c). Patronatum enim praedictae ecclesiae, quam rex longo tempore tenuerat, ipsi rex restituit. Hac re per famae volatilem auram comperta, monachi, qui tunc temporis in ecclesia praedicta valde enormiter vixerant, omne argentum et aurum, quod in diebus illis in monasterio illo multum habundabat in textis tabulis, imaginibus variisque ornamentis, lapidesque pretiosos et gemmas (d), ante archiepiscopi reditum colligentes, comiti de Namurco, qui eo tempore terram de Lucelenburch tenebat, dederunt, ut arma auxiliaria eis ferret, et quia advocatus esset ecclesiae (e), dominium archiepiscopi et potestatem ab eis suis viribus removeret (f). Nunc opus est animis: nempe sese nobis insuperabilis offert materia, et quae non meum dissolutum stilum, sed magnum quempiam requirat poetam. Quis enim dictis aequare possit fortia facta hujus viri Alberonis atque suorum contra tyrannum praedictum, arte, ferro, flamma, fame, atque inexplicabilibus Martis casibus per

---

(a) karrata vini interpretatur apud medii aevi scriptores per onus carri, quantum carro vehi potest.

(b) Cantatissimum id secutus, ait Browerus noster, vino placabiles Germanorum iras, inveteratasque inimicitias, datis inter pocula dextris, obrui.

(c) Quidam codd.: recepit.

(d) „Verum ut novo praesuli (abbati Sigero), suaeqoe ecclesiae caverent, asportata ecclesiae pretiosiore supellectile, utensilibus etiam quibusdam confractis, ut facilius „transferrent, in diversa dispersi (monachi) cum privilegiis monasterii antiquioribus, „quorum non exigua pars eo tumultu periit." — Ex prologo Libri aurei ms. St. Maximini.

(e) Vide notas ad hoc caput ad calcem voluminis.

(f) Sequens scriptoris excursio panegyrica usque ad periodum, quae incipit: Sed nunc nihil aliud &c., in ceteris codd. non legitur, neque in edit. Mart.

septem annos decertantium? Haec viribus Homeri sufficiens esset materia, si tamen ipse materiae sufficeret. Quod si singulorum hinc inde facta virorum inclita, et in Martiis congressionibus varios belli eventus, et neque horum neque illorum cedentium vel impellentium diversas fortunas, poetica vellem arte simulare, vel secundum Historicorum peritiam, singula callida narratione renovando, tanquam ea ante oculos videas fieri, tibi, o lector, repraesentem: aut oneri, quod verum est, succumbere, aut non impar Virgilio vel Statio, Tito-Livio vel Josepho invenirer; quod si etiam sufficerem, non esset tibia tanti (a); minus enim esset hoc opere, propter quod fit opus. Sed nec puto, eum solum, qui hoc bene perficeret, minus laudandum, quam omnes eos, quorum gesta proprie expressisset. Sed nunc nihil aliud exspectes a me, nisi quod summatim singula perstringam, ne penitus aeterna oblivione deleantur.

Eo igitur tempore, cum vacaret ecclesia sancti Maximini pastore, elegerunt monachi abbatem monachum quendam de ecclesia Leodicensi, fratrem quorundam, qui consiliarii erant comitis Namurcensis; ideo ut illorum consiliis acrius in furorem suum comes cottidie accenderetur. Quem Romam magnis sumtibus ducentes, contra voluntatem domini archiepiscopi a domino papa Innocentio benedici fecerunt in abbatem. Et ammiratae sunt turbae de tam subita rerum mutatione (b), scilicet quod Romana ecclesia talem tantumque virum tam graviter molestavit, qui tot labores totque pericula pro ipsa sustinuerat, et qui tamen nuper in tanta gratia apostolicae sedis exstiterat, qui etiam pro papa Innocentio (c) Lothario regi in tantum se opposuerat in expeditione

(a) Sic clare in cod. nostro Trev. coaevo. Est fortasse locutio proverbialis. Honth., in sua edit. corrigere volens, legit: non essent tibi ea tanti.

(b) Vide notam ad hoc caput in fine.

(c) Legatur alia epistola Alberonis ad Innocentium de anno 1136., impressa inter epist. S. Bernardi et ap. Honth., in qua multa conqueritur, praesertim quod datus sit in opprobrium, non sine ipsius culpa Pontificis, qui non sinebat eum depravata corrigere; quod nactus sit duram provinciam, domum (cathedram Trevir.) exasperantem, populumque durae cervicis; quod suffraganeos acceperit juvenes et nobiles, qui adjutores deberent esse, sed adversarentur; tandem exclamat Albero: jus, fas, honestas, religio in nostris episcopatibus perierunt. — His querelis permotus Innocentius legatum eum an. 1137. instituit per Trevirensem, Moguntinum, Coloniensem, Salzburgensem, Bremensem et Magdeburgensem provincias.

supra dicta, quod ipse archiepiscopus et rex ab invicem non sereno animo discesserant. Praeterea tempore hujus guerrae, quae erat inter archiepiscopum et comitem, fratres de ecclesia Confluentina (a) eum quoque infestare coeperunt. Praepositum enim contra ejus voluntatem elegerunt, virum nobilem dominum Lodoycum de Ysenburch, cum quo Romam magnis expensis pergentes, litteras apostolicas retulerunt domino archiepiscopo suae voluntati valde contrarias. Quas cum domino archiepiscopo in synodo residenti obtulissent, ipse ex animi commotione ipsas ad terram dejecit. Unde apud dominum Innocentium papam accusatus, ab ipso est advocatus ad diem praescriptum. Et cum ad diem non venisset, episcopali est officio suspensus. Haec mala omnia venerunt simul super illum, et de omnibus his liberavit eum Dominus. Romam enim veniens effecit, quod abbas sancti Maximini obedientiam ei promisit, et juramento ei fidelitatem fecit, et electionem Confluentinorum cassavit. His absolutis, ad comitem redeamus.

CAPUT LXXXV.

Comes (b) itaque in principio hujus discordiae, ex improviso, antequam domino suo fidelitatem contradixisset, cum mille quingentis militibus, Treverensi appropinquabat civitati; et Treveri non erant praemuniti, nec vallo nec muro adhuc cincti, et longa pace bello dissueti, et ipse archiepiscopus aberat, in curia regis existens; potuissetque civitatem tunc multum gravasse, si Deus hoc malum non avertisset. Sed comes Fridericus de Vianna (c) tunc forte fortuitu erat in civitate et occurrens Namurcensi, multis persuasionibus eum redire fecit, demonstrans, magnam fore ipsi et perpetuam infamiam, si quid tale contra dominum suum committeret, antequam domino suo renuntiasset; praesertim contra majestatem regiam hoc fore, si archiepiscopo ex mandato regis in curia commoranti malum aliquod infer-

(a) S. Florini, anno 1142.

(b) Henricus, cognomento Coecus, comes Namurcensis, qui duxerat filiam Conradi Luxemburgensis, et Luxemburgensem comitatum adeptus est an. 1136.

(c) Al.: Vienna (Vianden). Vide ad calcem voluminis notas nostras ad hoc caput.

ret. Reversus autem a curia archiepiscopus, omnibus modis ad pacem coepit laborare et comitem a coepto revocare furore. Ille autem per episcopatum incendia, rapinas, caedes exercebat (a). Tandem archiepiscopus coepit sese defendere. Et quia nunc ad finem propero, multa pertransiens, summam gestorum hanc colligo.

Rodolfi-Montem (b) bis cinxit et secunda obsidione destruxit; castrum scilicet, quod omnibus modis insuperabile videbatur. Novum-Castrum (c), quod Mercurii-Mons dicitur, aedificavit, timens, ne Namurcensis montem illum occuparet, quod quasi in corde terrae suae erat. Mandersceat (d) castrum, natura loci munitissimum, cepit et usque ad obitum suum retinuit. Garlandam, Zolveram cepit (e) et XXX. munitiones comitis Namurcensis aut cepit, aut destruxit. Epternacum quoque cepit, in quo comes militiam tenere solebat. Sed inter primam et secundam Rodolfi-Montis obsidionem, bello congressi sunt archiepiscopus et comes in aperto campo, quod tale fuit: cum primo archiepiscopus Rodolfi-Montem obsedisset, comes Palatiolum (f) invasit, et ignem in ecclesiam sanctae Martae injiciens, munitionem quoque archiepiscopi cremare sperabat. Quae fama cum ad archiepiscopum pervenisset, subsidione soluta, tota nocte properavit cum militia sua, ut improviso hosti superveniens, inopinato terrore concusso, suas vires ostenderet. Comes vero per exploratores ejus praesentiens adventum archiepiscopi, in fugam conversus (g), nocte illa in villam episcopi Witelich se recepit; equos et homines reficere volens, et nihil reperiens, villam totam concremavit. Et inde transiens, cum juxta abbatiam, quae (h) Claustrum dicitur, pausare vellet et panem frangeret, famelicus enim erat, exercitus archiepiscopi

---

(a) Tacet auctor noster, Comitem idcirco cum tota sua terra a Romana et Trevirensi ecclesia anathematis sententia obstrictum; quod tamen ex litteris Conradi Regis constat.

(b) Al.: Rodolfsbergh,

(c) Vide notas nostras ad hoc caput.

(d) Hodie Manderscheid. — Vide ad calcem notas nostras ad hoc caput.

(e) Vide notas in fine.

(f) Juxta Mosellam infra Treviros, ut jam supra notavimus.

(g) Codd. S. Math. et Eberh. Clus.: versus.

(h) Scilicet Himmerode. Vide notas nostras ad hoc cap.

jam sibi imminere pronuntiabatur (a); et ipse velociter cum suis fugam arripiens, cuidam de fratribus ad se vocato per adjurationem contestans (b) injunxit, ut archiepiscopo se insequenti haec verba referret (c): **Deus non meliorem diem vel noctem ei, archiepiscopo scilicet, concedat, quam duos dies et duas noctes continue habui: qui, cum duobus diebus jejunaverim, etiam tertio die de pauxillo panis me vellem refocillare, ab eo non sum permissus.** Consequens ergo archiepiscopus comitem, cum eo pugnam acrem commisit; comesque terga vertens, beneficio velocis equi vix auffugit, suorum plurimis captis, multis etiam caesis. Indeque archiepiscopus ad Rudolfi-Montem revertens, ut supra dictum est, ipsum destruxit (d). Tandem comes omnibus viribus deficiens, per regem Conradum, in expeditionem Hierosolymitanam tunc iturum, apud Spiram, gratiam domini archiepiscopi multo labore multisque conatibus requisivit, et cum magna difficultate impetravit (e): jurisjurandi religione confirmans, quod pro hac causa contra ecclesiam Treverensem, de cetero arma nullatenus ferret, et quod Rodolfi-Montem nec reaedificaret, nec reaedificari permitteret; et quod Mandersceat nunquam per vim vel extorsionem aliquam repeteret; Epternacum vero et cetera castra sive munitiones ejus dominus archiepiscopus comiti reddidit, et de beneficiis, quae in casamento (f) comes plurima tenuerat ab ecclesia Trevirensi, archiepiscopus ea reddidit, quae tempore hujus discordiae suis non dederat fautoribus; sicque et abbatiam obtinuit (g) et de comite gloriosam victoriam. Post haec alia quoque

---

(a) Praefati codd. et ed. Mart.: praenuntiatur.

(b) Cod. S. Math. et S. Agn.: contestatus.

(c) Ibid. additur: ex sui parte.

(d) Quaedam hic interposita sunt in praefatis codd. et ap. Mart., quae sunt hujus argumenti: „Tandem comes fatigatus atque coarctatus multis periculis, nam sibi commissa „privavit eum comitiva, supplex veniens ad archiepiscopum, pacem et concordiam cum „eo firmavit, et haec praesul concessit ei corde benigno.“ Quae vero sequuntur in textu codicis nostri, N°. 4 sign., a verbis: Tandem comes &c. usque ad finem capitis, omnino desunt ibidem.

(e) Anno 1147., pacis interprete S. Bernardo Clarevallensi.

(f) Casamentum dicitur feudum a casa dominica dependens.

(g) In cod. Eberh. Clus., in quo et hic quaedam omissa sunt, ita legitur: „sicque idem „Albero et abbatiam sancti Maximini obtinuit.“

multa perfecit; Arraz enim castrum suum Fridericus comes de Vianna, cum unius turris custos ab archiepiscopo esset constitutus, totum sibi usurpaverat, et rapinas multas in flumine Mosellae exercebat, quod iterum recuperans, comitem Fridericum inde ejecit. Post haec omnia multum exhaustus propter magnas et varias expensas, quas in guerra fecerat, pacem de cetero habuit; quia post haec nemo bello ipsum lacessere attentavit; et plurima denuo recolligens, palatium suum et omnia castra sua multo vino et omnium victualium genere implevit; ne, si quis eum iterum injuria aliqua provocaret, imparatus inveniretur.

CAPUT LXXXVI.

In diebus illis contigit, dominum papam Eugenium (a) in Franciam venire; cui ipse archiepiscopus Albero Proviniaco (b) cum occurrisset, pascha cum ipso Parisius celebravit, et ibi ecclesiae suae privilegia, et de primatu ecclesiae suae et de abbatia sancti Maximini, renovando roboravit (c); ibique a domino papa et a rege Franciae Lodoyco (d), atque a comite Theobaldo (e), valde decentibus donis honoratus est; indeque recessurus dominum papam ad domum suam invitavit (f). Clericum quoque quendam Baldricum nomine, juvenem

---

(a) Eugenium III.

(b) Forte Privignum oppidum, ait Browerus. Proviniacum, Pruvignum, Theobaldi comitis, de quo infra sermo est, celebre castellum (h. Provins). — Honth. legit: cui ipse primus cum occurrisset &c., sed male.

(c) Eugenii bullam ea de re vide in Hontb. Hist. Trev. dipl. I. pag. 556.

(d) Ludovico VII.

(e) Theobaldo, comite Palatino, Blesensi, Carnotensi ac Trecensi. Theobaldus hic, cognomento Magnus, filius Stephani comitis et Adelae sororis Henrici I., Angliae Regis, erat.

(f) Cod. Eberh. Clus. legit: ad dyocesin. In Chronico S. Maximini ad annum 1148. legimus: „Hic Adelbero fuit admodum familiaris divo Bernardo, qui Eugenium III. „Pontificem cum 18 cardinalibus ex Italia eduxit Treverim; quem cum suis aliquot men„sibus sustentavit, idque anno Domini 1148., sicut et Eberhardus, praedecessor ipsius, „Leonem IX. anno 1046." — Sic et cod. Trev. ms. N°. 1462. scribit: „Anno dni. „M. cxlviii. (sed verius exeunte anno 1147.) cum XVIII. cardinalibus, episcopis et aliis „multis Treverim venientem (Eugenium) per XII. ebdomadas continuas propriis ex„pensis laute sustentavit."

aetate, de episcopatu Leodiensi ex castello Florinensi ortum (a), cum audivisset in curia domini papae causas dicentem, et saepe apposite perorantem, secum a Parisius Trevirim adduxit, et Magistrum scholarum in domo S. Petri (b) constituit; et quamdiu vixit, valde eum charum et familiarem habuit.

Nec longo interjecto tempore praedictus rex Franciae et filius Theobaldi comitis Henricus transitum habuerunt per villam S. Arnualis (c), quod dominus archiepiscopus praesciens, servitium utrique seorsum tam grande et tam magnificum transmisit, quod ipsis nec praescientibus ex improviso dum offerretur, valde sunt admirati.

Eodem vero anno (d), Dominica qua cantatur: Ad te levavi, dominus papa Eugenius Treverim venit, sicut invitatus a domino archiepiscopo fuerat, et sabbatho ante praedictam Dominicam in ecclesia sancti Eucharii honorifice hospitatus est. In ipsa autem Dominica cum maxima veneratione a clero et populo cum inconsuetae processionis ornatu (e), atque recordabili solempnitate in templum est introductus (f), conducentibus eum a dextris domino Alberone, a sinistris vero Arnoldo (g), Coloniensium archiepiscopo; praecedentibus vero multis episcopis Germaniae, Belgicae, Franciae, Angliae, Burgundiae, Lombardiae, Tusciae, et ex omni natione, quae sub coelo est. Sed nec cardinales enumerare piget (h), qui cum domino papa

---

(a) Idem ille Baldericus, qui scripsit Gesta Alberonis archiepiscopi.

(b) i. e. in ecclesia cathedrali.

(c) in Lotharingia.

(d) In codd. S. Math., S. Agn., et in ed. Mart., in quibus praecedentia hujus capitis omissa sunt, legimus:

„De adventu Eugenii papae tertii Treberim, et de consecratione ecclesiarum sancti Eucharii sanctique Paulini.“

„Anno dominicae incarnationis millesimo centesimo quadragesimo octavo, dominica „&c.“ — Fuit autem dominica prima adventus, die 30. Nov. an. 1147. Trith. hoc factum refert ad annum 1150., sed omnino false.

(e) In cod. S. Math. legitur: armatu; manus aliena superscripsit: ornatu. Codd. Francof. et S. Maxim. legunt cumulative: vel ornatu vel armatu.

(f) Vide notas in fine ad hoc cap.

(g) Al. false: Arnulfo. Erat autem Arnoldus, ejus nominis secundus, de quo plura vide in epistolis Wibaldi, abbatis Stabulensis, T. II. Vet. Scriptor. et monum. ampliss. collect.

(h) Quidam codd.: pigebit.

Eugenio Treverim venerunt; viri enim fuere vultu, habitu, gestu, scientia et moribus honorabiles, et pro sua magna honestate immortali recordatione digni. Haec autem eorum sunt nomina, quae melius in libro vitae utinam scripta sunt (a): episcopi cardinales Albericus Hostiensis; Himerus Tusculanus; presbyteri Guido Summanus, Haribertus sanctae Anastasiae; magister Guidodens, vir valde literatus, legum et juris peritus; Julius S. Marcelli; Hugo Novariensis; magister Hubaldus (b); Gilbertus S. Marci; Johannes Papiro; ex diaconis autem vir nobilis genere Octavianus (c), et moribus nobilior, honestate et liberalitate notandus, specialis amator Teuthonicorum; Guido (d) Cremensis, vir alti sanguinis, valdeque curialis et honestus, dulcique eloquio; Odo bonae casae, mansuetissimus homo, ex Romanis ortus nobilibus, omnibus amabilis et pius; Johannes quoque sanctae Mariae novae, vir dulcissimae affabilitatis, sanctimonia morumque exornatione decoratus; Gregorius quoque sancti Angeli, vir ingenii vivacis, promptus et expeditus ad omnia, quae honestati et ecclesiae Dei utilitati conveniunt. Quid dicam de Jacincto (e), qui omnem jacinctum splendore suae virtutis vincebat, qui eloquii sui dulcedine omnes in amorem sui trahebat, quem audire atque videre, honestatem discere erat? Sed nec Guidonem tacebo Pisanum, virum prudentissimum et breviloquio notabilem (f).

His omnibus dominus archiepiscopus per XII. hebdomadas continue largitus est necessaria in tanta abundantia, quod ipsi quoque fatebantur, copiam pleno cornu venisse ad ipsos. Quid referam de supervenientibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, archidiaconis, praepositis, ducibus, comitibus, ad dominum papam Treverim venientibus, quorum ne unum quidem largitatis suae reliquit immunem?

(a) Praecedentia: viri enim &c. usque ad verba: episcopi cardinales &c. non leguntur in codd. S. Math. et S. Agn., neque in ed. Mart.

(b) Hubaldus, ad summum pontificatum elatus an. 1181., dictus est Lucius III.

(c) Octavianus, qui anno 1159. de papatu decertavit cum Alexandro III., a suis fautoribus Victor IV. appellatus est.

(d) Guido, in locum Octaviani suffectus an. 1164., Paschalis III. nomen accepit.

(e) Hyacinthus Bobo, qui an. 1191. Romanus Pontifex evasit, dictus est Coelestinus III.

(f) Observamus, in ceteris codd. neque cuncta haec nomina, neque ea eodem ordine et iisdem recenseri elogiis, quam in nostro codice Trevir. saepe laudato.

Natalis Domini solemnitatem tunc Treveris celebratam, quis ita dictis explicare queat, ut tu, qui non videris, intelligere vel imaginari possis? Quam putas pompam processionis in die sancto fuisse, cum dominus papa cum nacco equitans, praecedentibus cardinalibus et episcoporum multitudine, in equis albo coopertis, ad ecclesiam sancti Paulini processit, indeque revertens, missarum solemnia cum tanta populi frequentia peregit, quod in tota sancti Petri ecclesia nec spatium pedis vacuum reperire posses. Quid si dicerem, qualiter in die sancto, solemni peracto officio, ex una parte dominus papa cum suis cardinalibus, et ex opposita parte dominus archiepiscopus cum illis, qui illuc convenerant, episcopis, infulati in mensis ex adverso oppositis residebant? Qua arte aliquis tot et tantas computare queat expensas? Dicerem quidem, quod ante domini papae adventum, domum, quae papae dicitur, tria habentem interstitia secundum altitudinem, infra sex hebdomadas construxit, et domum, quae dicitur Jherusalem (a), fere destructam reparavit. Sed quamvis taceam, res ipsa loquetur et in memoriam revocabit (b). Ipsis diebus dominus apostolicus Eugenius, petente venerando abbate Bertolfo, consecravit ecclesiam **sancti Eucharii sanctique Mathiae Apostoli, in octavo Epiphaniae, hoc est Idus Januarii, in honore sancti Johannis Evangelistae. Huic autem consecrationi interfuerunt Albero, archiepiscopus Trevirensis; Heinricus, archiepiscopus Eboracensis; episcopi isti Albericus Hostiensis, Himerus Tusculanus, Hartvicus Gebenensis, Hemedeus Lositanus (c), cardinales, quosque supra diximus, abbates et principes quamplures hujus terrae, sed et populus infinitus; atque cum ingenti gaudio non solum urbis, sed, ut ita dicam, totius provinciae, haec dedicatio peracta est. Deinde post duas hebdomadas consecravit ecclesiam sancti Paulini dominus apostolicus II. Kal. Februarii.**

(a) Honth. legit: Betlem. — Variae monialium clusae in dioecesi dicebantur Bethleem, Jherusalem. &c.

(b) Quae hic sequuntur usque ad periodum, quae incipit: Nunc ad hoc &c., non leguntur in nostro cod,, quem sequimur, neque in ed. Honth. — Codd. S. Math., S. Agn. et edd. ceterae vero hunc locum habent, qui per scholasticum S. Mathianum Lambertum de Legia videtur interpositus.

(c) Rectius: Amedeus Lausanensis. — Eccardus legit: Nemedeus.

Nunc ad hoc transeo, quod dominus papa Eugenius a Treveris recedens, Remis celebraturus concilium (a), mediante Quadragesima (b), ibidem pervenit. Ad quod concilium dominus Albero archiepiscopus tam magnifice pervenit, quod omnium oculos in se et ora de se aperuit. In camerula autem de corio (c) facta, lineo panno intrinsecus decenter obducta, inter duos ferebatur equos, quod cunctis visu erat mirabile. Senectute enim jam laborabat, longisque fractus deficiebat laboribus. In hoc ergo concilio prior in ordine cunctis residens episcopis, relegi de primatu sedis suae plurima fecit privilegia super omnem Belgicam, Galliam atque Germaniam. Quibus auditis, Remensis archiepiscopus non mediocriter turbatus est. Unde et homines illius cum hominibus suis turbationem facientes, aliquos ex eis vulneraverunt. Quod ipse dominus archiepiscopus Albero valde ferens indigne, minabatur, Ivodio (d) se secessurum et Remensem vastaturum episcopatum. Tandemque ad hunc finem res est perducta, quod Remensis archiepiscopus cum Suessionensi ad hospitium ejus pervenit, et homines, qui hanc culpam commiserant, in ejus potestatem dedit.

CAPUT LXXXVII.

Eodem anno, mense Septembrio, cum palatinus Herimannus castrum Tris (e) occupasset et aedificiis firmasset, Otto comes de Reneka (f) castrum praedictum cum terra attinenti huic archiepiscopo et ecclesiae suae dedit, ut ipse illud recuperaret. Quapropter festi-

---

(a) Eugenius Papa, priusquam Treviris excederet, synodum habuit, quae male hactenus postposita fuit Rhemensi in vulgatis conciliorum collectionibus. De hac synodo Treviris an. 1148. habita, loquuntur Trith., Brow., Labbeus et Mart. Postremi duo plura colligunt (V. praefationem T. I. collect. ampliss. vet. script. per Mart. et Durand.), quae in ea synodo sint acta. Causam de S. Hildegardis doctrina, coenobii Montis S. Ruperti prope Bingiam praesidis, ibidem agitatam, Trith. et Brow. adjungunt.

(b) Anno 1148.

(c) Lectica, cujus tunc temporis usus, ut videtur, erat rarissimus. — Eccardus legit: decori, sed male.

(d) Id. habet: in odio, sed omnino false. Vide notam ad hoc cap. in fine.

(e) Treis.

(f) Cod. S. Math.: Reinnecca; cod. Eberh. Clus.: Ryneck (Reineck).

nus (a) castrum praedictum obsedit. Palatinus autem collectis omnibus viribus suis ad liberandum castrum venit; ad introitum silvae, quae castro adjacet, castrametatus est. Archiepiscopus vero ex opposita parte, acie instructa equitum peditumque, per tres dies ejus praestolabatur adventum (b). Illic videres galeas nitentes, loricas splendore diem superantes, clipeos corusco sole circumpositos montes illustrantes. O! quam intrepidos vultus virorum conspiceres! Quam impatienter moram hostis tardantis ferebant; quae praeludia militum cerneres pugnam simulantium in armis! Quam brevi spatio equum ferocem circumferri videres! Quales militum obviationes in equis, quali hastas fragore discindi perspiceres! Quales audires clamores horum insequentium, illorum terga vertentium! Qua arte simulatam attenderes fugam, quam subitas modo fugientium reflexiones, et praecipiti cursu versam fortunam eorum, qui jam sequebantur, terga impellentium! Ibi notares milites modo condensatos, modo subito sese aperire, incursantemque hostem ingeniose, quasi cedendo, in sinum recipere, reflexisque cornibus eum concludere: mille ibi artes, mille fallendi modos discere dabatur. Interim archiepiscopi explorator copias palatini perscrutatus advenit, qui illum jam adventantem et ad pugnam paratum pronuntiat. Tunc videres senem illum, jam toto defectum corpore, acies peditum ordinare, equites militari arte disponere, notos ex nomine singillatim appellare, de ignotis, qui sint, ita interrogare, ut ex ipsa interrogatione non solummodo notitiam, imo etiam familiaritatem tanti principis, sibi adquisivisse viderentur. Tunc exhortatoriam orationem, tenens crucem archiepiscopalem in manibus, coepit ad armatas acies tali modo (c) facere: „O vos amici beati Petri! „O sanctae defensores ecclesiae! qui hodie pro Deo atque pro justitia „mortalia corpora vestra hostili gladio opposuistis, nunc veniat vobis „in mentem beatus Petrus, cujus milites hodie existitis, credatis eum „cum magna sanctorum caterva invisibilibus clipeis hodie vos prote-

---

(a) festinus: deest in ed. Honth.

(b) Plura, et quidem memorabilia, nunc sequuntur usque ad verba: Tunc exhortatoriam &c., quae non leguntur in codicibus plerisque, neque in edit. Mart.

(c) Quidam codd. mss. addunt: verba facere.

„gere; certi estote de victoria. Respicite hoc signum crucis, hoc, „inquam, signum terribile adversariis Jhesu Christi. Haec est crux, „in qua Herimannus, comes palatii, mihi juravit fidelitatem (a), „die illa, qua advocatum ecclesiae nostrae ipsum constitui; die, qua „illas vires illamque potentiam ei contuli, per quam me modo infestat. „Tunc praedixi ei in hac cruce esse de ligno (b) Domini, in quo ille, „cujus haec sacrosancta refulget imago, de hoste humani generis tri- „umphavit, multorumque sanctorum venerabiles reliquias in hac cruce „indicavi contineri. Ipse vero palatinus tenens manum super hanc sanctam imaginem juratus est mihi in haec verba: Hunc Dominum, „hunc pro nobis crucifixum, do vobis, domine archiepis- „cope, fidejussorem, et juro vobis per ejus virtutem, „quod nunquam aliquid contra vos faciam, et quod in om- „nibus vestris necessitatibus cunctis viribus meis omni- „que potentia mea vobis fideliter assistam. Nunc ergo scia- „tis omnes, quod hunc (c) fidejussorem, Christum scilicet Dominum, „in hac sua sacra imagine portabo ante illum; ingeram eum oculis „illius; hunc sui juramenti testem illi demonstrabo. Sed nunc, o fide- „les Jhesu Christi, qui vitam et sanguinem vestrum pro defensione „ecclesiae suae offertis, praeparate corda vestra Domino, mundate „conscientias vestras, et quia non vacat, ut singillatim faciatis confes- „siones, generalem mihi pastori vestro facite peccatorum vestrorum „confessionem; et ego, potestate a Deo nobis tradita, faciam vobis „per officium nostrum indulgentiam et remissionem omnium delictorum „vestrorum, ut, si quis hodie ex hac temporali et incerta vita evoca- „tur, transeat ad meliorem vitam, scilicet aeternam."

Tunc cum accepisset omnium communem confessionem, indulgentia facta (d) et absolutione, benedictionem super eos faciens, ita omnes animavit, quod nec in uno signum timiditatis apparuit. Ipse vero archiepiscopus vexillum comiti Namucensi (e) commisit, crucem au-

---

(a) Crucis usus erat in juramentis advocatorum ecclesiarum.— Edd. habent: comes palatinus.

(b) Honth. minus accurate legit: signo.

(c) quod tunc: Mart.

(d) sancta: non ita bene ap. Eccard.

(e) Henrico, Lutzelburgi et Namuri comiti, Alberonis vexillario.

tem propriis manibus gestabat. Haec cum ita se haberent, palatinusque per exploratores rescisset, se non sufficere ad committendam pugnam contra acies ita animatas (a), misit legatos ad archiepiscopum, et verba praecantia mandat; et, ut cito ad finem veniam, hoc impetravit, ut sui, qui erant in castro (b), illaesi abirent, et de castro suo archiepiscopus suam expleret voluntatem.

CAPUT LXXXVIII.

(c) Nunc de moribus ejus et consuetudinibus pauca narrare mihi libet; alienos enim (d) in omnibus agendis et valde inusitatos mores habebat. Corpore tardus et opere et sermone erat; omnia diutissime protrahebat; nunquam vel admodum raro properando aliquid agebat, sed omnibus tantam moram innectebat (e), quod gravis valde et morosus omnibus videbatur; et taedium tam suis, quam alienis inferebat. Et cum pro nimia sua tardatione (f) res quaelibet quam incepturus erat (g), desperata esset (h), tamen optato fine terminabatur. Nec in ambulando, nec in equitando, nec in dormiendo, nec in vigilando aliorum hominum consueta tenebat. In ambulando ad manus trahebatur, sciaticus enim erat; et propter eandem infirmitatem strepas in arcu sellae, cum equitaret, pendentes habebat, et jambam sinistram super collum equi tenebat, quod cum morbi coactione faceret, ab aliis pro raritate facere videbatur (i). Noctu in consiliis sive in collationibus esse solebat usque ad conticinium sive ad galli

---

(a) Codd. S. Math. et S. Agn. legunt: contra acies ita inanimatas; Honth. vero contra acres ita armatos; quae lectiones minime concordant codici, quo usi sumus in Alberonis vita.

(b) Castro Trisio, quod castrum materia belli erat.

(c) Maxima pars hujus capitis, de Alberonis moribus disserens, usque ad verba: Uni curiae interfui &c., desideratur in cod. S. Math., ut et in plurimis codd. mss. et ap. Mart.

(d) alienos autem: ap. Honth.

(e) Ibid.. annectebat.

(f) tarditate: ibid.

(g) Cod. Eb. Clus.: acturus.

(h) Ibid.: videretur. — optato semper fine: ibid.

(i) Hanc periodum: sciaticus enim erat &c. omisit scriptor cod. Eb. Clus.; sed eam habet cod. ille saepe laudatus.

cantum; saepe quoque usque in diluculum, dormiebatque saepissime usque ad duas diei horas. Ad mensam post horam consuetam tarde accedebat, et diu valde in ea demorabatur, disputando et conferendo valde hilariter cum clericis suis de sacris scripturis et sanctorum patrum sententiis; magnam enim multitudinem religiosorum et literatorum secum habere solebat. In sacris mysteriis altaris plus quam homo videbatur, ad quae nunquam sine lacrymis et maxima compunctione accedebat. Pontificalibus enim ornamentis indutus, angelus Domini videbatur; angelico enim vultu relucebat, et tanta devotione coelestia illa tractabat sacramenta, quod cum in secretis moraretur, contemplatione et oratione coelos penetrare videretur. Cum sermonem ad populum faceret, tum quia tardus erat in sermone (a), tum quia in Gallica lingua natus, in Theutonica non erat (b) expeditus, tum quia nimis profunda tractabat, explicare vix (c) poterat ea, quae coeperat. In proverbiis et similitudinibus fere omnia dicebat; quorum supra omnes (d), qui in nostram venerunt notitiam, homines copiam tenebat. Elemosinas quam largissime et cotidie faciebat. Physionomiam admodum sciebat; adeo (e), ut diversorum aspectu vultuum discerneret secreta mentium et morum.

Ad regales curias quando veniebat, spectaculum omnibus erat; solus admiratione dignus videbatur; comitatus et expensae magnificentia omnes alios principes obscurabat (f). Joconda locutione et hilarissima proverbiorum suorum interpositione tam regem (g), quam principes laetificare solebat. Novissimus et diu exspectatus ad curiam vel ad quaelibet veniebat colloquia, ultimusque recedebat: nunquam in singulis conventibus, nisi auditis aliis, suum aperiebat consilium. Ego Baldericus, qui hanc scriptiunculam feci, uni curiae interfui, quam (h)

(a) Cod. Eberh. Clus.: in loquendo.
(b) satis exped.: ibid.
(c) Ibid.: non poterat; ea: deest.
(d) Ibid.: super omnes.
(e) adeo: ibid. deest.
(f) Ibid.: praecellebat.
(g) reges: ibid.
(h) qua: ibid.

Francovordium petiit sub rege Conrado (a), cum XL. navibus cameratis, exceptis liburnis (b) et honerariis atque coquinariis ratibus. In qua curia VIII. comites et ducem Lotharingiae Mathaeum, atque Heinricum, ducem de Lenburgo, secum habuit; clericorumque atque militum multitudinem tantam, quod omnibus, qui videbant, admirationem faciebat. Magistrum quoque Jarlandum Bisintinum (c) et magistrum Theodericum Carnotensem (d), duos fama et gloria doctores nostri temporis excellentissimos, secum in sua ducens navali camerata, in illorum disputatione et collatione valde delectatus est, et a curia domum reversus, decentibus donis largiter honoratos, ad propria laetos remisit. Hoc tamen nescio, an memoria sit dignum, quod cum a praedicta reverteretur curia, ideo, quoniam Moguntinos exosos habebat, atque forsitan suspectos, civitati illorum appropinquans, vexilla singulis ex navibus erigi, milites in clipeis auro fulgentibus, loricis (e), galeis, argentum nitore superantibus, ostentare sese praecepit; tubis et cornibus, armorumque strepitu et horrisono virorum concentu adventans, totam permovit civitatem. Illic ex tota urbe homines concurrere, mulieres conclamare, et quasi urbs jam capienda foret, undique tumultum atque pavorem conspiceres.

CAPUT LXXXIX.

Tandem finem narrationi facturus, de fine et transitu et testamento ejus pauca dicam. Confluentiae in Epiphania Domini (f) curiam magnam tenuerat, et treugas inter comitem de Molbach (g) et comitem

---

(a) Anno 1147. Conradus III. principum Germaniae conventum evocarat, quia, priusquam expeditionem cruciatam susciperet, in Henricum filium Germaniae sceptra transmoveri cupiebat. — Aderat quoque in hoc conventu Francofurtano S. Bernardus. —
Verba: Ego Baldericus, qui &c. non leguntur ap. Mart.

(b) tribunis: ap. Honth., sed false. — honerariis i. e. onerariis.

(c) Jarlandum (Gerlandum, Barlandum), cujus opusculum Candela vocatur, dicit Albericus ad an. 1084. Vide Histoire littéraire de la France, Tom. XII. pag. 275.

(d) Theodericum: Johannes Saresberiensis, Lib. I. Metalog. c. 5. de hoc Theoderico notat, eum fuisse artium studiosissimum investigatorem.

(e) In edit. Eccard.: Coricci; quae vox nullum efficit sensum.

(f) Anno 1152.

(g) Moelbach: cod. Eberh. Clus.

de Zeina (a) acceperat. Hi pro Bunnensi comitatu diu guerram ad invicem habuerant, quibus hinc inde fere omnis inferioris regionis nobiles favebant, terramque omnem vastaturi erant, si ipse suo consilio non intervenisset. Hoc enim in consuetudine habebat, frequenter suffraganeos suos et principes et nobiles de provincia sua congregare, et stipendia largiter illis amministrare, et pro statu ecclesiae et pace patriae cum ipsis tractare (b). Et quod nunc dicere coeperam, statim post Epiphaniam febris acutae diris ardoribus accensus, et pleureusis (c) passione constrictus, de vita dubitare incipiens, viros religiosos, abbatem sanctae Mariae de Sprinkenenbach (d) Richardum, et abbatem sancti Eucharii Bertolfum, et plerosque alios convocavit; factaque omnium peccatorum (e) confessione, oleo unctus est secundum beati Jacobi instructionem, et sacrosanctum corpus Christi sumpturus, magnae fidelitatis et verae ac catholicae fidei significativa verba protulit; sic enim magnanimus heros, catholicus pastor, memoranda voce exorsus est (f): „Audite, fratres mei charissimi, vos abbates et vi„ros religiosos ideo convocavi, ut in praesenti ecclesia, et in univer„sali in fine mundi ex sanctis angelis et hominibus congreganda ec„clesia, testes mihi meae verae fidei assistatis, et oratione vestra (g), „ut fides haec me salvet, adjuvetis. Hoc, quod praesens cerno in „specie panis, credo verum esse Christi filii Dei corpus, quod in vir„ginali alvo Mariae, intemeratae Virginis, obumbrante ipsum spiritu „sancto, sicut manet in praesenti (h), unitum est verbo Dei vero, fi„lio patris altissimi, quod pro nobis in cruce temporali morte ab ani„ma derelictum est (i), anima vero descendente ad inferos, divinitatis „consortio in sepulchro non est destitutum, sicut nec anima in inferno,

---

(a) Seyna: ibid.
(b) Consuetudo nostro sane judicio non satis laudanda, quae origo fortasse statuum provincialium in Treviratu fuisse videri poterit.
(c) pleuresis: ibid.
(d) Sprinckirsbach: ibid.
(e) Ibid.: peccatorum suorum pura confessione.
(f) Haec verba Alberonis agonizantis non leguntur in plerisque codd., neque ap. Mart.
(g) orationibus vestris: cod. Eberh. Clus.
(h) sicut manet in praesenti: ibid. non legitur.
(i) Cuncta, quae sequuntur usque ad verba: Rogo tamen &c., absunt ibid.

„secundum quod David de ipso testatur, dicens: Qnoniam non dere-„linques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre „corruptionem; hoc, inquam, corpus illud est Christi, quod tertio „die redivivum, anima redeunte ad ipsum, confractis divina, qua ute-„batur, virtute tartareis claustris, ereptisque a diabolica potestate fide-„libus prioris saeculi, de sepulchro resurrexit, de cetero immortale „et impassibile, quale et in coena ante passionem, manibus sacris se „ipsum tenens, in tali panis specie discipulis edendum distribuit, dans „impatibile, tamen adhuc passurus, docensque illos hujus sacramenti „mysteria celebrare. Hoc, inquam, corpus est Christi, quod post re-„surrectionem per quadraginta dies discipulis (a) apparuit visibile at-„que tangibile, et tantum incorruptibile, secundum voluntatis suae „potentiam, quae omnia, quaecunque voluit, fecit. Hoc est vere glo-„rificatum et ineffabiliter gloriosum corpus, quod Apostolis videntibus „mirabiliter assumptum est in gloria, sedetque Dominus cum Domino, „filius cum patre a dextris suis, idem in sinu patris, in unitate scili-„cet essentiae. Hoc sacrum et venerabile corpus, possum vere dicere „cum centurione, non sum dignus, ut intret sub tectum meum; rogo „tamen, o bone Jhesu, qui dignatus es domum Zachei intrare, pene-„trale quoque et secretum animae meae habitaculum digneris introire, „et sana animam meam, quia peccavi tibi; et qui jam ad me venisti, „per hanc fidem visita me per inhabitantem gratiam, et in hac fide „sumo vitam pro vita, quemadmodum tu dixisti: panis, quem ego de-„dero, caro mea est pro saeculi vita, ut sit mihi viaticum in vitam „aeternam amen (b).“ Et cum sumpsisset corpus Domini, accipiens calicem, ait: „O! piissime et serenissime pater, tuam ego peccator „precor hodie benignissimam Majestatem, ut per hoc verum sacrifi-„cium corporis et sanguinis Domini nostri Jhesu Christi, per hoc in-„aestimabile mysterium redemptionis humanae salutis aeternae, quod „offert tibi ecclesia tua sancta, in fide vera, in propitiatione pia, in „sanguine filii tui, placatus sis mihi et propitius, et ita vere, ut haec

---

(a) discipulis: deest ap. Honth.

(b) Sequentia usque ad verba: Nunc quale ordinaverit &c., rursus absunt in cod. Eberh. Clus.

„credo esse verum corpus filii tui ex sacro munere doctrinae ejus, „ita vere hodie parcas mihi et aufferas iniquitatem meam, et non in-„tres in judicium mecum, sed in veritate hujus fidei deduc me in se-„mita recta in vitam aeternam amen."

Scias autem, o lector, quod, si non eadem verba, mentem tamen et sententiam suorum protuli verborum. Nunc quale ordinaverit testamentum, quam brevius potero, explicabo. Thure curiam, quam ipse sua pecunia emit a comite Wilhelmo de Glisberch (a), fratribus dedit ecclesiae sancti Petri Trevirensis, ut in anniversario ejus refectionem inde habeant; et patrimonium suum Sule (b) et curiam Bredal ecclesiae praedictae contulit tali dispositione, ut crux inaurata, quam tempore praedictae guerrae decrustaverat, de reditibus ejus repararetur, et quaedam ornamenta quae oppignoraverat, restituerentur, et deinceps perpetuo jure in usus fratrum cederet (c). Ecclesiae quoque sanctae Mariae ad Horreum quaedam ornamenta tulit in diebus guerrae suae, pro quibus vineas apud Kestene (d) et Moncella dedit, ut ex eis repararentur. Obiit autem (e) octavo decimo Kal. Febr. Et licet communi mortalium sorte in fata lapsus sit, non tamen communi hominum fortuna funeratus est. Confluentiae enim cum obiiset, exta ejus in claustro (f) juxta parietem, quae respicit ad septentrionem, humata sunt et lapide tecta marmoreo; corpus vero myrrha et aloe et aromatibus conditum a medico suo peritissimo Philippo Lombardo, qui et urinae suae inspectione mortem ejus tribus diebus ante praedixerat, pontificalibus adornatum vestibus, Treveris est allatum cum magno comitatu. Palatinus enim comes Herimannus, atque plerique inferioris regionis barones cum magno comitatu funus ipsius prosecuti sunt.

(a) Honth. legit: comite IV. de Nisbergh, sed male.

(b) Heesius (Manipul. rer. memorab. claustri Hemmerodensis &c. Col. 1641. p. 11.), scribit loco Sule: Sualthurim.

(c) Sequens periodus usque: Obiit autem &c. omissa est ap. Honth.

(d) Kesten: cod. Eberh. Clus.

(e) Additur ibid.: anno Dni. millesimo centesimo quinquagesimo secundo.

(f) Himmerode. Cor et exta ad hoc claustrum translata ibique condita et marmore tecta fuere cum hoc epitaphio: „Hic recondita sunt cor et exta venerabilis Adalbero-„nis, Trevirorum archiepiscopi, primi nostri fundatoris, qui obiit anno gratiae „M.C.LII. XVIII. Kal. Febr." — Vide Heesii Manipulum &c.

Deinde cum Trevirim pervenisset, clerus et populus ad pontem processit illi obviam, et per singula monasteria singulis diebus deportatus est celebri cum processione (a), donec dierum numerus monasteriorum complevit numerum; et per singulos dies procerum augebatur numerus de tota provincia ad exequias ejus confluentium. Veneruntque, comperto ejus obitu, suffraganei ejus episcopi, Stephanus Metensis, Heinricus Tullensis, Albero Virdunensis, et Jordanus presbyter cardinalis Romanae ecclesiae, qui tunc Mettis omnium abbatum superioris Lotharingiae conventum adunaverat, qui etiam simul cum ipso ad ejus venerunt exequias: tantoque honore communique luctu totius provinciae undecimo ab obitu ejus die tumulatus est, quod omnes, qui aderant, confessi sunt, se tam honorabiles exequias nunquam vidisse. Sepulturam (b) vero habet in ecclesia beati Petri a latere meridionali, juxta altare beati Stephani (c). Et quod notandum, quotiens praedictam, dum viveret, intrabat ecclesiam, in eodem loco, in quo nunc habet sepulturam, orare solebat.

(d) Domine Jhesu Christe, splendor patris et sapientia et virtus, qui tua ineffabili dignatione resplenduisti in forma humana, ut nos miseros peccatores liberares, tuae nobiscum socialis conversationis consortio, a diabolica potestate, reluceat hodie lux tuae claritatis Alberoni, veri sacrificii sacerdoti secundum ordinem Melchisedech, qui frequenter in sacra fide obtulit patri tuo corpus tuum venerabile et sacrosanctum, quod tuae ecclesiae in pignus tui amoris a patre postulanti dedisti; cum enim pater tuus synagogae diceret: nunquid sanguinem hircorum aut vitulorum ego potabo? et haec David audiens, et quasi devotus verna patri tuo alludens, in (e) beneplacito tuo patris tui ad gratiam loquens responderet: sacrificium et oblationem no-

---

(a) Vide ad voluminis calcem notas nostras ad hoc caput.

(b) Honth. legit: sepulchrum.

(c) Juxta altare SS. Cosmae et Damiani, scribit Heesius. Sic et habet cod Trev, ms. N°. 1462: „Die XI. in ecclesia juxta altare sto̅rum Cosme et Damiani se„pultus est.“ — Unum idemque altare diversis temporibus diversis Sanctis dedicatum.

(d) Quae nunc sequuntur usque ad finem capitis, non leguntur in ceteris codicibus mss., neque ap. Mart.

(e) Ap. Honth.: accedens, ut &c.

luisti; et cum pater tuus consentire videretur, voluntatem ejus et tuam praesentiens in tua persona dixit, imo tu in persona illius dixisti: Ecce venio; et ipsa tua ecclesia repudiari videns veteris ritum sacrificii, cum tibi videret non placere carnes hircorum aut vitulorum, quae tibi synagoga offerebat, anxia, quid tibi posset offerre in laudem et recognitionem pro omnibus tuis beneficiis, cottidie dicebat, quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? tum tu mirabili compassione corpus aptasti tibi, et dedisti sponsae tuae, amicae tuae, columbae tuae, ecclesiae scilicet tuae, ut patri tuo illud sacrificaret, unde et ipsa exultans dixit: calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo. Ergo in virtute hujus sacrificii claritatem vultus tui et requiem aeternam tribuere dignare ei, Domine, qui vivis et regnas Deus per omnia saecula amen (a).

„Albero maxime vir, flet Roma, flet undique Trevir,
„Tanto, tam miro, te moriente viro!
„Trevir pastorem flet, Roma ruisse rigorem (b),
„Dogmaque justitiae, lumen et ecclesiae.
„Magnus eras magnis, par parvis, meta tyrannis,
„Gloria divitibus, portio pauperibus.
„Castra tyrannorum subvertens, castra bonorum
„Plurima condideras, largus et hospes eras,
„Largus et humanus. Compleverat ordine Janus
„Octo decemque dies; mors tibi fit requies.

Hi decem versus continentur in epitaphio domini Alberonis, Trevirensis archiepiscopi, aureis literis in cupreis laminis. (c)

Infra arcum:

„Belgica Roma, tuum decus et tua gloria, princeps
„Hic jacet, aeternus qui tibi fuit honor.

(a) Browerus (Annal. Trev. II. p. 54.) de Alberonis epitaphio notat sequentia: „Addita sepulchro lamina aureis literis, quae, conservata versuum memoria, temporum „injuria funditus excidit.“

(b) Ap. Brow. et Honth.: vigorem.

(c) Hi versus in codice nostro colore rubro scripta sunt.

„Albero lux orbis, decus urbis, gloria cleri,
„Ornatus patriae, splendor et ecclesiae.
„Parte minore sui jacet hic, majore superstes.
„(a) Mens etenim superest, fama perennis erit.
„O quam magnus homo! quam parvo clauditur antro!
„Laudibus et meritis non minor orbe fuit.
„Huic speciale fuit, non vinci, vincere, victis (b)
„Parcere, larga manus, non habuisse parem.
„Hic vir, hic est, cui primati sua subdere colla,
„Germani Belgae non habuere nimis.
„Treveris alma per hunc major, tibi Roma Quirites
„Transmisit cives, fecit et esse tuos.
„Hucque caput mundi veniens, hic esse cor orbis
„Non negat, et nomen Roma secunda tuum (c).
„Janus bis novies solem produxerat orbi,
„Cum tantam lucem sustulit ecclesiae.
„Quod solum restat, dic, lector, supplice mente,
„Albero sit tibi lux, sit tibi vita Deus.
„Qui velut e specula (d), toto spectabilis orbe,
„Treveris! evexit nomen ad astra tuum.
„Fortia confundens, et ferrea virga superbis,
„Et quia vas figuli frangere doctus eras.
„Turbine quae nullo potuit fortuna minorem
„Reddere, qui major, cum premeretur, erat.
„Ille domus Domini, mons montibus altior, alte
„Transiliens colles, vallibus umbra suis.
„Cum jam bis novies solem revocasset ad ortum (e)
„Janus in occasu stella serena jacens,

(a) Ap. Honth. haec desiderantur: Mens etenim superest.

(b) Ap. eund.: cunctis.

(c) Non una solum vice in quibusdam medii aevi codd. mss. Augusta Trevirorum nominatur altera Roma, Roma secunda, aut Belgica Roma. Sic et eam jam nominaverat Ammianus Marcellinus, scriptor Romanus.

(d) Ap. Honth.: a speculo.

(e) Ibid.: ad orbem.

„Albero, mors inquit, nihil est mihi, namque resurget,
„Congaudens animae glorificanda caro."

Et hoc est epitaphium super reliquias ejus Confluentiae:

„Officio merito praesul venerandus utroque
„Albero condidit hoc huc cor et exta solo.
„Posce Deum, lector, vir ut tibi sorte sequendus,
„Inveniatur ibi, pax ubi vera tibi (a)."

CAPUT XC. (b)

Anno incarnationis Domini M. C. L. II., qui est primus Frederici regis et VIII. Eugenii papae, Albero, archiepiscopus Trevirorum, ex hoc mundo decessit, et Hillinus, decanus majoris ecclesiae, unanimi consensu tam cleri quam populi, in pontificatum successit (c). Cujus gestorum seriem ut altius aliquantulum repetamus: cum in juvenili aetate Franciam pro studio adisset, assiduitate legendi ita se ipsum exercuit, quod in virum doctissimum enituit (d). Inde rediens,

---

(a) In quibusdam codicibus mss. et in edit. Mart. legimus additamentum sequens: „Sedit autem in episcopatu annos XVIIII., menses decem, et vacavit episcopatus ejus „dies XIII." — Cod. noster coaevus et edit. Honth. haec verba non habent. — In Broweri Annal. Trev. (edit. Masenii II. p. 54.) legimus: „viginti duobus annis, qua-„tuor minus mensibus, in episcopatu exactis." Browerus vero in editione originali (Colon. 1626.) scripserat: „viginti paulo amplius annis."

Albero electus est circa pascha 1131., sed inthronizatus circa pascha 1132. Obiit 14. Januarii 1152. (more Trev. 1151.). Hinc illae calculi differentiae.

(b) Auctor historiarum Hillini et Arnoldi I., secundum nostram opinionem, est iste saepe nominatus Lambertus de Legia, ejusdem aetatis scriptor. Honth. filum sequitur codicis ms. S. Paulini; nos vero textum damus ex cod. S. Math., N°. 31 sign.

(c) Paucis admodum diebus a decessoris morte Hillinum electum esse, illud argumento est, quod eidem Martio adhuc mense anni 1152. a Friderico I., recens creato Rege, legatio Romana cum Eberardo, Bambergensi episcopo, delata fuerit. — Scriptor Gestorum in sua brevi Hillini historia silentio praeterit hanc legationem; sed de ea disserit Otto Frisingensis (De gestis Frider. Lib. II. c. 4.).

(d) Hillinum et Otto Frisingensis tanquam virum literatum et prudentem multis verbis commendavit. Genus ejus exprimi nusquam queritur Browerus (Annal. Trev. II. p. 56.). Sed Hillinum ex antiqua progenie dominorum de Falemannia prope Dinantium in pago Leodiensi nobile genus duxisse, disserte exprimit diploma Henrici, Leodiensis episcopi, pro monasterio Walciodorensi, editum tomo I. Veter. scriptor. et monument. hist. ampliss. coll. &c. pag. 865. sq. Testis est etiam auctor appendicis

cum bonis ac probis polleret moribus, aptus ac dignus videbatur magnis honoribus. Quibus e vestigio magnifice praeditus, postea, sicut praediximus, in episcopatum est adscitus, in quo non magnus in oculis suis, sed parvus voluit videri et esse, utpote qui optime noverat, ad hoc se vocatum, ut populo Dei studeret non tam praeesse quam prodesse (a). Et revera plurimum profuit, sicut ex evidenti tam rerum quam causarum eventu suo tempore contingentium saepe videri potuit. Denique fumantem adhuc, ut ita dixerim, titionem de recenti incendio (b), quod inter praedecessorem (c) suum Alberonem archiepiscopum et Henricum, comitem Namurcensem, bellis, rapinis et caedibus hominum diutius incanduit, non solum non reaccendit, verum etiam, quomodo omnino sopitum extingueretur, non armis, sed pace, non animositate, sed lenitate, non temeritate, sed ratione, toto animi annisu intendit. Unde factum est, ut tyrannis occasionem nocendi, ubi poterat, prudenter adimeret, et ubi aliter non poterat, pacem ecclesiarum et populi Dei sub specie honesti convenienter redimeret. Sic in tempore iracundiae factus est reconciliatio; sic apud Dominum et homines laborabat, ne ulterius serperet pristina tribulatio.

His bonis artibus apud Fredericum imperatorem, cum esset Treberi (d), abbatiam sancti Maximini, pro qua (e) multa mala contigerant in terra (f), testamento et aureo sigillo confirmatam, sibi et successoribus suis obtinuit. His etiam (g) Henricum Namurcensem et Lutzeburgensem, pro Manderscheidt castro episcopatum saepius invadere molientem, infregit, et ab exterminio patriae sapienter abegit.

---

in ms. cod. Aureae-Vallis, per Martene Trevirorum Gestis adjectae, T. IV. p. 172. — Hillinus se in chartis appellat Trevirorum humilem ministrum et servum. — Simili modestia scripsit Joannes I. in quodam diplomate de anno 1206.

(a) Confer epistolam Wibaldi, abbatis Stabulensis et Corbeiensis ad Hillinum, in qua ei gratulatur, ut „antiquissimae et nobilissimae civitati, quae totius Galliae Belgicae „caput ac metropolis esse dinoscitur, possit tam prodesse quam praeesse.“ — (Veter. Script. et Monum. ampl. coll. T. II. pag. 547.)

(b) Eccard: decedenti incendio.

(c) decessorem: cod. Eberh. Clus.

(d) Anno 1157 — Hunc annum assignant chartae Friderici I. Imperatoris Hillino concessae.

(e) per quam: ap. Honth.

(f) Conf. cap. 84.

(g) studiis: addit cod. Eberh. Clus.

Qualem autem tempore scismatis, quod anno incarnationis Domini M. C. LX., Adriano papa mortuo, in terra exortum, XVIIII. annis duravit inter Rollandum qui Alexander, et Octavianum qui Victor vocatus est, hic vir praecipuus se exhibuerit: quis facile, nisi is, qui secreta prudentis consilii sui noverat, explicare poterit? Certe, sicut oculatum et circumspectum animal, in praeterita, praesentia et futura prospiciebat; et cum legatus apostolicae sedis tunc esset (a), quod utilius, salva conscientia sua et gratia majorum, videbat, hoc suadebat et agebat.

Hic castrum Schura (b), mortuo Guilhelmo, qui illud sancto Petro cum allodio, ministerialibus et omni familia tradiderat, quod dux Mathaeus (c) arte et malo ingenio occupaverat, ope et adjutorio Frederici imperatoris, cum integritate obtinuit. Castrum, quod Seyne dicitur, cum adjacente praedio, tempore Everardi comitis acquisivit. Similiter castrum de Nassowe, quod erat de proprietate Wormatiensis ecclesiae, munitionem Bruche (d) Theoderici, et Billiche Fridelonis, et Reldingunt (e) obtinuit. Turrim in Ehrinbreitstein perfecit, et cisternam ibi magnis sumptibus effodit (f). Domos episcopales omnino dirutas reparavit, et vallum (g) ibidem in solida rupe magnis expensis excidi fecit. Turrim in castro Tris a fundamento erexit et consumavit. Similiter in castro Manderscheidt. Praeterea illud merito scribendum et perpetuae memoriae commendandum est, quod investituram et electionem pastoris ecclesiae de Logenstein, quae erat de beneficio palatini comitis, resignatam sibi a palatino coram Frede-

---

(a) Per universum Teutonicum regnum: sic legimus in epistola Adriani IV. Papae ad Metensem, Tullensem ac Virdunensem episcopos, in qua monentur, ut Hillino subjecti et obedientes sint, non solum jure metropolitico, sed etiam velut Apost. S. legato (Honth. Hist. Trev. dipl. I. p. 550.).

(b) Eo tempore situm ad radicem montis non procul a Witliaco. In cacumine montis erat castrum Neoburgum. (V. cap. 85. et notam ad hoc cap. in fine.)

(c) Lotharingiae.

(d) Broich: cod. Eberh. Clus.

(e) Ibid.: Berldingunt.

(f) Cod. ms. Trev., N°. 1216 sign., habet: „An. 1166. Erinbreitsteinia arx ab Hillino restauratur."

(g) Quidam codd. scribunt: vallem.

rico imperatore, recepit, cum ei beneficium praestaret, quod defuncto Hermanno palatino comite (a) vacabat: cujus ecclesiae tertiam partem decimae, quae utilitatis est non modicae, mensae episcopali in perpetuum delegatam, sub privilegio confirmavit. Similiter investituram et electionem pastoris ecclesiae de Chemptam (b), quae aeque erat de beneficio palatini, ab ipso receptam, ecclesiae Sprenchersbach delegavit, et in perpetuum possidendam in omni utilitate, per manum et privilegium domini Adriani (c) papae confirmavit.

CAPUT XCI.

Inter haec omnia, quod super omnia mirabile et laudabile est, tempore praefati scismatis ita se gessit, quod ecclesiae Dei et imperio fidem servans, utriusque favorem cum bona conscientia obtinuit. Et cum (d) in omnibus fere causis prudenter omnia providisset, de tribus tantum a quibusdam nescientibus vel nolentibus considerare statum temporis, causam rei, et violentiam personarum, insimulatur (e), quod minus caute egisset; quod scilicet fratribus Wormatiensis ecclesiae partem censuum de Pardenen pro castro Nassowen commutasset, et comiti Namurcensi Macharam pro ratione Manderscheidt temporanee, hoc est, ad vitam suam indulsisset, et quod Rehinero de Berge beneficium VI. carratarum vini dedisset. Qui merito deberent attendere oppressiones, quas episcopatus vel tunc sustinuit, vel

---

(a) Trithemii (Chron. Spon. L. 2. c. 38.) assertio: Hermannum, comitem Palatinum, ecclesiam in Loinstein (supra Confluentes) cum tertia parte decimarum mensae archiepisc. Trevir. tradidisse, corrigenda est. Hermannus jam anno 1156. obiit, liberorum expers, et revera successor ejus, Conradus, Imperatoris frater, qui dignitatem Palatinam adiit, hanc liberalitatem in ecclesiam Trevir. exercuit, sub auspiciis Friderici I. Imperatoris.

(b) Cod. Eberh. Clus. legit: ecclesiae de Keympt. Eccard. habet: Chemcham, non autem Cheracham, ut de eo refert Mart. l. c. pag. 209 not. b. — In chartis legitur: Keimetam. Conf. diplomata Wilhelmi comitis Pal. Rheni de anno 1136. — Alberonis archiep. Trev. 1142. — et Conradi III. Reg. Rom. 1144., quae ex autographis optime descripta leguntur in Comment. hist. Theod. Palat. III. p. 109. sqq.

(c) Adriani IV.

(d) Ap. Honth.: obtinuerit. Quare cum in omnibus &c.

(e) Eccardus legit: insimulatus est.

postea sustinere de castro Nassowe potuit, quas vir sagacissimus alto et provido consilio per hanc commutationem omnino deposuit. De Machera vero, quia comiti Namurcensi ad vitam suam tantum praestitit, haec ratio extitit, quod comes idem, et comes Viennae Sifridus in hoc conspiraverant, quod uterque castellum unum in episcopatu aedificaret, unde ille per (a) Manderscheidt, iste per Arraz episcopatum fatigaret. Hanc interim (b) conspirationem vir providus tali modo deposuit (c), quod comes Namurcensis Macheram, se vivente, teneret et post se ad episcopatum rediret; Rehinero autem beneficium sex carratarum ideo praestitit, quia secum in Italiam cum suis magnis expensis ivit. Ne tamen in his videamur eum omnino contra obloquentium dicta excusare, consentire nos oportet illis, qui affirmant, eum quosdam consiliarios elegisse, qui frequenter mentis ejus propositum mansuetum et pium a statu rectitudinis averterunt, et pro commodo utilitatis suae sinceritatem intentionis ejus in multis exorbitare coëgerunt, non metuentes (d) illam sententiam beati Job, qui comminatur eis et eorum similibus, dicens: Ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur, propterea adducet consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem. Haec circa finem vitae suae contigerunt, eo in maxima debilitate corporis existente.

Ceterum in diebus suis omnes praelationes et personatus praepositorum atque abbatum vacabant, absque duabus, quas ita benigne et honeste disposuit, quod nulla postmodum de eis quaestio fuit. In diebus suis terra a bellis, rapinis et incendiis quievit; unde nactus tempus opportunum, quod diu ante in animo conceperat, inchoavit. Quadam (e) enim (f) sancta intentione novum opus aggressus est construere in orientali parte ecclesiae sancti Petri, et jactis fundamentis cum magnis sumptibus, structuram illam erexit; sed morte praeventus, ad finem non perduxit quod inchoaverat (g). Reditus tamen

(a) Ap. Honth.: pro.
(b) Mart.: Hanc iterum &c.; Honth.: Hanc etenim &c.
(c) disposuit: cod. Eberh. Clus.
(d) Eccard.: perpendentes.
(e) Quoddam: Honth.
(f) autem: cod. S. Agn.
(g) Cod. Trev. mss. N°. 1462 haec sic refert: „Hic etiam criptam orientalem cum choro

custodiae consilio fratrum ad hoc delegaverat, imprecatus multum mali qui aufferret (a). Ipse vero post annos fere (b) XVIII. pontificatus sui, die X. Kalend. Novembris, quam et solemnem in honorem sancti Materni, cujus ea die translatio colitur, et venerationem dedicationis majoris ecclesiae per totum episcopatum praedecessores sui (c) instituerant, quievit.

„Hillino memorem semper fer Trevir honorem,
„Patri (d) praecipuo pontificique tuo.
„Qui denis annis praelatus et octo, tyrannis
„Salva justitia restitit arte pia.
„Qua pax succrevit, bellique procella quievit,
„Dum legatus erat, scisma (e) sed intererat.
„Quod (f) sic transivit, medio tutissimus ivit.
„Hinc favor adscribi coepit utrimque sibi.
„Denas deflendas peragente Novembre Kalendas,
„Transiit e medio fine vir iste pio (g).“

CAPUT XCII.

Anno incarnationis Domini M. C. LX. VIIII., post decessum Hillini archiepiscopi, primores tam cleri quam populi Trevirensis eccle-

---

„erexit, et morte praeventus non complevit.“ — Browerus (Annal. Trev. II. pag. 61.) tradit, Hillino archiep. sedente, Sigefridum Palatinum et Genovefam vixisse.

(a) multum: deest in cod. S. Agn. — Cod. Eberh. Clus. et edit. Mart.: imprecatus mala &c. — Ap. Honth.: precatus &c. — Ap. Mart.: mala illi qui &c.

(b) fere: deest in cod. S. Agn. — „Anno dñi M. clxix. in ecclesia Trever. sepultus“: addit cod. Trev. ms. N°. 1462.

(c) Honth. legit: majores. — Epitaphium Hillini, quod nunc sequitur, jam suo tempore imprimi fecit Browerus. Tom. II. pag. 72. sq. — Sepulchrum autem ejus est incompertum.

(d) Cod. ms. S. Paulin. et ed. Honth. legunt: Petri, quae lectio non placet. Codd. S Math., S. Agn. et alii habent distincte: Patri.

(e) Honth. legit: scismatis intererat.

(f) Ibid.: Quando sic &c

(g) Folia Trev. mss., N°. 1216 sign., Hillini gestis addunt: „Anno MCLXI. civitas Trev. „format sibi diversa opificum collegia, eligit magistratus tribuum, et ad libertatem viam „sternit, jam praesuli favet, mox iterum oppugnat.“

siae convenerunt, et ad suggestionem vel consilium imperatoris Frederici, Arnoldum praepositum sancti Andreae in Colonia, virum strenuum, providum, sapientem et nobilem, multisque divitiis (a) praepollentem, in pontificatum unanimiter elegerunt. Qui cum invenisset (b) terram totam ex praeteritis rapinis, incendiis atque caedibus hominum, a diebus Alberonis archiepiscopi adhuc tabescere, et barones terrae circa ecclesiarum dispendia, ex prava consuetudine quasi per licentiam insolescere; omnes fere nobiles terrae ad bonum pacis et concordiae revocavit, non solum frequenti ammonitione et correptione, verum etiam largiflua magnorum munerum largitione. Cumque super haec a quibusdam familiaribus redargueretur, quare ipse, vir tantarum divitiarum et tantae potentiae, qui vi posset injuriis tyrannorum resistere, quasi pro timore hominum, sua eis largiretur, respondebat humiliter: Deum se testem habere, quod ipse Deus esset sibi in causa, pro cujus amore mallet sua potius erogare, quam se bellis implicare; quibus daret occasionem importunis hominibus, ut latrocinia vel homicidia, seu cetera mala exercerent, vel laborarent ecclesias seu pauperes Christi devastare vel omnino dissipare. Ad hoc, inquit, volo largitione facultatum mearum insolentiam violentorum reprimere, ut et eos qui inferunt, et eos qui patiuntur calumniam, redimam, quos Christus dignatus est suo sanguine redimere. Non tamen haec agens vel dicens, vir providus et strenuus omnimodis a bellis abstinere potuit, propter crebras incursiones, quas episcopium a Frederico, filio Mathaei ducis ex sorore Frederici imperatoris (c), sustinuit. Illum denique res episcopii diripientem, nec ammonitione, nec beneficiorum largitione quiescere volentem, coadunato valido exercitu, apud Sigerberch (d) obsedit, ubi ad tales conditiones eum coegit, quod proprietatem ejusdem castri cum omnibus attinentiis suis sancto Petro dedit. Similiter haereditarium jus allodii sui, quod habebat in castro Nor-

---

(a) divinis: Mart., sed male. — Praefata folia Arnoldum dicunt: virum mansuetum et parcum in tributis exigendis.

(b) vidisset: cod. Eberh. Clus.

(c) Bertha.

(d) Alii: Sigersberch, Syrsperch. — Sigeberti castrum, vulgo Sirsberg in Lotharingia.

berch (a), sancto Petro contulit. Idem archiepiscopus viriliter repressit comitem de Nassowen, jura ecclesiae Trevirensis sibi usurpantem in argentaria fossa (b) de Eumetze (c), et in eadem villa. Ipse etiam, cum temporibus suis imperator Fredericus cum exercitu intraret Italiam, ad reprimendam Lombardorum (d) fraudulentiam, ter virili animo cum magnis copiis et glorioso apparatu secum ivit; nec unquam super his aliquam exactionem ecclesiis vel civibus (e) imponere imperatorem permisit, nec sibimet ipsi quaesivit; sed de propria substantia se et universos secum comitantes large sustentabat. Similiter etiam (f) consilio et prudentia omnibus spectabilis factus, tanti itineris difficultatem feliciter pertransivit. Illud etiam de tanto viro commendabile est, quod cum antiquitus ex religiosa consuetudine ab apostolica sede cardinales ad consolandas et corrigendas ecclesias emitterentur, modo autem nostro (g) hae ipsae nimiis angariis per eos, qui circa cardinales erant, ecclesiae gravarentur, ut primum adventum eorum praesentire potuit, extra suam dyocesin eis occurrere curavit, et de propriis rebus et donariis eis ministrans et honorifice remunerans alias divertere fecit, sicque ecclesias ab eorum gravamine liberavit (h). Pro his tamen expensis nunquam ab ecclesiis aliquid exegit, sed ut ferventiores essent in divino officio (i) de facultatibus suis potius eis subministrare elegit. Inde est etiam illud de eo valde praedicabile, quod cum in primis suae praelationis temporibus ecclesias circuiret, et eas fere omnes, propter mala praedicta, quae tempore

---

(a) Cod. Trev. N°. 1462.: Noirberg; cod. Eberh. Clus.: Norburch; ap. Mart.: Horbech. Browerus habet: in Neuerburgio castro (apud Witliacum).

(b) Honth. legit: fossoria. Cod. Trev. ms. N°. 1462 habet: argentaria favea.

(c) Ad thermas Emptzianas regionis Loganae. — Al. legunt satis confuse: Homecen.

(d) Longobardorum: cod. Eb. Clus.

(e) Honth. legit: cuilibet.

(f) Id. legit: scilicet et.

(g) Mart. addit: hoc tempore. — Angariae dicuntur jumentorum vel plaustrorum praestationes; praeterea etiam onera dicuntur, agris aut personis imposita. — Vide Du-Cange in hac voce.

(h) De hoc cardinalium, Papae Nunciorum, abusu vide S. Bernardi L. 3. de Consider. et epist 290.

(i) Quidam codd. mss. et cum his Mart., Eccard. et Honth. legunt: servitio. — Nostro cod. S. Math. consentit ille S. Agn.

Alberonis archiepiscopi contigerant in terra, desolatas et aere alieno oppressas inveniret; ita juxta uniuscujusque qualitatem, eis de sua substantia erogavit, quod in brevi eas a debitis expediens, ad pristinum statum reparavit. Denique in obitu suo ad dua millia marcarum sunt computata, quae ab eo in elemosinam quibusque ecclesiis sunt erogata.

Tempore vero suo gravis controversia in ecclesia Treverensi de archidiaconatu ultra Rhenum (a) emerserat, quae ingratitudinem et rancorem plurimum quorundam contra eum suscitaverat. Siquidem praedecessor ejus Hillinus, archiepiscopus praedicandae memoriae, eundem archidiaconatum Godino Monasteriensi praeposito (b), filio fratris sui, cum adhuc esset puerulus, circa finem vitae suae dederat; sed succedens sibi ipse dominus Arnoldus archiepiscopus, et videns eum infra annos, archidiaconatum multo tempore in manibus suis detinuerat. At ubi Godinus aliquantulum invaluit, requirere dignitatem ab avunculo sibi delegatam voluit. Quam dum (c) petendo, quaerendo, pulsando obtinere non valeret, et ad apostolicum vadens et rediens, multis quaestionibus suum negotium opportune importune exerceret, animum tamen pontificis ad impetrandum quod petebat, nescimus qua de causa, nunquam (d) lenire potuit; quod postmodum magnum suscitavit scandalum et occasionem gravis discordiae. Praepositus enim sancti Paulini Albertus, Romam ad apostolicum profectus, literas ab eo clanculo reportavit, in quibus auctoritate apostolica archiepiscopo mandavit, ut archidiaconatum praedictum ipsi Alberto conferret, quod et factum est (e), licet minus considerate, quia Godino non dabatur locus et audientia defendendi partem suam. Inde postmodum motae sunt variae quaestiones, et de quaestionibus multiplices seditiones, quae ad praesens enarrare, non est instantis operis. Ipse autem dominus archiepiscopus non multo post tempore aegrotare coepit usque ad mortem, et introierunt (f) ad

(a) S. Lubentii.
(b) in Meynfelt: addit cod. Eb. Clus.
(c) Honth. addit: diu.
(d) Id. legit: nequaquam.
(e) Pauci codd. mss., et cum his Honth. atque Eccard., hic addunt: licet minus considerate, quia ita subito factum est.
(f) Honth. legit: convenerunt.

eum viri venerabiles Ludovicus abbas sancti Eucharii, et Gisilbertus abbas de claustro (a), ut visitarent eum; quorum ammonitione et consilio dispositis et ordinatis omnibus rebus suis, et maxime in largitionibus elemosinarum, quas ecclesiis delegavit, in contriti cordis humillima confessione, et omnium ecclesiasticorum sacramentorum devotissima perceptione, in die sancti Urbani papae, quae est VIII. Kal. Junii, ad Dominum in pace migravit. Post cujus decessum parum vel nihil de omnibus divitiis suis, quas in urbe vel castellis reliquerat, ad effectum suae ordinationis processit, praeter hoc solum, quod industria praefatorum abbatum illa rata manserunt, quae ecclesiis ad elemosinam concessit; siquidem Wernerus de Bolande (b) cum aliis nuntiis imperatoris omnia ubique invaserunt, et copiosas ejus divitias in potestatem imperatoris redegerunt (c).

CAPUT XCIII. (d)

Anno igitur incarnationis M. C. LXXXIII., defuncto Arnoldo archiepiscopo (e), facta est dissensio de altero eligendo in ecclesia Trevirensi; nam praecedente vespera diei, qua sepeliendus erat, convenerunt canonici majoris ecclesiae cum praelatis, ut deliberarent, quem eligerent (f). Maxima autem pars cleri in personam Rudolfi (g), praepositi majoris domus, mediante decano, consensit; sed nocte se-

---

(a) i. e. abbas coenobii Himmerodiensis.

(b) Al.: Bolandan, Boulande. Codd. S. Agn. et Eberh. Clus. constanter legunt: Bolandia.

(c) Imperatorum, seu fisci Caesaris mos in captandis testamentis clericorum, praecipue episcoporum, tum inoleverat. Conf. Crantz. Hist. Saxon. lib. 6.

(d) Haec quoque historia sedis vacantis, hujus interregni discordia et tumultu pleni, ab anno 1183. ad an. 1190., sine dubio per saepe laudatum Lambertum de Legia, testem coaevum, magno veritatis amore et laudabili styli claritate, literis consignata est.

(e) In cod. Trev. ms. N°. 1462 additur: „Infirmitate gravatus VIII. Klās Junii migra-„vit (Arnoldus). Sedit annis XIV. Ante altare Trinitatis tumulatus Treviris.“ — Computus annorum minus accurate hic refertur; sedit enim Arnoldus annis tredecim, mensibus septem.

(f) Electionis ritus ab hoc tempore incipit esse diversus a priori.

(g) Al.: Radulphi, Rodolfi.

quenti, negotio perambulante in tenebris, omnino immutatum est, quidquid antea inchoatum fuerat (a). Nam post sepulturam patris sui, cum ad electionem convenissent, Folmarus (b) archidiaconus dixit, illam (c) hesternam denominationem ita promulgatam fuisse, ut cui major pars cleri vel populi faveret, ipse in episcopatum succederet. Ad quod verbum factae sunt partes, et inter partes altercationes graves. Tunc Wernerus de Bolande, annuente palatino comite, instabat, ut electio ad imperatorem deferretur; sed Folmarus insistebat, ut statim episcopus eligeretur, ex decretis probare intendens, quod nullo temporis spatio sedes episcopalis vacare deberet. Ad hoc multa fuerunt objecta. Tandem statuerunt, ut ad nonam (d) verbum differretur, et tunc signo (e) campanae omnibus convocatis, causa terminaretur. Ita ab invicem digrediuntur. Sed Folmarus cum suis ad laicos, quorum tunc multitudo maxima in claustrum convenerat, egreditur; et ne aliqua mora electionis fiat, modis omnibus laborat, monet et hortatur. Ejus in favorem Heinricus, dux de Lemburg (f), multa praelocutus (g) cum aliis nobilibus et ministerialibus atque civibus, monuit, ne ab invicem separarentur, et qui digressi fuerant revocarentur. Ad quod missi sunt primo clerici, secundo nobiles et liberi, tertio ministeriales et cives idonei. Qui reversi nuntiant, quosdam longius processisse, quosdam in vicino jam ad prandium consedisse (h), qui orarent, ut juxta condictum ad nonam exspectarent, et tunc congregatis omnibus pro episcopo constituendo in pace tractarent. At illi non acquieverunt, sed absentibus aliis, in electionem Folmari convenerunt, et raptum eundem potius quam electum, magno concursu in oratorium et in sedem episcopalem traxerunt, et sic ad propria recesserunt. Circa nonam vero horam, juxta condictum, alii

---

(a) Confer Arnoldi Lubecensis narrationem de dissensionis hujus exordiis. Vide notam nostram ad cap. 94.

(b) Al.: Volmarus, Volmerus.

(c) Ap. Mart.: illi.

(d) pomeridianam.

(e) sono: ap. Honth.

(f) Limburg.

(g) prolocutus: ap. Honth.

(h) Honth.: quosdam longius recessisse.

cum palatino comite et Wernero de Bolande ad signum campanae convenientes, qualiter talis electio cassaretur (a), omnibus modis elaborare intenderunt, et missa legatione imperatori (b) dissensionem partium intimaverunt. A quo ad Constantiam civitatem evocati sunt, ubi judicio principum sancitum fuit, quod imperator per consilium principum, si in electione discordarent, quam vellet idoneam personam subrogaret. At ipse optionem electionis iterum in praesentia sua eis concessit, ita (c), si praeteritae electionis discordiam deponere vellent. Ubi Folmarus interesse nolens, discessit. Alii vero, quamvis pauci, Rudolfum praepositum iterum electum praesentaverunt, et ab imperatore investitum, ad propria reduxerunt. Qui cum Treverim venisset, fautores Folmari domum sancti Petri (d) praeoccupaverunt, et clausis introrsum januis, aditum omnem cum satellitibus et armis eis prohibuerunt. Sed apud sanctum Symeonem solemniter susceptus, auctoritate imperatoris episcopatum sancivit (e).

At Folmarus terra marique laboriosum iter arripiens, Lucium (f) papam adiit, causam dixit, justitiam a sede apostolica expetiit. Papa dudum literas omnium personarum ecclesiae Trevirensis susceperat contra eum, et quia per subreptionem magis, quam per canonicam electionem obtinere velle audierat; ad curiam suam, die eis praefixa, adversarios suos cum personis ecclesiae evocavit, et audito electionis ordine circa utramque personam nihil eo tempore super hoc determinare judicavit, usque ad praesentiam imperatoris, qui ei de eodem negotio scripserat, quique jam in procinctu viae erat (g) occurrere ei apud Veronam. Ubi dum convenissent, et de negotiis, quae inter sedem apostolicam et imperium versabantur, quaestiones hinc inde discurrerent (h), inter ceteras quaestiones, ista habita est,

---

(a) Quidam codd. legunt: cessaretur, sed male. In nostro cod. S. Agn. verbum: cessaretur mutatum est in: cassaretur.

(b) Friderico I.

(c) ita tamen: cod. Eberh. Clus.

(d) i. e. ecclesiam metropolitanam.

(e) In edd. Mart. et Honth: saisivit.

(f) Lucium III.

(g) Ap. Eccard.: vix erat, sed omnino male.

(h) Mart.: discuterentur.

non una de minimis. Imperator enim (a) causam Rudolfi praepositi suam faciebat, unde et constanter petiit, ut eum, quem per sententiam principum investisset, papa consecrare non differret. Quod dum apostolicus, more curiae, de die in diem protrahendo, imperatori firmam spem suae voluntatis exequendae promitteret, tandem suggestum est imperatori a cardinalibus, quod ad sententiam dandam papa procedere non posset, non auditis allegationibus (b) utriusque partis. Ex consensu igitur imperatoris Rudolfus cum suis processit ad curiam, cui ex adversa parte Folmarus cum suis, quos evocaverat ad se, cum decano majoris ecclesiae, resistere paratus, litem suae causae ingressus est. Lite igitur contestata, dum utrique diu disputatum esset, et allegationes eorum in scriptum redactae, curiae repraesentatae fuissent, quia ita perplexum erat negotium, ut hinc imperatorem, inde papam graviter tangere videretur, diffinitivam sententiam promulgare distulit; et sic non modicum temporis elapsum est.

CAPUT XCIV.

His ita se habentibus, rex Heinricus, filius imperatoris, Treverim et in finitima ejus cum multitudine gravi venit, et inductus quorundam pravorum consilio, immunitatem cleri (c) et libertatem civium, quam praedecessores sui gloriosissimi principes eis contulerant, et inviolatam usque ad dies illos servaverant, infregit. Nam milites sui et apparitores, irruentes in domos clericorum, maxime eorum qui partem Folmari tueri videbantur, omnia bona eorum diripuerunt, quin etiam domum Folmari ad solum usque redegerunt (d). Si quis autem civium a delatoribus accusatus fuerat; vel ad redemptionem corporis et rerum suarum cogebatur, vel captivus adducebatur: quod factum initium et

---

(a) Imperator autem: cod. Eberh. Clus.

(b) Ap. Mart.: allegatoribus.

(c) Ap. Honth.: communitatem cleri, sed male.

(d) In cod. Trev. N°. 1462 legimus: „Rodolphus a paucis electus ab imperatore investitus. Reversus in sancto Symeone installatus. Quod Lucius papa moriens non determinavit. Vrbanus successor, licet Frederico imperatori promisisset, Folmarum non admissurum, ipsum approbavit et consecravit. — Henricus rex jussu patris domos aliorum spoliavit et publicavit. Itaque Hildegardis prophetia creditur hic impleta.

causa fuit magni mali et discordiae inter regnum et sacerdotium. Siquidem fama hujus mali cum ad curiam pervenisset, cardinales et universus clerus, qui de diversis provinciis ad curiam venerat, tantam injuriam in praesentia summi pontificis graviter deplangebant, adeo ut ipsum etiam ad lacrymas converterent. Missis itaque legatis suis ad imperatorem, rogavit, ut clericis Treverensibus ablata restituerentur. Quibus imperator respondisse fertur: „Immunitates ideo concessae sunt clericis, ut sequestrati a forensibus causis et tumultu populi, cum humilitate et devotione Deo in pace deserviant. Si autem, „quae Dei sunt, relinquentes, ea, quae sibi concessa non sunt, usurpaverint, privilegio libertatis suae gaudere non debent, nisi resipiscant. Quia ergo Trevirenses clerici jura imperii, quae ab antecessoribus nostris divis imperatoribus usque ad tempora nostra illibata „permanserant, attingere praesumpserunt, juste a filio nostro, glorioso „rege Heinrico, ut hostes rei publicae habiti sunt. Si autem dicitis: „sine sententia curiae nostrae et principum contra illos ejus emanavit „edictum; nos emendamus (a), et ut in pristinum statum restituantur, „volumus.“ Hoc responso accepto, nuntii reversi sunt in curiam. Dum haec ita gererentur, Lucius papa plenus dierum migravit ad Dominum; cui statim substitutus est Urbanus (b), qui fuit archiepiscopus Mediolanensis. Hic cum de negotio Treverensi nihil determinatum invenisset, gravius quam expediret, causam hujus negotii aggressus est; nam fere totus mundus, diversis emergentibus causis, ex hoc facto commotus est. Quod, quomodo ad effectum processerit, in sequentibus declarabitur (c).

(a) In cod. Eb. Cl.: non commendamus, ut in statum pristinum restituantur nolumus, sed male. — Mart. legit: non commendamus, ut et &c.

(b) Urbanus III.

(c) Dissensionis hujus historiam aliter refert Arnoldus Lubecensis (Chron. Slavorum Lib. III. capp. 10. et 16.), quam scriptor noster St. Mathianus. Hic magis favebat Rudolpho; Arnoldus vero Folmaro, quem Papa defendebat. Ambo scriptores (Ordinis S. Benedicti) his temporibus aequales erant. Browerus noster praefert Arnoldi opinionem, cui etiam consentit Auctuarium Aquicinctinum. — Confer Magnum Chronicon Belgicum ad annum 1183.

CAPUT XCV.

Contigit olim, cum imperator Fredericus Mediolanum, civitatem magnam obsessam, ad deditionem coegisset, cognatos et parentes domini Urbani papae inter ceteros captivos teneri, quorum quosdam proscriptione damnavit, quosdam mutilatione membrorum deformare praecepit (a). Ob hujus itaque facti vindictam dicebant quidam, praedictum apostolicum, anteqnam ad sedem apostolatus conscendisset, gravissimum rancorem servasse in corde suo contra imperatorem, quod postea in propatulo (b) claruit, secundum eorum assertionem, quibus causa nota erat. Nam postquam ad summi pontificatus gloriam sublimatus fuerat, omnibus viribus laborabat, quomodo imperatoris dignitatem et excellentiam humiliaret. Dum enim de compositione pacis inter eos a cardinalibus et episcopis diu laboratum esset, et quaestiones, quae inter sedem apostolicam et imperium de terra marchionissae Mathildis, a tempore Alexandri et Lucii papae, ventilatae erant, jam per compositionem terminandae essent, imperatore nihil mali suspicante: ipse dominus papa Urbanus contra juramentum, quia (c) in verbo Domini juraverat, et per venerabilem virum Monasteriensem episcopum Hermannum imperatori mandaverat, videlicet, quod Folmaro nunquam manus (d) consecrationis imponeret, sicut idem episcopus postea coram principibus confessus est, electionem Folmari approbare festinavit (e). Convocatis siquidem partibus, Folmari videlicet et Rudolfi praepositi, quae a tempore Lucii papae adhuc in curia diffinitivam sententiam praestolabantur, utriusque partis allegationes relegi fecit, et sic ad sententiam promulgandam consilio fratrum sabatho ante ascensionem Domini (f) hora nona processit. Tanta erat festinatio, ut non daretur praeposito tempus deliberandi usque mane: cum tamen inter cardinales essent quidam sanioris consilii,

---

(a) Al.: deformavit.
(b) patuit et claruit: cod. Eberh. Clus.
(c) Ap. Honth.: quod.
(d) Ap. Mart.: munus, sed male.
(e) Anno 1185.
(f) Domini: deest in edd.

quibus videretur sanum esse et justum, ut utriusque electio cassaretur, et ecclesiae Trevirensi libera electio redderetur, vel sententia in tempus magis opportunum differretur. Quorum consilium papa minus caute, si dici fas est, transgrediens, quod animo diu conceperat, ad effectum publice perduxit. Nam destituto Rudolfo praeposito, quia de manu imperatoris investituram receperat, electionem Folmari confirmavit, quem confirmatum subsequenter in archiepiscopum Trevirensem consecravit. Imperator, audita novitate hujus facti, sicut constantissimus semper fuerat in omnibus viis suis, motum animi sui repressit, et more solito indignationem mentis risu colorans, alto cordis secreto injuriam istam reposuit et mandavit filio, qui tunc temporis in Tusciam victrices aquilas converterat, ut injuriam imperio illatam vindicare non omitteret.

Igitur rex Heinricus nil moratus, exercitum convertit in Campaniam et in omnem circa regionem, totamque terram illam vel in deditionem accepit, vel omnino devastavit, nulliqui securus transitus dabatur eundi aut redeundi ad apostolicam sedem. Interea Folmarus, accepta consecratione pontificali (a), ex praecepto papae festinavit redire ad sedem suam. Mutato itaque pontificali habitu, in schemate servili de Verona noctu aufugit, et per montium pericula, per angustias semitarum, et quod gravius erat, per custodes, qui observabant introitus et exitus viarum, de Italia magno labore in Galliam pervenit. Ubi cum ad civitatem Tullensem pervenisset, ab episcopo ejusdem civitatis Petro non est receptus, prae timore et reverentia imperatoris. Inde vero digrediens, ad Metenses, qui adventum ejus desiderabant, iter arripuit, a quibus cum magno gaudio et solemni processione receptus, episcopo eum ducente, et obsequium sicut archiepiscopo suo ei praestante, in palatium ipsius est introductus. Ubi dum per aliquot dies requievisset, impatiens morae, ad montem sancti Petri, in terra comitis Thebaldi de Briei (b) situm, ipso (c) conductum

(a) Honth. legit: accepta benedictione pontificali et consecratione.
(b) Cod. Eb. Cl.: Theobaldi de Briei. — Eccard.: de Brie. — Mart.: de Briesi. — Al.: Briensis.
(c) i. e. comite Barrensi.

praestante, divertit, sedemque suam ibi constituit, et statim quosdam de praelatis Trevirensis ecclesiae non legitime citatos, ab officio et beneficio suspendit. Similiter et clericos quosdam cum laicis excommunicavit, discurrebantque sententiae suae sine ordine et sine discretione et misericordia.

CAPUT XCVI.

Orta est igitur in ecclesia Trevirensi gravis seditio, et scandalum quale ante auditum non fuerat, in clero et populo conflatum est. Nam fautores Folmari Rudolfum et omnes sequaces suos, quasi excommunicatos, vitabant, et literas excommunicationis eorum, quibus volebant, ostenderunt. Illi autem e contrario (a), muniti praesidio militum imperatoris, qui tunc frequentius in civitate et in finibus ejus morabantur, observabant vias adversariorum suorum, ut si quos invenirent hujus viae aut professionis viros aut (b) mulieres, vinctos perducerent ad imperatorem. Unde factum est, ut quendam monachum Cisterciensis ordinis, qui se nuntium archiepiscopi Folmari esse dicebat, comprehenderent, et in custodia palatii usque ad responsum imperatoris detinerent; cujus absolutionem rex Franciae (c) apud imperatorem postea obtinuit, sub hac determinatione, ne de regno suo aliquas literas Folmari vel mandatum afferret.

Quid plura? Crescebat in dies malum discordiae et augmentabatur, et non erat, qui attenderet; cum etiam (d) ipsi, qui videbantur aliquid esse in ecclesia Treverensi, cauteriatam (e) haberent conscientiam, considerantes ex una parte maledictionem excommunicationis, ex altera parte timentes destructionem ecclesiarum, et utrobique, permittente Deo, regnare spiritum erroris. In hac perplexitate involuti tenebantur, nec erat facile invenire consilium de duobus malis potius eligere, dum hinc spiritalis gladius indiscrete saeviret, inde materialis non unum hominem, sed uni commissum gregem fidelium, pro

---

(a) Eccard.: egregio.
(b) et mulieres: in edd.
(c) Philippus II. (Augustus.)
(d) Ap. Honth.: cum enim &c.
(e) cauterisatam: ap. Mart.

facto unius absumendo (a), dispergeret. In tantum autem crevit malum, ut si quis a praelatis suis pro excessibus arguebatur, quasi ipse solus catholicus inventus esset, eos excommunicatos denunciabat. Si qui etiam in clero vel in populo modestius se gerebant, quasi rei majestatis, Folmariani esse dicebantur, et opprimebantur a superveniente iniquitate insidiatorum. Et completa est prophetia illa in praelatis Treverensis ecclesiae, quae dicit: Et erit sicut populus sic et sacerdos (b). Qui enim ante spiritalis gladii terrore inimicos suos et invasores ecclesiarum ferire solebant, nunc (c) in derisum et opproprium facti sunt, inimicis subsannantibus eos et dicentibus: „Ex„communicationes vestras non timemus, anathemata vestra non perti„mescimus, quia vos in eadem damnatione positi estis.“ Haec dicentes impune res ecclesiarum diripiebant; et non erat, qui resisteret. Et factum est, ut Treveris, quae olim erat alumna veritatis, cogeretur iterum esse ancilla erroris. Completa est ergo in ea prophetia beatae virginis Hildegardis, quam in praesentia totius cleri, et postea scripto de ea prophetavit, dicens: „Scindetur pallium dila„tionis divitiarum tuarum.“ Audiant, qui conflatores scismatum esse non verentur, et discant in (d) malis nostris vesaniae suae impetum refraenare, et non mentiri Spiritui sancto, cum ad electionem consederint. Electiones enim datae sunt fidelibus, non ut propriae voluntatis commodum, aut gratiam amicorum quaerant; sed ut communem omnium salutem per invocationem sancti Spiritus in sinceritate cordis perquirant. Hanc digressionem necessariam esse rati fecimus (e): nunc ad propositum redeamus.

CAPUT XCVII.

Imperator, dispositis rebus suis in Italia, et Cremonensibus, quibus tunc bellum intulerat, in gratiam receptis, in Galliam et in Ger-

---

(a) Ibid.: adsumendo.
(b) Confer supra notam nostram (d) ad cap. 94.
(c) Nota aetatem auctoris: animadvertit ad hunc locum Martene.
(d) a malis &c.: cod. Eberh. Clus.
(e) Mart. legit: rati sumus &c.

maniam cum festinatione reversus est. Convocatis igitur principibus apud Lutram castellum (a), Treverenses etiam illuc evocari praecepit, inter quos etiam Rudolfum praepositum cum ceteris praelatis acciri mandavit. Habito itaque sermone ad principes, injuriam sibi ab apostolico irrogatam, et temeritatem Folmari coram omnibus exposuit; consilioque principum praedictum praepositum, qui jam destitutus a papa in domum suam redierat, manifeste conveniens, duarum propositionum alteram elegendi optionem dedit ei; ut vel ad sedem principatus sui Treverim rediret, vel alterum cum ceteris praelatis et clero eligeret, quem in locum ejus substitueret. Inito igitur consilio, Trevirenses, cum in tanto discrimine rerum positi essent, malebant minori subjacere periculo, quam majus capiti suo aggravare malum. Satius enim videbatur eis majoris praepositi, viri mansueti et pacifici, sine electione dominium ferre, quam alterum contra interdictum apostolici per electionem intrudere. Urgebat (b) enim sermo regis, ut alterum duorum facerent (c). Assumpto itaque secum Rudolfo praeposito, ad propria redierunt, et eum in loco electi, sine electione reverenter tenuerunt. In hac curia Bertrammus, Metensis episcopus, cum non esset ante in gratia imperatoris, propter solemnitatem, quam exhibuit Folmaro redeunti a sede apostolica, juravit, quod indignationem imperatoris tantam adversus eundem Folmarum, tempore quo eum recepit, non percepisset, quantam postea recognovit, et quaedam alia capitula in eodem juramento addidit. Dum haec ita geruntur, Folmarus ab incepto non desistens, legationem apostolicae sedis a papa per nuntios impetravit, ut facta sua majorem auctoritate summi pontificis sortirentur vigorem. Accepta igitur suae voluntatis plenitudine, statim Treverensibus et suffraganeis ecclesiis concilium indixit, apud Mosomum (d), castrum archiepiscopi Remensis, qui eum eo tempore ma-

---

(a) Treviros inter et Nemetes situm. Eccardus legit male: Litram.
(b) Vigebat: ed. Eccard.
(c) Honth. legit: ut alteri duorum faverent.
(d) Mousonium castrum Mosae adjacens. — Madaurensis episcopus in Annal. Met. Remis, non Mosomi habitam synodum minus juste refert, aliasque circumstantias paulo aliter. Cod. Trev. N°. 1462. habet: „Folmarus apud castrum Mosanum ut legatus concilium celebravit.“ — Conf. cap. sequens.

nutenebat, et solatium ei per se et suos in multis exhibebat. Universi itaque tam cleri quam praelati suffraganearum ecclesiarum, et plurimi pastores ecclesiarum de archidiaconatu (a), quod inter Treverim et Yvodium (b) castrum constitutum est, timentes ordini suo, ad concilium istud, antecedente eos episcopo Metense, Dominica qua cantatur: Invocavit, convenerunt. Petrus vero Tullensis et Henricus Virdunensis episcopi, appellatione interposita, non venerunt. Venerunt et multi tam magistri, quam clerici de Francia, inter quos etiam quidam episcopi, animantes eum, ut auctoritatis sibi concessae potestate uteretur, et subditos suos a subjectione resilientes, censura ecclesiastica coerceret. Horum ergo suffragiis animatus, praelatorum quosdam et clericorum Trevirensium excommunicavit; quosdam ab officio et beneficio suspendit; quosdam vero sine spe veniae deposuit; Petrum etiam Tullensem episcopum excommunicavit, Henricum Virdunensem, ultro se offerentem, ab episcopatu deposuit, et sic in absentes grassatus, non convictos neque confessos damnavit. Haec ergo causa malorum iracundiae fomitem ministravit, et indignationem imperatoris contra eum magis ac magis accendit.

CAPUT XCVIII.

Per idem tempus rex Franciae Philippus, illustris et magnificus juvenis, cum imperatore per internuntios agebat, ut confoederarentur ad invicem contra omnes inimicos suos. Quod imperator benigne acceptans, coepit esse auctor hujus confoederationis, ratus, sibi in multis posse (c) favorem regis Franciae prodesse. Confirmatum est ergo foedus amicitiae inter duos principes terrae, et bullis eorum aureis in scripto roboratum; ubi inter cetera amicitiae vincula rex Franciae, ad instantiam imperatoris, promisit, quod Folmarum de regno suo ejiceret: quod etiam executioni mandasset, nisi interventu Remensis archiepiscopi interceptum fuisset. A Mosomo tamen castro mandato regis

---

(a) Longvionensi.
(b) Al.: Ivodunum.
(c) Cod. S. Agn.: post se.

ejectus, Remis et in alias Franciae civitates secessit. Tempore vero quo imperator et rex in extremis finibus regnorum suorum, inter Yvodium videlicet et Mosomum, sibi occurrerunt, ad confirmandum foedus amicitiae suae, praesentialiter, instante imperatore, compromissum est a rege Franciae et principibus suis, quod de cetero Folmarum in regno Francorum non permitterent delitescere. Videns ergo se Folmarus illusum a Francis, ad regem Angliae (a), qui tunc temporis gravem animum gerebat adversus imperatorem, se convertit. Qui honorifice eum suscipiens, in territorio Turonensi apud sanctum Cosmam (b) locavit et reditus ei quotidianos ad vitae subsidium large satis assignavit.

Interea imperator acceptae injuriae non immemor, episcopum Metensem, quia in concilio Mosomitano cum Folmaro visus fuerat, per Wernerum (c) de Bolande de episcopatu ejecit, qui confugiens ad Coloniensem archiepiscopum, apud eum per omne tempus scismatis delituit: cum tamen idem vir venerabilis, Coloniensis videlicet archiepiscopus, pro eodem negotio, gravissimum jam adversus se sensisset imperatoris animum (d). Aliis namque principibus contra factum Urbani papae imperatori assistentibus, iste solus, multiplicibus intervenientibus causis, non consensit; sed cum diversae discurrerent inter eos quaestiones, hac honesta occasione assumta, ipsi in faciem restitit, et contra omnem impetum se muniens, non formidabat imperii principatum, ut cum aliis suo se opponere vellet patri spirituali. Unde factum est, ut gravissimi motus inter imperatorem et ipsum Coloni-

---

(a) Henricum II.

(d) Monasterium canonicorum regularium S. Augustini, poenitentia et sepultura Berengarii, Andegavensis archidiaconi, notum. Vide Sigebert. append. in annum 1181.

(c) Al.: Warnerum.

(d) „Imperator," scribit Browerus (Op. c. II. p. 84.) „Wernerum de Bolandia ad ur- „bem Mediomatricum mittit cum potestate, eidemque, ut honore Bertrammum Meten- „sem submoveat, mandata dat. Quod haud segniter ille non diligentius, quam ava- „rius perfecit: quippe, ut Mediomatricum praesulum acta testantur, omnes episcopi „facultates in fiscum imperatoris cogit, raptuque sacrilego, universos Metensis eccle- „siae thesauros, usus ad id praefectorum ministerio, foeda direptione compilavit. — „Bertrammus igitur ab omni spe reque derelictus, ad Philippum Coloniensem, quocum „gravissime tum Fridericus dissidebat, auxilii tandem causa venit."

ensem principem emergerent, qui totum imperium commovere potuissent, nisi quod, divina favente clementia, in curia apud Mogontiam celebrata, quae appellatur curia Christi, mediantibus principibus, et multiplicatis intercessoribus, sopiti sunt.

Dum haec ita geruntur, Petrus, Tullensis episcopus, audita excommunicationis suae sententia in concilio facta, ad sedem apostolicam, ad quam appellaverat, accessit. Cui dum appropinquasset, audivit Urbanum papam de hoc mundo migrasse, festinavitque, ut ejus interesset exequiis. Praemissis igitur nuntiis, adventum suum curiae intimavit. Interea fratres ad electionem consedentes, Albertum cancellarium, virum sanctum et religiosum, in locum pastoris defuncti substituerunt, eumque Gregorium (a) appellaverunt. Qui audiens de adventu Tullensis episcopi, mandavit ei, ut suae festinaret interesse consecrationi. Quod quidam cardinalium indigne ferentes, dicebant eum excommunicatum esse a suo archiepiscopo, et ideo consecrationi apostolicae non debere interesse, nisi impetrata prius absolutione. Ille autem e contrario dicebat, episcopum non convictum a suo archiepiscopo non posse excommunicari; se autem appellationem interposuisse, et ideo excommunicationem illam nullius esse vigoris: ergo ubi nulla esset excommunicatio, nulla petenda esset absolutio. Cui cum omnes in verbo isto consensissent, in osculo pacis receptus, consecrationi interfuit apostolicae.

Expletis igitur pro quibus venerat negotiis, cum benedictione apostolica ad sedem propriam reversus est, ferens secum mandatum apostolicum ad archiepiscopum Folmarum, ne de cetero omni tempore vitae suae, sine scitu apostolicae sedis, in clerum vel populum Treverensem et suffraganearum ecclesiarum, jacula sententiarum suarum et excommunicationum passim emittere praesumeret. Arguebat enim eum papa propter indiscretam suae temeritatis praesumptionem in sententiarum promulgatione (b), dicens: „Negligentiae „suae imputari debere, quod mandata apostolicae sedis in despectum „venissent hominum, et cum ipse missus sit, pacem mittere, non gla-

(a) Greg. VIII. an. 1187.
(b) Ap. Honth.: et sententiarum promulgationem.

„dium, multos in confusionem et scandalum, paucos revocaverit in „gratiam."

CAPUT XCIX.

In diebus illis (a) Orientalis ecclesia in Judaea et Hierusalem (b), cum principibus populi sui, a Saladino (c), rege Sarracenorum, permittente Deo, capta est. Crux etiam sancta, in qua pependit innocens agnus, qui tulit peccata mundi, cum innumeris captivis abducta est; veneruntque gentes in haereditatem Christi, et polluerunt templum sanctum suum, et effuderunt sanguinem sanctorum (d) in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret. Audiens autem Gregorius papa captam civitatem sanctam, flevit super illam, dicens: „Deducant oculi mei lacrymas per diem et noctem, et non taceant, quia „contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer." Planxit autem planctu magno super desolatione terrae, et noluit consolari usque ad finem vitae suae, quia propter scelus populi, parvuli ejus ducti sunt in captivitatem. Assumpto igitur viro venerabili Henrico, Albanensi episcopo, misit eum ad imperatorem et ad ceteros reges terrae et omnes populos, principes et omnes judices terrae, ut miseriam orientalis ecclesiae coram eis deplangeret, et hortaretur eos crucem sumere, et pro Christo laborem subire, ad faciendam vindictam in nationibus, et terram sanctam liberare de manu hostili. Ut autem ad hoc imperatoris excitaret devotionem, de negotio Treverensi coepit temperantius agere, quia sciebat ejus animum pro eodem negotio curiae apostolicae valde offensum fuisse. Igitur vir venerabilis Henricus, episcopus Albanensis, de nocte consurgens, transivit montana cum festinatione, et venit in terram, quam monstraverat sibi papa, et praedicavit in ea praedicationem, dicens: „Qui non bajulat crucem suam et sequitur Christum, non est eo dignus." Facta

(a) Anno 1187.
(b) Cod. Eberh. Clus.: Orientalis ecclesia, id est, Judaea et Jherusalem. — Honth. legit: Orientali in ecclesia Judaea et Jerusalem.
(c) Al.: Sadalino. — Honth. legit: Sadalmo.
(d) Quidam codd. mss. et cum his Honth. verbum: sanctorum omiserunt.

autem hac voce, convenit multitudo ad curiam Moguntinam, quae appellabatur curia Christi, ubi christianissimus imperator cum filio suo, duce Sueviae (a), et principibus populi sui, et cum multitudine valida armatorum, sumpta cruce, secutus est Christum, commendans filio suo regi (b), cum ceteris imperii gubernaculis, etiam Treverense negotium, cujus consummationis nondum venerat finis. Cum autem Gregorius papa in exordio apostolatus sui huic negotio finem impositurus esset, raptus est, ne malitia immutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam ipsius. Multa enim proposuerat immutare in ecclesia Dei, et in meliorem statum secundum considerationem animi sui reformare; sed antequam ad effectum propositum suum perduceret, sicut praedictum est, morte intercedente praeventus est (c). Consummatus igitur in brevi, indeterminatum reliquit Treverense negotium.

Defuncto itaque papa Gregorio, Clemens (d) substitutus est. Hic cum de negotio Treverensi, quod celebre erat in curia et in universo mundo, a praedecessoribus suis nihil determinatum invenisset, volens satisfacere principibus, imperatori videlicet et regi, consilio fratrum decrevit eidem negotio finem imponere. Emissis igitur duobus cardinalibus, Jordano videlicet et Petro, quaestiones quae inter praedecessores suos et imperatorem diventilatae erant, in formam diffinitivam redactas, per eos imperatori et regi transmisit. Imperator autem, cum jam in procinctu itineris sui esset, acceptavit formam compositionis illius, et eam in charta conscribi fecit, bullisque aureis confirmari (e) mandavit. His ita (f) gestis, imperator, cum in spatio unius (g) anni commeatus viarum et expensas itineris praeparasset, iter arripuit, et exercitum vivificae crucis per desertum Hungariae et Bulgariae, quasi

(a) Friderico Suevorum duce. — Honth. legit: duce viae suae; sed pessime, etsi in quibusdam codd. mss. haec lectio occurrat. — — Imperator crucem accipit in comitiis Moguntiae habitis an. 1188. et ad expeditionem cruciatam se accingit an. 1189.

(b) Henrico VI.

(c) Gregorius Papa obiit 17. Decembris an: 1187.

(d) Clemens III.

(e) Ap. Eccard. desideratur: confirmari.

(f) itaque: in edd.

(g) hujus anni: Mart.

alter Moyses transduxit. Cujus itineris et rerum gestarum seriem, quia nobis ad plenum non innotuit, et non est instantis operis, omittentes, ad praepositi negotii finem explanandum redeamus.

CAPUT C.

Rex igitur Heinricus, post discessum patris sui, negotii Treverensis dispendium volens abbreviare, nuntios suos ad papam transmisit, ut compositionem, quae inter eos facta fuerat, et quam scripto jam confirmaverant, in publico executioni mandaret. Ubi autem venit plenitudo temporis, ut miseriarum Treverensis ecclesiae finem diu exspectatum Dominus imponere vellet, Clemens papa legatum apostolicae sedis dominum Gofridum (a), tituli sanctae Mariae inviolatae (b) cardinalem ad regem transmisit, ut secundum tenorem compositionis factae, negotium Treverense determinaret. Ille autem profectus, praedicavit ubique pacem sanctam inter regnum et sacerdotium, Deo cooperante et sermonem confirmante sequentibus etiam signis confirmatae compositionis. Siquidem juxta mandatum papae Treverim accessit, et ecclesiam totam cum suffraganeis ecclesiis ab obedientia Folmari, auctoritate apostolica, absolvit. Si quos etiam idem Folmarus excommunicaverat, officio et beneficio privaverat, vel omnino deposuerat, in statum pristinum restituit. Ut autem factum suum majore contra obloquentes muniretur praesidio, chartam sigillo papae et subscriptione cardinalium munitam proposuit, quam etiam in publico relegi praecepit; in qua continebatur, quod papa pro ejusdem negotii determinatione archiepiscopum Folmarum, tertio per cardinales citatum, et tandem non venientem, ab administratione Treverensis ecclesiae omnino deposuit; consecrationem tamen pontificalem (c) non ademit. Ecclesiam vero Treverensem ab obedientia sua in eodem scripto liberavit; omnes quos ille ligaverat, absolvit; quos ille deposuerat, in

---

(a) Sofridum: Honth. — Al.: Jofridum.
(b) Sic constanter nostri codd. Consentit Browerus. Martene vero aut legit, aut potius, ut opinamur, ex arbitrio permutavit in: Mariae in Via lata.
(c) pontificalem: deest ap. Mart.

pristinum honorem restituit; quidquid etiam tempore scismatis ab utroque, Rudolfo videlicet praeposito et Folmaro, constitutum fuerat, quod alicui in jure suo derogare posset, in irritum revocavit. His omnibus praemissis, tandem ecclesiae Treverensi in eodem scripto liberam electionem antistitem eligendi concessit (a). Accepta igitur electionis suae libertate, Treverenses suggestione et precibus regis, qui tunc temporis in civitate praesens erat, dominum Johannem, imperialis aulae cancellarium (b), unanimiter elegerunt; electum regi investiendum praesentaverunt. Peractis autem omnibus solennitatibus electionis, auctoritate apostolica a cardinale (c) confirmatus est.

CAPUT CI.

Anno gratiae (d) M. C. XC. suscepit regimen Treverensis ecclesiae Johannes cancellarius (e), et repropitiatus est Dominus terrae post haec. Cujus pallium cum a Clemente papa reciperet Hermannus abbas Claustri, exclamasse dicitur et dixisse: Benedictus sit Deus: hodie deletum est chyrographum maledictionis nostrae. (f). Sciscitante papa quid hoc esset? respondit: quod beata Hildegardis praedixisset, coronam Trevericae dignitatis dejectam jacere debere septem annis, et illam diem aestimabat ultimam esse illius infelicis septennii. Quae Hildegardis cum praesentialiter clerum Tre-

---

(a) Et discordia decennio (accuratius: septennio) protracta cessavit: addit cod. Trev. N°. 1462.

(b) Qua stirpe ortus fuerit iste Johannes, de hoc nihil certi extat. Kyriander (Annal. Trevir. P. XV. p. m. 161.) haec de illo notat: „Natum in ipsa Treverorum Augusta fertur, genere medioeri, et imperialis aulae cancellarium fuisse traditur.“ Contra haec Reiffenberg (in notis et additam. mss. ad Broweri Annal. Trevir. lib. XV.) illum ex illustri Nassowicorum stirpe procreatum suspicatur. Utraque opinio nullo fundamento nititur fide digno. „Coaevi scriptores et documenta silent,“ scribit Honth. (Hist. Trev. dipl. I. p. 618.).

(c) Godefrido tit. S. Mariae inviolatae.

(d) Mart.: Anno Dominicae incarn. — Honth.: Anno MCXC.

(e) Henrici VI.

(f) Hic locus explicationem dat verborum, quae leguntur in epitaphio hujus archiepiscopi, scilicet: „Per quem deletum est maledictionis chirographum terrae hujus.“ — —
Hermannus, abbas Hemmenrodensis, Johanni ejus nominis primo, electo Trevirorum archiepiscopo, pallium a Clemente Pontifice maximo impetravit. (V. Heesii Manipul. rer. memorab. Claustri Hemmenrod. p. 29.)

verensem culparet pro peccatis, et quidam dicerent ei: Domina, quod est peccatum nostrum (g), quod fecimus? ipsa memorabile verbum intulit, dicens: Spiritus sanctus non confundit.

Itaque Johannes, accepto episcopatu, prudenter se agebat, prudentia magis quam potestate episcopatum suum regere instituens, eo quod terra pauper et sterilis esset, et bella ferre non valeret. Captus tamen a Frederico, comite Viennensi, et custodiae mancipatus est. Unde permotus Henricus palatinus comes Rheni, dixit se et sua exponere se (b) velle ad liberationem domini sui. Ipso igitur et aliis potentibus ad bellum se parantibus, comes episcopum dimisit, transactione interveniente.

Sane, anno pontificatus sui primo nondum finito, Fredericus imperator in transmarinis partibus, dum refrigerandi causa quendam parvum fluvium (c) transnatare vellet, mersus interiit, ac negotium terrae sanctae infectum reliquit (d). Henricus vero filius ejus effectus est imperator; sed et ipse (e) mortuus est in Sicilia, anno octavo domini Johannis, qui fuit annus Dominicae incarnationis M. CXC. VII. Quo mortuo, volebant inferioris terrae principes assumere sibi in regem Bertoldum, ducem Ceringensem (f). Quo ad placitum diem non veniente, et voluntati ipsorum renuntiante, Adolfus, Coloniensis archiepiscopus, ex consensu Treverensis, habens et ipse vocem electionis nomine quorundam principum peregre profectorum, ut asserebat, Ottonem (g), comitem Pictaviensem, fratrem Henrici supradicti comitis palatini, et filium magni illius ducis de Saxonia, Henrici videlicet (h),

---

(a) Quid fecimus?: Mart.

(b) Minus accurate ap. Honth.: dixit, et se sua exponere se &c.

(c) Edd.: „dum fluvium quendam transnatare vellet.“ — „In Armenia in parvo flumine „submersus interiit“: cod. Trev. N°. 1462. — „fluvium intrasset, videntibus qui ad„erant, mersus &c.“: cod. Eberh. Clus.

(d) imperfectum rel.: ibid.

(e) pestilentia: ibid. additur. — Utrum veneno interierit, procurante uxore Constantia? vide Conr. Ursp. — Quidam codd. mss. et edd. habent: anno nono, et notant annum 1198. Obiit vero 4. Kal. Octobr. 1197. — V. Ottonem de S. Blasio, c. 45.

(f) Zaringiae ducem.

(g) Ottonem IV. — Conf. Godofredum Colon. ad an. 1198.

(h) Henrici Leonis.

evocavit atque unxit in regem Romanorum. Philippus autem dux Sueviae, frater imperatoris defuncti, missis nuntiis, conabatur principes avertere ab hac intentione, et memores esse fidei et pacti, quod fecerant fratri suo, de filio ipsius Frederico, rege Siciliae, in Romanum imperium eligendo. Sed cum hoc efficere non posset, convenientes superiorum regionum principes, ipsum Philippum sibi elegerunt in regem; et fuerunt haec initia magnorum malorum. Et fuit concertatio inter duos reges, et duravit per decem annos. Philippus igitur venit cum exercitu magno, et cum Bohemis ad Colonienses cohercendos, et processit usque Bunnam. Eratque Colonia tunc moenibus immunita et animis (a) destituta; et si tunc processisset, finem malis forsitan imposuisset. Sed adventu Brabantinorum conterritus, reversus est in sua. Sed palatinus comes de peregrinatione reversus, electionem fratris sui ratam habuit; et ipse post modicum temporis castrum aedificavit super Mosellam, quod Thurunum appellavit (b).

Fovit autem partes Ottonis Innocentius papa tertius supra modum, misitque ei de latere suo Guidonem cardinalem, qui postmodum factus est archiepiscopus Remorum, quod principes induceret ad assistendum ei. Ipse vero, congregato exercitu, ascendit et obsedit Philippum in Spirea (c). At ille, emisso verbo, quod vellet ire ad congregandum exercitum, transivit Rhenum et abiit, et Otto reversus est in sua.

His ita alternatim invalescentibus, Waleramus (d), filius Henrici ducis de Lympurch, qui Philippo se conjunxerat, de ipsius nutu reconciliatus est Ottoni, et fuit cum eo cunctis diebus. Hic est Waleramus, qui post mortem Theobaldi, comitis Barensis, relictam ejus viduam comitissam de Luccelenburch (e) accepit uxorem, et pacem bonam diebus suis fecit in territorio Treverensi, vir (f) spectabilis et

---

(a) Sic satis clare in nostris codd. mss. Mart. vero habet: armis.
(b) Mart.: appellatur. — De hoc castro vide notas nostras in fine.
(c) Al.: Spira.
(d) Walerannus, Waleramnus.
(e) Ermesindem.
(f) Mart.: ubi spectabilis &c.

per cuncta commendabilis quantum ad saecularia; atque utinam tanto studio saluti suae aeternae, quanto temporali gloriae providisset.

Sane licet apostolicus Philippum et ejus adjutores jam excommunicasset; Adolphus tamen Coloniensis archiepiscopus, ortis quibusdam simultatibus, abalienavit se manifeste ab Ottone, et transiit in adversam partem, nec veritus infamiam, nec censuram ecclesiasticam; propter quod a civitate est aliquamdiu repulsus, postea excommunicatus, ad extremum vero depositus est. Nam cum ipse Brunonem, praepositum Bunnensem, de praepositura sua ejiceret et alium institueret, permoti (a) priores Colonienses, literas apostolicas de depositione ipsius publicaverunt, eoque deposito, Brunonem in episcopatum subrogaverunt (b). Erat ibidem tunc temporis Sifridus, Maguntinus (c) archiepiscopus, pauper et modicus, cooperator eorum in his. Nam Conrado, Maguntinorum archiepiscopo, viam universae carnis ingresso, Philippus in Maguntia Lupoldum, Wormatiensem episcopum, instituit; ex altera parte cooperantibus Wernero et Philippo fratribus de Bolandia, qui tunc a Philippo rege defecerant et Ottoni adhaerebant, Sifridus a quibusdam clericis electus est. Quid plura? Lupoldum Philippus in regia manu tenebat, Sifridum Innocentius papa sua auctoritate firmabat. Propulsus tamen Sifridus a diocesi sua, Coloniam (d) se recepit, fuitque ibi usque ad mortem Philippi. Inter haec omnia Ottone deficiente in dies, Philippus invaluit, collectoque exercitu Coloniam obsedit, et hoc tantum (e) a superiori parte ad duas portas; erantque in civitate (f) Otto et Waleramus cum militia, non tanta

---

(a) Eccard. et Honth. legunt: promoti; sed male.

(b) Cod. ms. Colon., qui in bibl. Trev. asservatur, N°. 1432. sign., de hoc Adolpho haec scribit. „Frater erat Brunonis III., comitis ab Altena, et archiep. Colon., et „tandem monachi in Veteri-Campo. Anno 1198. Aquisgrani coronavit Ottonem Imperatorem; cumque ibidem anno 1205. coronaverit Philippum, per Pontificem exauthoratus fuit. Bruno IV., Comes de Sayn, praepositus Bonnensis, anno 1206. ei „successit.“

(c) Al.: Moguntinensis, Moguntinus.

(d) Quidam codd.: Coloniae.

(e) Mart.: et hic tantum &c. — Honth.: sed hoc tantum &c.

(f) Edd. praef.: Erant in vicinitate &c. — militia non tanta; tamen quae sufficeret &c.: sic legit Mart.

tamen, quae sufficeret ad congressum publicum. Post paucos dies Philippus iterum reversus est in sua. Tertio venit Aquisgranum, solemnem curiam habiturus et uxorem suam coronaturus (a). Ad quam curiam Johannes Treverensis archiepiscopus vocatus fuerat, et viam arripuerat; sed prae timore apostolici pervenire non audebat. Corruit ergo in via, vel potius corruisse se fecit, et remansit apud Monasterium (b), quasi confractus (c) et sanguinem spuens. Quod factum cum audiret papa, dixisse dicitur: Felix ille casus.

Ad ultimum venit Philippus in partes Aquensium, et occurrerunt ei rex Otto et Bruno episcopus et Waleramus. Et Henricus dux, pater Walerami, in eodem itinere, inconsulto Ottone, reconciliavit se Philippo. Proditione igitur, ut dicebatur, quorundam dissipatus est Ottonis exercitus, et fugiens ipse Otto, reversus est Coloniam, et transtulit se in Saxoniam (d), et Colonia subdidit se Philippo. Papa quoque reconciliatus est ei, et petiit sibi transmitti Brunonem episcopum. Philippus vero de supradicto itinere revertens, castrum munivit in confinio Treverensi et Coloniensi (e), quod Landiscrone (f) appellatur.

Post haec, anno nondum finito, Bauemberg in domo episcopi (g) Philippus est occisus anno Domini M. CC. VIII. (h) mense Junio. Tunc Bruno Coloniensis et Sifridus Maguntinus archiepiscopi reversi sunt in dioceses suas; sed Bruno post haec in brevi defunctus est. Cui successit Theodericus, quo pessime deposito, successit Egilbertus (i).

Post mortem Philippi, convenientes episcopi in unum, elegerunt, vel potius receperunt Ottonem universaliter in regem, qui statim pergens Romam consecratus est in imperatorem. Nec mora propter

(a) Verba: et uxorem suam coronaturus &c., omisit in sua editione Honthemius; quod mirum, non enim omissa sunt in cod. St. Paulin., quo usus est in sua edit.
(b) Cod. Eberh. Clus. addit: monasterium Meynfeldt. — Anno scilicet 1206.
(c) Honth. legit: confectus.
(d) Et in Angliam secessit Otto. Godofr. Colon. ad an. 1206.
(e) Edd.: in confinio Coloniae et Treviris.
(f) Cod. Eberh. Clus.: Landeskroen.
(g) Haec: Bauemberg &c. desiderantur in edd.
(h) Quidam codd. mss. et edit. Mart. male scribunt: MCCI. — Eccardus false habet: 1203.
(i) Engilbertus: cod. ms. S. Agn. — Engelbertus: Mart.

terram Methildis (a) marchionissae, quia eam dare nolebat summo pontifici, ab ipso excommunicatus est, et excommunicatus (b) reversus est in Alemanniam. Unde post aliquot annos convenerunt apud Confluentiam Treverensis et Moguntinensis archiepiscopi, et Spirensis episcopus (c) Conradus, tunc cancellarius, videre de statu regni. Et missum est pro puero Frederico, rege Siciliae, filio Henrici imperatoris, et introductus est in regnum Romanorum anno Domini M. CC. XII. (d), quod condictum fuit ei a principibus antea, ut supra dictum est. Invaluitque contra Ottonem, Sifrido Moguntinensi assumente sibi potestatem, etiam contra eum, ex auctoritate apostolica accedente quoque ad idem laterino (e) apostolicae sedis legato, et ab eis depositus est Theodericus, Coloniensis archiepiscopus, eo quod fautor esset Ottonis.

His ita quasi per excursum (f) succincte transmissis, ad anteriora redeamus; nam de incendiis, caedibus et depraedationibus. quae factae sunt in regionibus per ista tempora, digna loqui non sufficimus, nec etiam sunt operis hujus.

Inter tot turbines, inter tantas rerum varietates Johannes archiepiscopus tam mirabili calliditate, et tam ingeniosa (g) circumspectione Trevirorum rexit ecclesiam, ut non sit ei nocitum (h), neque in persona sua, neque in terra sua (i).

Perplexus inter legem et regem, inter instantiam Innocentii et

---

(a) Mathildis.

(b) Sigfridus, archipraesul Moguntinus, et Albertus Magdeb. excommunicationis decretum publicant in Germania. V. Chron. Montis Sereni ad an. 1211. et 1212.

(c) Quae sequuntur usque ad verba: est pro puero &c., non leguntur in quibusdam codd. mss., neque ap. Honth.

(d) Hic iterum variant codd. mss. et Gestor. Trevir. editores, quoad computum temporis; hi fere omnes false allegant annum 1203; Honth. vero annum 1211. — Sed confer Godofr. Colon. ad an. 1212., et Conrad. Ursperg.

(e) Sic nostri codd. — Sermo est de legato Pontificis a latere. — Mart. legit: Alarico, et Honth.: Materno; sed ambo in errore sunt.

(f) Ap Honth.: excessum.

(g) Ap. Mart.: religiosa. Nostrae lectioni concordant optimi codices mss.

(h) et non sit nocitum: cod. S. Agn.

(i) neque in patria sua: addit cod. Eberh. Clus.

Philippi potentiam, ita caute ambulavit inter utramque, ut nec istum laederet, nec ab illo laedi posset.

Ut ergo ad anteriora redeamus. Ipse Gerlacum, virum nobilem de Koverna (a), pro eo, quod extra castrum suum aliud de novo exstruxerat, cepit, et accepto in proprietatem castro, dimisit eum, et castrum dimisit ei (b). Postea crescente discordia inter Ottonem et Philippum, ipse de voluntate Guidonis cardinalis ivit in Franciam, quasi iturus ad papam. Ubi cum a Cisterciensibus (c) audiret, quod dominus papa vellet exactionem facere in ordinem de viginti (d), et de personis ad subsidium terrae sanctae mittendis, dixit: se in propria persona et in suis expensis ire velle Romam, et ab hac intentione deducere dominum papam. Quod dixit et fecit. Reversus autem a Roma, destruxit castrum, quod comes de Castris interim construxerat in Berincastrum (e). Post paucos annos comes Viandensis castsum aedificare coepit non longe a civitate, in Quintinberg juxta fontem Milonis. Johannes igitur, collecto exercitu, castrum obsedit, aliud ipse in proximo monte (f) aedificavit, et sic obsidionem solvit. Infra paucos dies per ejus industriam, vino optimo ibidem a tabernario exposito, castellani servi comitis facti sunt temulenti; eisque sic soporatis, castellani episcopi castrum comitis invaserunt et combusserunt. Quo facto, episcopus delevit et suum.

Nec praetereundum videtur, quod in diebus ejus civitas Constantinopolitana a Theutonibus (g) et Francis capta est, anno videlicet pontificatus ejus XV., sed anno Dominicae incarnationis M. CC. IIII. Quod praecipue commemoramus propter hoc, quod ex eo facto in-

---

(a) Konna: male ap. Mart.

(b) Cod. Eberh. Clus.: et castrum utrumque in feudum dimisit ei. — Nota marginalis cod. S. Agn. habet: utrumque in feudum.

(c) a domino Cisterciensi: cod. Eberh. Clus.

(d) Edd.: de vigesima. Nostris codicibus consentit Parisiensis.

(e) Al.: Berencastel, Berincastel, Beronis castellum.

(f) Honth.: in proprio monte. Varii codd. mss. scribunt: in proximo fonte. — Cod. Trev. N° 1462 habet loco Quintinberg: castrum Quintillymburg.

(g) Al.: Theutonicis.

signita est Treverensis parochia quodam insigni clenodio (a). Surrexerunt itaque viri virtutis cruce signati in subsidium terrae sanctae, et assumpto secum Alexio adolescente, filio Ysachii, et fratre uxoris Philippi regis, qui apud Philippum habebatur, venerunt Constantinopolim, et introducentes eum in civitatem, in paternum imperium coronaverunt solemniter imperatorem (b). At Marcolfus (c) quidam cognatus ejus, ipsum simul ac Nicholaum, quem paulo ante Graeci sibi elegerant in regem, cepit et incarceravit, et strangulato Alexio, sibi imperium (d) usurpavit. Qui cum peregrinos nostros (e), in omnibus his extra civitatem morantes, vexare aggressus esset, ipsi permoti, in nomine Domini duabus vicibus assultum facientes, civitatem nimis magnam et nimis munitam, per gratiam Dei, vi comprehenderunt II. Idus Aprilis, anno Domini M. CC. IIII. (f), pulsoque nefandissimo incubo Marcolfo, Baldewinum, Flandrensem comitem, in imperatorem Constantinopolitanum consecraverunt (g). Erant ibi in hoc opere (h) Suessionensis, et Trecensis (i), et Halberstadiensis, et Bethlehemitanus episcopi, cum ceteris principibus, asserentes, quod acceptabilius hoc factum esset Deo, quam si civitas sancta Jherusalem capta fuisset. Henricus autem de Ulmena, praefectus (k) imperatoris, clenodium illud eximium, cujus supra meminimus, videlicet tabulam electrinam mirifici operis, cum reliquiis retro contentis, et portione magna

---

(a) „Henricus de Vlmena, Constantinopoli capta, reliquias, magnam partem crucis do-„minice deportavit, et tres partes, unam ad stm Mathiam, alteram ad monasterium „quod Stupa dicitur, tertiam ad stm Panthaleonem in Colonia cum capite sti Pantha-„leonis condonavit“: sic cod. Trev. N°. 1462 in Rubrica, quam inscripsit: Nota „digna. Conf. quae infra in capitis textu leguntur.

(b) Edd.: in imperatorem.

(c) Mart. legit: Marcholsus; — Honth.: Marcholfus. (Murcuphlus).

(d) Quidam codd. mss. et cum iis Mart. et Honth. habent: regnum.

(e) i. e. Christianos hujus expeditionis cruciatae.

(f) Quidam codd. hoc loco false habent: XIIII.

(g) Consecratus est 17. Cal. Junii a Thoma Mauroceno, orthodoxo Patriarcha.

(h) parte: cod. Paris.

(i) Mart.: male legit: Treverensis.

(k) factus: sic cod. Paris.; cod. quoque S. Agn. habet: factus, sed manus recentior addit: miles.

ligni Dominici inde asportavit, et illud coenobio monialium, quod Insula sive Stupa vocatur, supra Mosellam situm, contradidit (a).

Plane anno secundo domini Johannis fuit eclipsis solis in vigilia sancti Johannis Baptistae, die Dominica circa meridiem. Anno ejus nono fuit fames magna, ita, ut maldrum siliginis marca venderetur. Anno ejus XXI. iterum fuit eclipsis solis, ultimo die Februarii ante meridiem. Ejus quoque temporibus claruerunt in Lombardia duo luminaria magna, ecclesiam Domini mirifice irradiatura (b), Dominicus videlicet et Franciscus; quorum prior Majorum fratrum, id est Praedicatorum, posterior Minorum fratrum, id est Nudipedum, seu Nodatorum ordinem instituit.

Mortuus est autem Johannes, archiepiscopus Treverensis, mense Julio, anno pontificatus sui XXIII., et sepultus est, ut ipse praeordinaverat, non in civitate sua praeclara, sed in coenobio monachorum, quod Claustrum dicitur (c), non in oratorio, sed in capitulo, non in pontificalibus, sed in pauperibus vestibus (d). Cujus anima requiescat in pace. Amen. (e)

(a) Tabulam illam describit Browerus his verbis (Annal. Trev. II. p. 101.): „Tabula „est solerter admirabili operum varietate perfecta. Operimentum ex bracteis argenteis „et laminis inauratis fabrefactum habet, longitudine binum dodrantium, unum et semis „latitudine; primis clarissimisque gemmis tum septenis in orbiculos, tum in quincuncem „novenis praeclare distinctis, quaquaversum collucens. Ad haec spatium ab ingentis „pretii lapillorum et gemmarum ordinibus intermissum, Christi Salvatoris spirituumque „coelestium, et variae sanctorum excipiunt effigies; ipsique tabulae margines exterio„res graecis inscripti jambis &c.“ — Hi versus graeci leguntur loco citato. Idem auctor loquitur de aliis donis, aliis ecclesiis datis per Henr. de Ulmena, Trevericae nobilitatis hominem.

(b) Mart. et Honth. legunt: irradiantia.

(c) Monasterium scilicet Himmerodense Ord. Cisters., quod in antiquis versibus nominatur Hemmonis nemus.

(d) „Nunc autem corpus ejus in choro ejusdem coenobii pausitans diem prestolatur extre„mum“: addit cod Eberh. Clus.

(e) Secundum Browerum epitaphium Joannis I. sequentis erat argumenti: „Hic hu„matus jacet venerabilis dominus Joannes, Trevirorum Archiepiscopus, per quem de„letum est maledictionis chirographum terrae hujus (†). Qui etiam muro Trevericam „circumcinxit civitatem (††), obiitque anno MCCXIII (†††) XIV. Kalendas Augusti.“ Gesta nullam epitaphii faciunt mentionem.

(†) Quid sibi velint haec verba, jam supra in nota marginali explicavimus.

(††) Vide ad calcem notas ad hoc caput.

(†††) Error est; obiit enim Joannes anno 1212. Conf. cap 103. in initio.

CAPUT CII. (a)

Notum sit tam praesentibus quam futuris, quod Henricus (b), palatinus comes Rheni, qui filiam praedecessoris sui Conradi, palatini comitis, legitime duxerat, resignavit beato Petro et venerabili Treverorum archiepiscopo Johanni, die paschae in curia episcopali apud Treverim, advocatiam ejusdem civitatis, cum omnibus appenditiis, tam feodatis quam non feodatis, necnon omnia annualia servitia, quae praedecessor suus supradictus habuit in villis archiepiscopi, sitis in pago qui Trechger dicitur (c), et in omnibus villis archiepiscopi sitis supra Mosellam, sub tali forma, quod idem palatinus comes juravit super clavum Domini, et super omnes reliquias in eadem capside detentas, quod nec ipse, nec aliquis haeredum suorum, eandem advocatiam et praedicta feoda unquam repeteret. Archiepiscopus quoque sub poena excommunicationis inhibuit, quod nec ipse, nec aliquis haeredum (d) suorum praedictam advocatiam et eadem feoda in posterum alicui hominum infeodaret, nisi indignationem Dei omnipotentis et sententiam excommunicationis incurreret. Hujus rei testes sunt, qui etiam eodem tempore praesentes aderant: Gerhardus abbas Prumiensis, Rodolphus major praepositus, Wilhelmus major decanus, et omnes archidiaconi, necnon quatuor abbates ejusdem civitatis, Fredericus cantor, Conradus custos ecclesiae Trevirensis. Laici quoque Henricus dux de Limpurch, Fredericus comes de Lynigen (e), Simon co-

---

(a) Hoc caput, in quo acquisitiones et fundationes archiepiscopi Joannis continentur, non legitur in quibusdam codd. nostris, neque in edd. Eccardi et Honthemii; recensetur vero ex genuinis chartis in codd. Eberh. Clus., Scholer., Maximin. et Paris. — In margine cod. Paris. hoc loco legitur: „Residuum Gestorum Johannis quaere in-„fra post Gesta Henrici." — Martene in sua editione sequentia imprimi fecit. Ea et nos hoc loco transire silentio nolumus.

(b) Iste Henricus Rheni Palatinus Henrici Leonis, quondam Saxoniae et Bavariae Ducis, filius est.

(c) Ap. Mart. legitur: Tretgere. Hic pagus Trechira, Trigorius, Trechirgowe, Trachgau, cum pago Nachgowe ad latus Mosellae dextrum situs erat; quatuor alii ad latus Mosellae sinistrum, scilicet: pagus Muslensis (Mosellanus), Meginensis (Meinefeld), Eiflensis et Aregowe (Archgowe). Conf. Honth. (Hist. Trev. dipl. I. p. 70. sq.) — et Günth. (Cod. dipl. Rheno-Mos. I. p. 4. sq. et II. 3. sq.)

(d) successorum: Mart.

(e) Cod. Schol. et cum illo Mart. legunt: Lyningen. (Leynigen: habent folia mss. N°. 1347.)

mes de Saraponte, et frater ejus Henricus de Tzweienbruchen (a), Conradus comes Irsittus (b), Fredericus comes de Vianne, Henricus comes de Spaenheim, Gerhardus comes de Veldens, Volmarus comes de Castris, Ulricus comes de Nuerburg et filius ejus Gerhardus comes de Are, Everardus de Petra et frater ejus Wernerus, Gerlacus de Schwartzenberg et frater ejus Hugo de Hunolstein, Hugo de Hagene (c) et filius ejus Theodericus, Rodolphus de Mailburg, Wiricus de Numage (d), et filii ejus Thomas et Alexander, Fredericus de Kerpena, Theodericus de Broich (e); Ministeriales quoque Petrus de Marceto (f), Udo de Esch, Jacobus de Duna et frater ejus Daniel, Wilhelmus de Helffenstein, Henricus Leynher, Nicolaus de Arras, Fredericus de Merle, Dithardus de Paffendorff, Henricus (g) de Cimiterio, Wilhelmus de Archa, Gottfridus de Waildorff, Hermannus et Richardus de Palatio, et quamplures alii, necnon universus tam clerus quam populus ejusdem civitatis. Acta sunt haec anno Dominicae incarnationis millesimo centesimo nonagesimo octavo (h).

Idem archiepiscopus Johannes conquisivit castrum de Seyne (i) cum omnibus suis appenditiis a comitibus Henrico et fratre suo Everhardo de Seyne, solo viridario excepto (k), quod est situm ante dictum

(a) Zweibrücken.

(b) i. e. comes hirsutus, germanice Raugraf.

(c) Hagen.

(d) h. Neumagen ad Mosellam.

(e) Bruch: folia mss. supra notata.

(f) Merzig: ibid.

(g) Mart. addit: junior.

(h) In hoc instrumento resignationis, quod Freherus in Orig. Palat. P. I. pag. 89. et ex illo Honth. Hist. Trevir. diplomat. Tom. I. pag. 629. sq. typis publicarunt, legitur annus 1197. Errant igitur Kyriander l. c. P. XV., Browerus l. c. Tom. II. pag. 95., Spener Oper. Herald. pag. 669., alii cum scriptore hujus capitis, qui annum 1198. asserunt; hoc enim anno Palatinus in Palaestina morabatur. Conf. Tolneri Hist. Palat. pag. 7., 93., 345.

(i) Jam in charta ab Hillino archiep. anno 1152. data, oblatum receptumpue in feudum, Saynense castrum docetur. (V. Reiffenberg Antiquitates Saynenses (anno 1684 collectas, et an. 1830 primum impressas) pag. 38, et Honth. Hist. Trev. dipl. I. p. 569.)

(k) In praefato diplomate Hillini legimus: „excepto allodio, quod fuit Rorici, et area quadam, „quae pomarium dicitur.“ In charta Balduini de anno 1340. occurrit eadem lectio. In literis germanice scriptis Jacobi de Sirk archiep. de anno 1452. haec leguntur: „ausgescheiden eine Hoffstatt, die der Bongerth genennbt ist.“

castrum; et haec collatio facta est a praedictis comitibus, Coloniae in palatio episcopali, eodem die, quo idem venerabilis antistes Johannes dominum Brunonem in Colonia archiepiscopum consecravit (a), sub hac forma: quod ipsi et omnes eorum haeredes archiepiscopo Johanni et omnibus ejus successoribus de eodem castro contra omnem hominem servirent et auxilium ferrent; salva tamen fide et honestate eorum, ita videlicet, si alicui specialiori (b) fide obligarentur, quod tunc, quamdiu guerra duraret, praedicti comites archiepiscopo castrum et turrim assignarent, et guerra finita, archiepiscopus eis restitueret. Archiepiscopus vero et omnes sui successores in feodo concedent idem castrum viciniori haeredi, sive sit masculus sive foemina. Hujus rei testes sunt Coloniensis archiepiscopus Bruno, Adolphus major praepositus, Bruno (c) Bunnensis praepositus, Theodericus praepositus sanctorum Apostolorum, et Theodericus praepositus ad sanctum martyrem Gereonem (d).

Notum sit omnibus tam praesentibus quam futuris, quod dominus Johannes, Trevirorum archiepiscopus, cum Gerlaco de Ysenburg, super controversia quae vertebatur inter eos, de aedificatione castri in Aldenburch, sub hac forma convenerunt; ita videlicet, quod praefatus Gerlacus proprietatem castri de Aldenburch, et inferioris castri de Koverna, domino Johanni archiepiscopo et ecclesiae Trevirensi recognovit, et praefatum castrum Aldenburch liberaliter et absolute in manus ejus assignavit. Praeterea omnia bona proprietaria, quae idem Gerlacus in jurisdictione villae de Koverna possedit, per manus videlicet uxoris et filiorum suorum, archiepiscopo et ecclesiae Trevirensi in perpetuam contulit proprietatem. Quo facto, dominus Johannes archiepiscopus, de convenientia (e) et deliberato consilio

(a) Contra haec litteras publicas laudat Browerus ad an. 1207., quae duos ab Angliae Rege (Joanne sine terra) ferunt episcopos Sigefrido, Moguntino antistiti, ad consecrandum Brunonem submissos fuisse; quia, inquit, Philippi metu Germani antistites munus id omnino recusassent, quamquam non negat vir eruditus, Joannem nostrum consecrationi adfuisse, et pepigisse eadem die cum comitibus de Sayne.

(b) speciali: Mart.

(c) Bruno Bunnensis praepositus: abest in cod. Paris.

(d) Sequens recognitionis instrumentum exhibet Honth. l. c. Tom. I. pag. 628. sq.

(e) Cod. S. Maxim. et cum illo Mart. legunt: conniventia.

fidelium suorum idem castrum de Aldenburch, simul cum castro inferiori, cum omnibus bonis praedictis, Gerlaco et ejus filio seniori et haeredibus filii senioris feodali jure concessit (a). Quod si forte filius senior sine haeredibus decederet; fratri ejus eodem jure concessit; sub eadem tamen conditionis forma, quod praenominatus Gerlacus et haeres ejus possidens illud feodum, domino Johanni archiepiscopo et ecclesiae Trevirensi contra omnem hominem in eisdem et de eisdem castris fidelia obsequia praestare debeant; et hoc se bona fide et sine dolo facturos, solenniter et publice sub sacramento confirmaverunt. Haec vero in hac forma acta sunt (b), quod si contigerit, dominum Trevirensem contra aliquem guerram inire, cui Gerlacus et ejus haeres praedictum feodum tenens, salva inevitabili honestatis et necessitatis fide assistere non possit, castrum cum turri in Aldenburch domino Trevirensi assignabit, ut, finita guerra, saepedicto Gerlaco castrum restituat. Si autem, quod Deus avertat, inter Trevirensem archiepiscopum et Gerlacum vel ejus haeredes lis et controversia aliquo emerserit casu (c), superius castrum et omnes illud inhabitantes, neutri ipsorum alicujus praesidii conferant auxilium, nec aliquis alius de ipso castro alicui eorum auxilium conferet vel damnum inferet (d), et hoc se fideliter observaturos, sicut superius Gerlacus fecerat, juramento firmarunt; et quicunque postmodum idem castrum inhabitaverint, ad idem faciendum sacramenti vinculo se obligabunt; nisi forte Trevirensis archiepiscopus hujusmodi voluerit differre sacramentum. Sub praedicto etiam sacramento a Gerlaco et ejus filiis comprehensum est, quod si ipsi morte praeventi fuerint, et feodales haeredes non reliquerint, castrum et omnia bona supradicta ad ecclesiam supradictam sine omni impedimento libere reverterentur. Adjectum est etiam ad robur firmius superiorum, quae ordinata sunt, conservandum (e), quod si Gerlacus et ejus haeredes

---

(a) Hic aliqua omisit Honthemius l. c.
(b) Haec quoque non habet Honth.
(c) aliquo emerserit casu: non habet Honth. Mart. legit: in casu.
(d) facient: ap. Honth. — Quae sequuntur usque ad finem periodi, desunt ibid.
(e) quae ordinata sunt, conservandum: haec desiderantur ibid.

haec infregerint, omne feodum, quod ab ecclesia tenet Trevirensi, libere ad ejus archiepiscopum revertatur. Praeter haec, quae supra dicta sunt, fideliter promiserunt praestita fide in manus domini Johannis, archiepiscopi Trevirensis, Godefridus comes de Spaenheym, Gerlacus comes de Veldens, Godefridus comes de Virnenburg et frater suus Fredericus, Reymboldus et Henricus de Ysenburg, quod si haec a Gerlaco et suis haeredibus observata non fuerint, ipsi domino archiepiscopo Trevirensi contra eosdem consilium et auxilium in omnibus praestare non omittent. Ut autem haec omnia, quae solenniter praeordinata sunt, firma atque inconvulsa obtineantur in perpetuum, praesens cautio (a) praesentibus signaculis auctorabilibus (b) signata refulget.

Idem Johannes archiepiscopus conquisivit castrum Starckenberch (c) supra Mosellam, a comite Henrico de Spaenheim, et castrum de Ham, et medietatem castri de Ure(d), et medietatem castri de Clereval, et decem mansos in Loynbach (e), quae omnia ipse ecclesiae Trevirensi contulit, et ab archiepiscopo in beneficio recepit. Hujus rei testes sunt Fredericus comes de Lyningen, Folmarus comes de Castris, Gerlacus comes de Veldens, Walramus comes de Nassowe, Henricus comes de Tzweynbrücken, Theodericus comes de Widde (f), Henricus et Everardus comites de Seyne, Everardus de Petra. Ministeriales quoque Udo de Esch, Petrus de Marceto, Jacobus de Dune et frater ejus Daniel, et alii quamplures.

Idem archiepiscopus conquisivit a Godefrido comite de Vyrnenburg, et frater ejus Frederico idem castrum cum omnibus suis appenditiis, quae et ipsi ecclesiae Trevirensi contulerunt, et ab archiepiscopo in beneficium receperunt sub debito ligii hominii contra omnem hominem.

Idem Johannes conquisivit a Frederico comite de Vianne, ambo

(a) Ap. Mart. deest: praesens cautio.
(b) Ibid.: auctoritatibus signata refulgent.
(c) Al.: Starkenburch.
(d) Wre: Mart.
(e) Al.: Lombach, Lumbach, Limpach, Lohnbach, Lovinbach.
(f) Theoder., com. de Widde: non legitur ap. Mart.

castra sua in Dudelendorff, et castrum suum in Garlant (a), quae et ipse ecclesiae Trevirensi contulit, et ab archiepiscopo in beneficio recepit.

Idem archiepiscopus conquisivit a Conrado comite de Kaleire (b), castrum quod dicitur Entzenberg, quod situm est in pago qui dicitur Crechowe, in episcopatu Spirensi, juxta villam quae dicitur Porzeim, quod ecclesiae Trevirensi contulit, et ab archiepiscopo in beneficium recepit. Acta sunt haec coram bonae memoriae Henrico imperatore et palatino comite, in castro juxta Spiram Germersheim.

Idem conquisivit ab Everhardo de Petra et fratre suo Wernero idem castrum, quod et ipsi ecclesiae Trevirensi contulerunt, et ab archiepiscopo in beneficium receperunt, sub debito ligii hominii.

Idem conquisivit totum allodium Theoderici comitis de Hoynstaeden, quod habet in Kelburg, quod et ipse ecclesiae Trevirensi contulit, et ab archiepiscopo in beneficio recepit.

Idem comparavit a Frederico comite de Lyningen, totum allodium suum, quod habuit in Hademar, quod et ipse ecclesiae Trevirensi contulit, et ab archiepiscopo in beneficium recepit.

Idem comparavit a Gerhardo comite de Are, villam quae dicitur Bolen (c), cum omnibus suis appenditiis et hominibus ad eam pertinentibus, et villam quae dicitur Dure, juxta Cochme, cum omnibus suis appenditiis, quas idem comes ecclesiae Treverensi contulit, et ab archiepiscopo in beneficio recepit.

Idem comparavit domum fortem apud Loynstein, quae sita est supra Lonam (d), quam Wernero de Brole ab ecclesia Treverensi in feodo tenendam concessit.

Idem archiepiscopus Johannes primus comparavit domum et vineas in villa quae dicitur Paffendorff, quas idem archiepiscopus Theoderico de Geyrscheit ab ecclesia Trevirensi in feodo tenendas concessit.

(a) Al.: Gerlant.

(b) Cod. Schol., S. Maxim., ut et Mart. legunt: Kalewe. — Folia mss. supra notata habent: a Conrado comite de Reil.

(c) Al.: Boley.

(d) Loganam.

Idem archiepiscopus comparavit domos et vineas ultra pontem Trevirensem sitas, quarum partem concessit Arnoldo de Rupe, et partem Arnoldo de Ure, ab ecclesia Trevirensi in feodo possidendas.

Idem archiepiscopus Johannes primus comparavit vineas in Lesura et Clussart (a) sitas, quas concessit Henrico de Esch in feodo possidendas.

Idem archiepiscopus concambuit terram in Bruchdorff, quam concessit Frederico de Entzenberch (b), ab ecclesia Trevirensi in feodo possidendam.

Idem archiepiscopus conquisivit patronatum ecclesiae parochialis in Andernaco, et curiam ibidem sitam cum omnibus suis appenditiis, vineis, agris, censu, decimatione, et omnibus tam ad ecclesiam quam ad curiam pertinentibus, quae omnia libere contulit ad usus episcopales.

Idem archiepiscopus conquisivit curiam in Nyderenberch (c) cum omnibus suis appenditiis, tam feodatis quam non feodatis, scilicet agris, vineis, pratis, molendinis, aquarum deductionibus, quae omnia ad usus contulit episcopales.

Idem archiepiscopus comparavit allodium in Dufenbach a Theoderico de Bruche (d), quod ei ab ecclesia Trevirensi in feodo tenendum concessit.

Idem archiepiscopus conquisivit a Marsilio de Witlich partem decimae in eadem villa, tam in vineis quam in agris et denariis, quam se in feodo habere asserebat, et ad usus libere contulit episcopales.

Idem archiepiscopus comparavit allodium in Subach et Lebach ab Alberto de Sygirsberch (e) et fratre ejus Rudolfo, quod et ipsi ecclesiae Trevirensi contulerunt, et ab archiepiscopo in beneficio receperunt.

(a) Codex ms. Schol. legit: Clussarde, et Mart.: Cluzzerde; est autem hodiernum Clüsserat, ad sinistrum Mosellae litus.

(b) Cod. Paris.: Heynzenberch.

(c) Niderberg curiam: folia mss. notata. — Derenberch: cod. Eberh. Clus. et ed. Mart.

(d) Alio loco: Broich.

(e) Syrsberch: cod. Paris.

Idem archiepiscopus castrum quoddam, quod Grymberch (a) appellatur, de novo construxit, quod situm est in medio possessionum majorum et meliorum archiepiscopatus, et omnium fere ecclesiarum in civitate Trevirensi.

Idem archiepiscopus Johannes primus omnes turres et castra archiepiscopatus reaedificavit, quae deserta et destructa invenit propter dissensionem et discordiam, quae per septennium in eadem ecclesia duravit; quando ipse sedem archiepiscopalem est adeptus. Possessiones quoque hinc inde detractas recuperavit; honestas quoque domos episcopales Treviris juxta palatium, et Confluentiae construxit.

Idem archiepiscopus contulit jus patronatus ecclesiae de Offendynge, cum omni sua decimatione et jure ad eum attinente (b) ad usus fratrum majoris ecclesiae, et sancti Paulini, et sancti Simeonis ad refectorium, eo modo et forma, ut ipse qui praeest refectorio, de consilio majoris decani et capituli, eandem quolibet anno locet decimationem. Praedicti quoque fratres in purificatione beatae Mariae Virginis simul omnes in majori ecclesia cum candelis suis convenient, ibique festum Deo et beatae Virgini devote peragent. Ipse vero magister refectorii praedictis fratribus servitium (c) dabit eodem die, aut pro redemptione servitii sex denarios Trevirenses de eadem decimatione cuilibet fratri, qui praesens usque ad consummationem missae fuerit. Qui autem usque ad consummationem missae non fuerit, nihil ei dabitur, quia penitus demeruit, nisi qui inventi in domibus suis fuerint infirmi; sed totum quod superfuerit, in usus refectorii majoris ecclesiae cedet.

In die (d) etiam dedicationis majoris ecclesiae, quae est in festo Philippi et Jacobi, summum altare cum magna solennitate et devotione consecravit, et tunicam Domini cum magna reverentia et veneratione bonorum virorum ipso die in altare beati Petri reposuit,

---

(a) Grimburg, ubi major et melior pars archiepiscopatus: folia mss. supra notata.

(b) et jure ad eum attinente: non legitur ap. Mart.

(c) Vide animadversiones ad hoc cap. ad calcem voluminis.

(d) Mart. male legit: Inde etiam. — Idem omittit: summum altare.

anno videlicet ab incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo sexto (a). Omnes simul praedicti fratres ad eandem dedicationem conveniant, ibique festo solenniter peracto, praedictus magister refectorii servitium praedictis fratribus dabit, aut pro redemptione servitii sex denarios Trevirenses cuilibet fratri, qui praesens usque ad consummationem missae fuerit; qui autem ad consummationem missae non fuerit, nihil ei dabitur, quia penitus demeruit; sed totum quod superfuerit, in usus refectorii majoris ecclesiae cedet; nisi qui infirmi inventi in domibus suis fuerint.

In anniversario quoque praedicti archiepiscopi Johannis omnes fratres supradicti in majori ecclesia convenient, et anniversario devote peracto, ipse magister refectorii servitium in refectorio praedictis fratribus dabit, aut pro redemptione servitii sex denarios Trevirenses cuilibet fratri de eadem decimatione, qui praesens usque ad consummationem missae fuerit; qui autem ad consummationem missae non fuerit, nihil ei dabitur, quia penitus demeruit; sed totum quod superfuerit, in usus refectorii majoris ecclesiae cedet, nisi qui infirmi inventi in domibus suis fuerint. Decanus vero dictae majoris ecclesiae cum consilio capituli et magistri refectorii vicariam (b) praedictae ecclesiae locabit, salvo tamen jure archiepiscopi et archidiaconi, ita quod ipsi vicario stipendium perpetuale et sufficiens assignabitur, unde honeste possit sustentari. Quicunque vero haec praemissa et a venerabili Johanne archiepiscopo praeordinata infregerit

(a) In cod. ms. Trev., N°. 1216 sign., legimus: „An. 1196. occasione renovationis summi templi inventa est toga Christi inconsutilis, quasi punicei coloris, arae S. Nicolai inclusa. Primo Maji populo spectanda proponitur, et ad altare novum S. Petri transfertur, ac recluditur.“ — Gestorum scriptor tacet de inventione tali modo facta. Sunt alii rerum Trevirensium scriptores, qui opinantur, tunicam Christi per Johannem archiep., Covernae in Templariorum castello, inventam esse et Treviris deportatam. — Conf. Chronologische Geschichtskunde der Erzbischöfe u. Churf. zu Trier (im Churtr. Staats-Calender abgedruckt, Trier, 1772.); sunt autem auctoris verba: „Welch geheiligten Schatz Johann aus dem in Cobern gelegenen Schlosse, und dasiger den bekannten Tempelherren zugehörigen Kirche in dem zu Ehren des h. Nikolai geweihten zwischen 2 Thürmen aufgeführten Altar, bei vorgehabtem Besuche dieser Kirche vorgefunden, und einige Jahre in der hohen Domkirche in dasigem St. Nikolai Altar aufbewahrt hatte ꝛc.“

(b) Al.: vicarium.

vel infringere attentaverit, indignationem Dei omnipotentis et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et sententiam excommunicationis se noverit incursurum.

Idem archiepiscopus Johannes primus contulit jus patronatus ecclesiae de Perle, cum omni sua decimatione et jure, ad usum fratrum majoris ecclesiae, tantum eo modo et forma, quod idem magister refectorii, cum consilio majoris decani et capituli, quolibet anno eandem decimationem locabit, et de proventibus ipsius decimationis, quamdiu solutio ejus durabit, quando fratres in refectorio incipient comedere, panem eis administrabit. Decanus vero majoris ecclesiae, cum consilio ipsius capituli et magistri refectorii, vicariam in praedicta ecclesia perpetualiter locabit, salvo jure archiepiscopi et archidiaconi. Ipsi quoque vicario assignabitur stipendium perpetuale, unde honeste et competenter possit sustentari. Quicunque vero haec praemissa et a venerabili Trevirorum archiepiscopo Johanne praeordinata infregerit vel infringere attentaverit, indignationem Dei omnipotentis et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et sententiam excommunicationis se noverit incursurum.

Idem archiepiscopus de suo proprio ordinavit, quod septem ampullae, die ac nocte, coram summo altari majoris ecclesiae debeant ardere. Quicunque enim elemosinarius dominorum fuerit, de redditibus ad septem illas ampullas appendentibus providebit, et oleum indeficiens administrabit.

Idem archiepiscopus consecravit capellam in curia episcopali (a) Trevirensi sitam, in honore beati Stephani prothomartyris, beati Nicolai et sancti Thomae episcopi Cantuariensis et martyris. Eandem quoque capellam dotavit hoc modo: nam idem archiepiscopus tres

---

(a) Nellerus noster (De Burdecanatu Trevirensi pag. 6.) de hac capella scribit: „Antiquitates medii aevi amantem non pigebit hanc capellam ascendere, atque ea, quae „ab exordio ejusdem edacitas temporis reliquit, curiosius lustrare, videlicet aram unicam“ (quae constabat sola mensa), „imagines recenti arenato impictas in chorulo, et „inscriptiones.“ — Ibidem fusius haec memorabilis capella describitur.

Justo dolendum est, hanc capellam S. Stephani, cujus fundator ante annos circiter 600 Joannes I. erat, jussu Caroli Mannay, episcopi Trevirensis, mens. Febr. an. 1806. dejectam ejusdemque ornamenta esse destructa. V. notam ad calcem volum.

marcas Colonienses (a) de theloneo suo in Cardona annuatim fratribus majoris ecclesiae assignavit eo modo et forma, quod ipse et omnes sui successores, cum consilio decani majoris ecclesiae, debent sacerdotem eligere, et illum stipendio unius praebendae, quae dicitur Imbizprovende (b), de qua recipiet quidquid ad eam pertinet, investire. Praeterea choro et refectorio, sicut alii fratres, teneatur interesse. Idem vero sacerdos omni die in praefata capella missam teneatur pro eo et pro omnibus successoribus et praedecessoribus suis celebrare. Praeterea idem archiepiscopus supplementum stipendii praememoratae capellae ecclesiam de Otzburch (c), cum omni jure sibi attinente, perpetualiter assignavit, salvo jure archiepiscopi et archidiaconi, ut, quicunque capellam haberet, habeat et ecclesiam de Otzburch.

Idem archiepiscopus instituit ad illuminare ipsius capellae decem solidos, qui solvuntur de pomerio, sito ante curiam episcopalem, in festo Johannis Baptistae; et decem solidos, qui solvuntur de piscina, quae dicitur Mar (d), in festo beati Martini, et nuces provenientes de arboribus sitis in curia episcopali assignavit; ita quod ipse sacerdos dictus et nuces recipiat, et lumen ante altare ejusdem capellae die ac nocte indesinenter ardere faciat. Quicunque vero haec praemissa, et a venerabili Trevirorum archiepiscopo Johanne praeordinata infregerit, vel infringere attentaverit, indignationem Dei omnipotentis et

---

(a) Erant tunc, secundum Nellerum, 40 solidi, sive 480 denarii argenti 15 lotonum, sive hujus argenti 20 unciales thaleri.

(b) Ap. Mart. minus accurate: Imbirprovende. — Verbum compositum ex Imbiz (voce Germanica Imbiss) i. e. refectio, seu degustatio cibi, sed parca et transitoria, ut fieri solet in jentaculis, et provenda, i. e. praebenda, cleri victus et stipendium. Interim monendum est, non unum esse vocabuli praebenda intellectum. Temporibus antiquioribus praebenda erant, quae Provinciales tenebantur dare magistratibus militibusve, aut legatis publice missis; praebenda item erant largitiones, quas Princeps certis hominibus erogare solebat, quod largitionis genus meminit Cassiodorus (Var. lib. v. epist. XXXIX.).

(c) Osburg.

(d) Ap. Mart. et in cod. Schol. legitur: „Et X. solidos, qui solvuntur de piscina exsic„cata quae dicitur Mahr“: e regione scilicet suburbii adhuc hodierno die hoc nomine signati. — Alii volunt, ab episcopo Trev. Maro (saec. V.) nominari hodiernum vicum, S. Paulino adjacentem, qui dicitur Mar; sed haec opinio nullo nititur fundamento. Gesta nobis sinceram dant denominationis originem.

beatorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium sanctorum, et sententiam excommunicationis se noverit incursurum.

Idem archiepiscopus duas sedes episcopales in majori ecclesia construxit; unam valde honestam retro (a) altare beati Petri, ubi archiepiscopus missam celebrabit; alteram ante idem altare, ubi archiepiscopus ad missam se praeparabit.

Idem archiepiscopus contulit tres ecclesias pastorales beato Mathiae Apostolo, et sanctis Euchario, Valerio et Materno: unam quae dicitur Pellinck (b), alteram quae dicitur Hemptre (c), tertiam ad sanctum Medardum; eo modo et forma, quod abbas illius loci locet ibi vicarios perpetualiter, salvo tamen jure archiepiscopi et archidiaconi; ipsisque vicariis competens stipendium assignabit, unde ipsi competenter et honeste possint sustentari. Anniversarium quoque ejusdem archiepiscopi fratres ejusdem ecclesiae de proventibus illarum ecclesiarum solenniter et devote celebrabunt; et in ipso anniversario die, abbas refectionem fratribus in refectorio de eisdem proventibus dabit, et duo maldra siliginis pauperibus in elemosinam erogabit.

Idem archiepiscopus venerabilis de suo proprio ordinavit duas ampullas olei, unam coram altari sancti Mathiae Apostoli, et alteram in cripta coram altari beatorum Eucharii, Valerii et Materni (d), et aliorum sanctorum ibi quiescentium, ut indesinenter ardeant, eo modo et forma, quod quicunque Prior ejusdem loci fuerit, provideat de bonis ad idem oleum attinentibus, et inde (e) administrabit oleum, quod ibi ardeat in perpetuum. Eidem ecclesiae de suo proprio contulit, unde empta est domus in civitate Trevirensi, in vico qui Broitgass dicitur, de cujus censu emetur oleum, unde praedictae lampades luceant in perpetuum.

Idem archiepiscopus de suo proprio ordinavit, quod ampulla cum oleo coram altari sancti Maximini die ac nocte debeat indesinenter ardere; ad quod consummandum viginti solidi de censu domuum illa-

(a) Al.: post altare.
(b) Pellingen.
(c) Hentren.
(d) Ap. Mart.: Martini, sed male.
(e) Ibid.: in die.

rum, quae ante monasterium ibi sunt sitae, solventur, ita, quod ipse cantor ipsius loci, quicunque fuerit, eos recipiet, et inde ampullam illam indesinenter ardere faciat. Si quid vero superfuerit, ad candelas ardentes ante sepulchrum sancti Maximini ipse cantor ordinabit. Anniversarium quoque ipsius archiepiscopi cum magna devotione fratres ejusdem loci quolibet anno peragere debent.

Idem archiepiscopus de suo proprio ordinavit, quod ampulla ante altare sanctae Mariae ad Martyres die ac nocte indesinenter debeat ardere; ad quod consummandum persolventur viginti solidi censuum (a), qui fratribus illius loci solvuntur in Yranck (b), sub hac forma, quod, quicunque fuerit Prior illius loci, illos denarios recipiet, et inde ampullam illam indesinenter die ac nocte ardere faciat; siquid vero superfuerit, ad candelas ardentes ante majus altare ipse Prior ordinabit. Ad haec ipse archiepiscopus contulit ecclesiae illi ecclesiam de Yranck cum omni sua decimatione et jure, salvo tamen jure archiepiscopi et archidiaconi: de cujus proventibus in anniversario suo fratribus illius loci refectio debet dari in refectorio, et duo maldra siliginis in elemosinam debent erogari. Unde et fratres illius loci cum magna devotione anniversarii ejus diem peragere debent.

Idem archiepiscopus de proprio suo ordinavit ampullam ante sanctum Thomam, ubi sunt sorores Cisterciensis ordinis (c), quae ampulla ante majus altare indesinenter debet ardere, et oleum illud sufficienter, quicunque ibi fuerit Prior, debet providere. Anniversarii quoque ejus diem sorores illius loci quolibet anno cum magna devotione debent peragere.

Idem archiepiscopus contulit ecclesiam de Crufthe cum omni decimatione sua et jure, salvo tamen per omnia jure archiepiscopi et archidiaconi, ecclesiae de Lacu (d), de cujus proventibus anniversarii

---

(a) Ibid.: de censibus.

(b) Ehrang.

(c) Monasterium olim situm inter Prumiense coenobium et Hemerodium.

(d) Olim monasterium ordinis S. Benedicti congregationis Bursfeldensis in dioecesi Trevirensi, prope Andernacum. Hujus monasterii situm atque structuram Marq. Freherus (Orig. Pal. II. p. 36.) et Browerus noster (Annal. Trev. II. p. 7. sq.) elegantissime descripserunt. — Male legit Mart.: ecclesiam de Crusche.

sui die constituit dari refectionem fratribus loci illius in refectorio, et tria maldra siliginis in elemosinam ab eisdem fratribus pauperibus erogari. Unde cum magna devotione quolibet anno diem anniversarii sui debent peragere.

Idem archiepiscopus de proprio suo ordinavit ampullam in ecclesia de Sprenckyrsbach, ut indesinenter die ac nocte ardeat coram majori altari; ad quod consummandum contulit viginti solidos de censu in Huntheim, qui solvitur annuatim in festo beati Martini; ut, quicunque fuerit Prior, recipiat et inde ampullam indesinenter die ac nocte ardere faciat; siquid vero superfuerit, ad candelas majoris altaris ardentes ipse Prior ordinabit: anniversarii quoque sui diem quolibet anno ipsi fratres debent cum magna devotione peragere.

Idem archiepiscopus contulit abbati et fratribus ecclesiae sancti Florini in Schonaugia (a) ecclesias duas sitas in Hepurne et Welterode (b), perpetuo possidendas: abbas vero et conventus singulis annis anniversarium ipsius archiepiscopi celebrabunt, habita in pleno capitulo ipsius memoria. In ipso quoque anniversarii die abbas pro remedio animae ejus et successorum suorum archiepiscoporum, maldrum tritici et dimidiam amam vini conventui fratrum; tantundem etiam sanctimonialium, et pauperibus maldrum siliginis annuatim de proventibus earundem ecclesiarum administrabit. Quod autem residuum fuerit, ad communes usus fratrum et sanctimonialium convertetur.

Idem archiepiscopus contulit ecclesiae beatae Mariae Virginis de Horreo (c) ecclesiam de Hemmenstall perpetuo possidendam, et ipse conventus sanctimonialium annuatim diem anniversarii sui devote in psalmis et orationibus peragent, et de proventibus ejusdem ecclesiae refectionem eodem die habebunt. Quod vero residuum fuerit, ad opus infirmarum administrabitur.

Idem archiepiscopus contulit ecclesiae beatae Mariae in Lutzellenburch ecclesiam de Santwylre; monachi vero ejusdem ecclesiae

---

(a) Al.: Schonauwe, i. e. Schönaviense Ord. S. B. monasterium in pago transrhenano Einriche situm.

(b) Al.: Walterad.

(c) Al.: Orreo. — Ecclesia scilicet ad S. Irminam.

anniversarium ipsius diem singulis annis devote celebrabunt, et eodem die in refectorio refectionem de proventibus ejusdem ecclesiae habebunt; quod vero superfuerit, ad communes usus fratrum convertetur.

Idem archiepiscopus de omnibus possessionibus et bonis, quae in ecclesia Trevirensi invenit non infeodata, nulli unquam aliqua in beneficio concessit vel infeodavit (a).

CAPUT CIII (b).

Successit autem Johanni Theodericus (c), sancti Paulini praepositus et archidiaconus, anno Domini MCCXII., qui et ipse, cum esset prudentiae magnae, paci et quieti magis quam bellis operam dedit. Captus est autem et ipse a comite Nassoense (d): cui cum miles quidam de Confluentia, Albertus nomine, ad subveniendum se objiceret, super eum interfectus est.

Multa mirabilia temporibus ejus evenerunt in mundo. Et primo quidem illud commemoramus, quod paucis mensibus ante ejus electionem mirabile contigit, saeculis omnibus inauditum (e): pueri namque congregati ex omnibus oppidis et villis Theutoniae, quasi divinitus inspirati, convenerunt in singulis quibuscumque locis, et coadunati in turmas, iter arripuerunt versus Jherosolimam, quasi terram sanctam recepturi. Hujus itineris dux et caput erat Nicholaus quidam, puer Coloniensis, gestans super se signum, quasi crucis formam Thau habentis, quod debebat esse signum sanctitatis in eo et miraculositatis; nec facile erat discernere, cujus generis et metalli esset. Cumque venissent pueri Brundusium (f), episcopus loci illius deceptionem deprehendens, non permisit eos transfretare. Venditi enim erant gen-

---

(a) Plures alias fundationes et donationes consimiles legimus in testamento ejusdem archiepiscopi Johannis I. de anno 1211. apud Güntherum in cod. diplomat. Rheno-Mosell. Tom. II. pag. 103. num. 21.

(b) Continuamus nunc iterum textum Gestorum Trevir. ex cod. ms. St. Mathiano.

(c) Theodericus II. — Al.: Theodoricus. — Frater comitis de Widde: addunt quidam codd.

(d) Al.: Nassauwense.

(e) Vide in fine notas ad hoc caput.

(f) Codd. S. Agn. et Paris.: Brandusium.

tilibus a patre Nicholai, et sic daemonum maleficio attracti; propter quod et puer ipse periit, et pater ejus Coloniae (a) mala morte peremptus est. Plurimi etiam puerorum perierunt; nam qui euntibus copiose ministraverunt, redeuntibus nihil dederunt.

Post aliquot annos orta est praedicatio crucis, et inflammatus est populus Dei in subsidium terrae sanctae, et incredibiliter atque catervatim ruerunt ad accipiendam crucem. Et facta est expeditio valida ad partes transmarinas: in qua expeditione Georgius (b), comes Widensis, frater Trevirensis archiepiscopi, praecipuus habebatur.

Factum est etiam concilium generale apud Lateranum sub Innocentio papa, anno Domini MCCXV., cui etiam interfuit Theodericus, Trevirensis archiepiscopus; in quo concilio amputati sunt tres gradus consanguinitatis in matrimonio contrahendo; et statutum fuit ibi, ut de triennio in triennium haberentur capitula in singulis provinciis, ad reformationem monasteriorum diversorum ordinum, et visitationes fierent; quod aliquot annis servatum, postmodum ivit in dissuetudinem (c). Fecit in concilio dominus papa sermonem, sumpto hoc themate: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum ante-

---

(a) Eccard. praetermisit: Coloniae.

(b) In edd.: Gregorius.

(c) De cleri corruptela et multiplici hujus aevi labe confer Browerum, II. p. 116. sq. De hujus concilii actis codex noster ms. N°. 1462 in Rubrica: Nota digna, varia refert, quae in textu Gestorum sunt omissa. Sunt autem hujus notatu digni argumenti: „Isto „tempore fuit Almaritus, Carnotensis haereticus, qui asseruit, ydeas esse in mente „divina, et quod ideo Deus esset finis omnium, quia sint reversura in eum, et unum „individuum in eo permanere. Quod falsissimum est, quia sic non esset alter Abra„ham, alter David. Dixit etiam, quod sicut lux non videtur nisi in aëre, sic Deus „non nisi in creaturis. Et plura alia quae continentur in libro suo, qui dicitur Peri„sescon, qui cum libris Joachim in concilio Lateranensi contempnatus est.“ Almaricus Carnotensis ejusque sectatores ob novos quosdam articulos jam anno 1209. in concilio Parisiensi II. damnati sunt. In Lateranensi IV. generali concilio sub Innocentio III. Papa, de quo hic sermo est, damnantur Albigensium, et altera vice Almarici aliorumque doctrinae, et de his per vim saecularem exterminandis statutum est. Joachim, de quo cod. ms. supra laudatus scribit, erat gente Calaber et monachus Ord. Cisterc. Claruit ineunte saeculo XIII. Hic Antichristum in urbe Roma jam natum esse, et in sedem apostolicam mox evehendum vaticinatus est in praesentia Richardi, Angliae Regis, et alia ejuscemodi farinae plura nugatus (scribit Cave, scriptor. eccles. hist. lit. p. 619.). Liber ejus adversus quasdam Petri Lombardi opiniones in synodo Lateranensi damnatus est.

quam patiar; et mortuus est Innocentius papa eodem anno non evoluto. Fuit autem concilium mense Novembri. Circa idem tempus peregrini nostri de consilio militum terrae sanctae profecti versus Damiatam, civitatem Egypti in ripa Nili sitam, et ceperunt eam, sed multa mora, cum multo labore, et cum multo sanguine nostrorum; non tamen tunc capta est fortitudine humana, sed virtute divina, percussis divinitus infirmitate (a) his qui erant in civitate, nec valentibus repugnare. Postea cum vellent ad ulteriora procedere, ex inopinato soldanus Babiloniae per retorsionem (b) fluminis artavit eos in tantum, quod condictum fecerunt cum eo de reddenda civitate, et reddita est civitas Sarracenis (c).

Inter haec et Otto imperator defunctus est anno gratiae MCCXVIII. Obiit autem contrictus et confessus, inunctus et communicatus, absolutus quoque a vinculo excommunicationis, praestita cautione standi judicio ecclesiae. Quam absolutionem, audita morte ejus, lacrymans Honorius papa, qui Innocentio successerat, approbavit. Fredericus vero rex pro consecratione imperatoria Romam ire volens, Henricum filium suum adhuc puerulum, de consensu principum, regem constituit in Alemannia (d); cujus tutelae deputatus est Wernerus de Bolandia, et egressus est subsequente anno, fuitque extra Alemanniam XVI. annis. Wernero autem in brevi defuncto, suscepit tutelam regii pueri (e) Engilbertus, Coloniensis archiepiscopus, columna ecclesiae, cleri decus, stabilimentum regni, cui confoederatus est Theodericus Trevirensis, fueruntque quasi cor unum et anima una. Iste est Engilbertus (f), qui castrum Thurun acquisivit Coloniensi diocesi: iste est Theodericus, qui castrum nobile trans Rhenum aedificavit, contra vim brachii tyrannorum regionis illius, vocavitque illud Montem Tha-

---

(a) Deest ap. Eccard.: infirmitate.
(b) retrorsum: cod. Paris.
(c) Browerus censet, Theodericum fuisse in hac expeditione, adducitque auctoritatem Antonini.
(d) Anno 1220.
(e) Al. omittunt: regii.
(f) Plurimi codd. et edd. hoc loco legunt: Engilbertus, et quidem recte; cod. Paris. et Honth vero habent: Theodericus. Conf. cap. 101.

bor (a). In diebus illis (b) venerunt in partes istas primum Praedicatores, et postea Nudipedes (c), et subito impleverunt mundum. Et primo quidem Praedicatores venerunt Coloniam, et datus est eis locus et hospitale quoddam in platea stolicorum, ut aedificaretur eis ibi habitatio. Unde a loco nomen aliquando habuerunt, ut vocarentur Stolici et Stolicheri; putantibus multis, quod a paupertate sic vocarentur. Post haec venerunt Treverim. Defunctus est autem ibi Ernestus vir valde honestus, canonicus majoris ecclesiae, et domus ejus cum attinentiis suis facta est habitatio Praedicatorum usque in hodiernum diem; et fuerunt tunc opinatissimi inter eos, Conradus de Argentina prior eorum, et Johannes lector eorum. — (d).

Qui videlicet Ernestus (e), adhuc in carne vivens, audiens clarissimam famam ordinis illius, cujus sanctus Dominicus paulo ante institutor fuerat, sub isto archiepiscopo Theoderico adunavit. In cujus conventus ecclesia requiescit sanctus Theodulphus abbas, filius regis Angliae, qui miraculis miracula adjungens, se sanctorum numero insertum lucide indicat. Hic penitus incorruptus est; cutis arida artus stricte conservat; nullo prorsus membro caret nisi capite, quod post multos annos ablatum a corpore, argenteo vasi est impositum (f).

Porro sub ordine Praedicatorum supradicto militat conventus monialium sanctae Katharinae. Ista congregatio primum locum habitationis

---

(a) Castrum Montaburanum (Montabaur). Anno 1217.

(b) Anno 1223.

(c) Cod. Eberh. Clus. addit: sive Minores.

(d) Qui sequitur locus hinc usque ad verba: Deinceps etiam &c., in plurimis mss. et in edd. omissus est, legitur tamen in cod. Eberh. Clus., jam saepe laudato.

(e) Ernestus jam supra nominatus.

(f) In aliis foliis mss. legimus: „B. Theodulphi, abbatis Remensis, reliquiae inveniuntur „in oratorio, quod olim fuit in basilica, quae portam albam aperit e regione amphi-„theatri, cum hac inscriptione: S. Theodulphus, nostri petimus miserere. Corpus ejus „incorruptum transfertur ad templum Dominicanorum.“ Hodie asservatur in ecclesia B. M. V. — Vide opus anonymum sub titulo: „Sanctus Theodulphus, presbyter (per-„peram abbas vocatur) et confessor, in gratiam fratrum Praedicatorum conventus Tre-„virensis illustratus.“ Aug. Trev. 1790. Auctor est De Vivario Mechliniensis, ut docet inscriptio in exemplari bibliothecae publ. Trev., haec scilicet: „Bibl. publicae „Trev. ob familiarem ejus usum, gratitudinis ergo D. D. auctor De Vivario, 1790. „Sac. Caes. ac Reg. Majest. in magno ap. Mechlinienses concilio Substitutus-procurator-„generalis &c.“ —

habuit in monte Urano (a), ubi erat ecclesia matri Christi et sanctae virgini Beatrici consecrata. Et quia timebatur, posse hinc incommodum fieri civitati, translatum fuit illud coenobiolum intra urbem in hunc locum, quem dominus Ordulphus de Horreo, civis praedivis Trevirensis, praediis auxit et donariis. —

Deinceps etiam venerunt Minores fratres, et mulieres conversae ad religionem, inclaustratae, reclusae, et sequestratae, quorum non est numerus (b). His occasione fratrum Praedicatorum et Minorum dictis, ad propositum stilum convertamus.

Verum cum Engilbertus ecclesiam Coloniensem jam per aliquot annos rexisset, et tam rei publicae quam et diocesi suae, praedones egregie coercendo consuluisset, conjuravit adversus eum Fredericus, comes de Ysenburch, filius fratris sui (c), qui filiam Waleramni non jam comitis, sed ducis habebat uxorem, et irruerunt in eum ipse et satellites diaboli ad hoc electi, et percusserunt imo mactaverunt eum, non acerbitate humana, sed demoniaca (d) crudelitate, XLVII. vulneribus confodientes. Martyrizatus est beatus Engilbertus in vigilia sancti Willibrordi (e), advesperante jam die, feria sexta, adhuc jejunus, prope villam Swelme (f), in qua proximo die ecclesiam erat conse-

---

(a) Al.: in monte Martis.

(b) Vide notam ad hoc cap. in fine voluminis.

(c) fratris ejusdem Engelberti: cod. Eberh. Clus. — In cod. ms. Reiffenbergii (saeculi XVII.) s. t. Notae et Additiones ad Broweri Annales Trev. legimus: „Audivi non semel, qui consonantia nominum decepti credebant, hunc comitem Fridericum Isenburgi dominum, qui S. Engelbertum occidit, fuisse ex familia illorum, qui „superioris sive Budingae et inferioris Isenburgi comites dicti. Sciendum igitur, praedictum Fridericum fuisse ex familia de Alten und Newen Ahr, arcemque Isenburgicam, quam ille inhabitavit, non procul ab jam destructa abbatia Essendenti stetisse, hujusque advocatiae abusum facinori causam praebuisse."

(d) dyabolica: cod. Paris.

(e) i. e. die 6. Novembris.

(f) Ap. Honth.: Suueline; cod. Eb. Clus. legit: Welme. Chronica Augustensis ad annum 1225. de hoc eventu nefasto haec refert: „Engelbertus, Coloniensis episcopus, vir magnae providentiae et tutor Regis, a comite Friderico de Altenach, sororio suo, occiditur, manu mutilatus, et XXXIII. vulneribus (ut dicitur) fossus." Fusius autem hoc facinus narrat Godefridus monachus in Annalibus ad an. 1225., ubi idem Engelbertus dicitur „pater nostrae patriae et decus Teutoniae." — Cod. ms. brevis Chronici Colon., Germanica lingua scriptus saeculo XIV., olim Coloniensis,

craturus, anno gratiae MCCXXV.; cujus etiam mortem pretiosam in conspectu suo Dominus multis miraculis declaravit. Cujus innocentiam et mortem acerbissimam, compunctionem quoque et confessionem ante mortem, ad nutum Conradi, Portuensis episcopi et cardinalis, Theodericus, Trevirensis archiepiscopus, apud Leodium et Coloniam populis publice peroravit, et cardinalis eum martyrem pronunciavit.

In XL. (a) subsequente Theodericus archiepiscopus (b), et Waleramnus cum rege et aliis principibus iverunt (c) ad colloquium imperatoris apud Cremonam condictum. Cumque reversi essent, Waleramnus mortuus (d) est. Fredericus vero comes in ipso anniversario Engilberti episcopi, quem occiderat, Coloniam captivus invectus est, et post paucos dies rotali tormento perplexus est (e).

Tunc etiam in tutelam regni successit Engilberto Lodovicus, dux Bavarorum, qui apud Damiatam fuerat, quando prodita (f) est. Quo, per cujus machinationes Deus scit, interempto, rex per se ipsum coepit agere negotia regni, habuitque potentiam regiam; sed vitam regiam non habuit: nam incontinens fuit multum, minus attendens jura matrimonii, cui astrictus erat; potens tamen factus est in regno, et invaluit contra omnes adversantes sibi. Archiepiscopus autem Trevirensis magnus fuit apud regem; nec mirum: etenim ubicunque conven-

---

modo bibl. Trev., N°. 1423 sign., haec pauca refert: „In den jaren vns herren „M.CCXXV. wart buschof engilbrecht erslagen van syme neyven Greuen frederich „van Ysenburch."

(a) i. e. Quadragesima.

(b) Trevirensis: addit cod. Eb. Clus.

(c) Edd.: venerunt.

(d) defunctus: cod. Eb. Clus.

(e) In cod. ms. Trev., N°. 1462 sign., legimus: „Qui Fridericus poenitens absolutus, „pro pecunia fuerat Coloniensibus delatus, ubi monticulo de plano cumulato rotae de„argentae suppositus, fuerat interemptus, matre sua stante sub rota, clamando: Haec „sunt intestina mea a corvis devoranda. Tale enim somnium vidit, quando eo fue„rat impraegnata." — „Extra muros civitatis in rota positus supra modicam pyra„midem est elevatus": Godefr. monachi Annal. ad an. 1225. ap. Freher. I. — Albericus scribit: „per vicos et plateas ut canis vilissimus tractus, tandem in „rota eminentissima rotatus."

(f) perdita: cod. Eb. Clus.

tibus publicis interfuisset, tam pontifices quam principes eum venerabantur ut patrem.

Circa tempora ista factae sunt tres strages nobilium in tribus locis, sed quot et quantorum non est possibile dicere, et miserabile esset audire (a). Una fuit filii regis Franciae et christiani exercitus ab Albiensibus (b); alia episcopi Trajectensis et sui exercitus a Frisonibus; tertia regis Daciae et suorum a comite Zwirmense (c). Circa eadem tempora visitavit Dominus peccata populi sui, spiritu judicii et spiritu ardoris, terram consumens gladio et igne, non solum Treverensem, sed etiam Coloniensem et Moguntinensem dioceses; et hoc ex parte per Waleramnum et comitem Seynensem; nam Waleramnus, filius supradicti Waleramni, defuncto patre, in custodiam cesserat comitissae uxoris patris sui, et puerorum et terrae, et hic habuit praelia multa, et nominatus factus est in eis.

CAPUT CIV.

Anno Domini MCCXXXI. orta est persecutio haereticorum (d) per totam Alemanniam, et exusti sunt quamplurimi per continuum triennium; eratque princeps et caput hujus persecutionis magister Conradus de Marburch, et minister ejus Conradus quidam cognomento Tors, et Johannes carens uno oculo et una manu; qui duo ex haereticis conversi fuisse ferebantur. Iste est magister Conradus, qui in multis praedicationibus, et maxime de cruce signatis famosus, auctoritatem magnam sibi comparaverat in populis; qui de visitatione

---

(a) Quidam codd. repetunt: dicere, sed male.

(b) Albigensibus. — Sermo est de Ludovico (VIII°.), Regis Philippi Augusti filio.

(c) Mart.: Wirmonse. — Eccard.: Zwiemense.

(d) De haereticis illo tempore existentibus et eorum doctrinis vide Gregorii Papae IX. epistolam ad Fridericum II. ap. Martene (Anecdot. I. p. 950.) — Adde, quae infra in textu memorabili hujus capitis, et in notis ex Trithemio dicuntur.

Tristissima sane illa tempestate fuit securitatis publicae conditio, et aeque detestabilis, ut illa fuit saeculis XVI. et XVII., tempore scilicet persecutionis sagarum, generi humano tam nocivae, quam parum gloriosae.

Ecquis innocens esse poterit, si accusasse sufficiet? secundum Ammianum Marc. olim exclamabat Julianus Imperator. Huic sententiae etiam scriptor noster sincere favet.

clericorum et monialium se intromittens, eos ad observantiam regularem, et ad continentiam artare voluit; quique auctoritate apostolica fretus, et animi constantia praeditus, ita animosus factus est, ut neminem timeret, tantique ei esset rex vel episcopus, quanti pauper laicus. Cooperabantur (a) autem ei et ministris suis praefatis Praedicatores per singulas civitates; tantusque fuit omnium zelus, ut nullius, qui tantum propalatus (b) esset, excusatio vel recusatio, nullius exceptio vel testimonium admitteretur, nec defendendi locus daretur, sed nec induciae deliberationis darentur; sed in continenti oportebat eum (c) vel reum se confiteri, et in poenitentiam se recalvari, vel crimen negare et cremari. Insuper qui sic tonsuratus esset, oportebat eum complices suos prodere, alioquin item (d) debebat cremari; unde putatur, quod aliqui innocentes exusti fuerint: multi enim propter temporalem vitam et amorem haeredum suorum confitebantur se fuisse, quod non fuerant, et artati ad accusandum, accusabant quod nesciebant, et quos nolebant (e). Quin etiam in ultimis deprehensum est, quod haeretici aliquos de suis subornaverant, qui se tanquam in poenitentiam tonsurari (f) permiserunt, et sic catholicos et innocentes accusaverunt. Talium tres (g) apud Moguntiam capti fuerunt; nec erat adeo purae quis conscientiae, qui se hujusmodi tempestatem non timeret incurrere. Nullus etiam pro accusatis, non dico intercedere, sed nec mitius loqui aliquid audebat, quia (h) statim ut defensor haereticorum reputabatur. Etenim contra defensores et receptatores haereticorum eadem, quae contra ipsos haereticos a domino papa sententia dictata processerat. Praeterea quicunque semel (i) hanc impietatem abjurasset,

---

(a) cooperantur: cod. Paris.
(b) Ap. Mart. et Honth.: probatus.
(c) oportebat eum: deest in cod. Paris.
(d) idem: ibid.
(e) Quidam codd.: volebant.
(f) Tonsurari; scilicet ad poenitentiam, ut mos erat illo aevo. Vide Du Cange in h. v., ubi hunc Gestorum Trevir. locum excerpsit. Adhuc saeculis XVI. et XVII. in persecutionibus contra sagas hunc morem in usu fuisse, ex multis actis constat.
(g) Ap. Mart. et Honth. deest: tres.
(h) Ap. Honth.: quin.
(i) Deest: semel in edd.

si recidisse in ipsam diceretur, absque ulla retractatione (a) deprehensus, cremabatur. Nec Treverica diocesis ab hac infectione exsors fuit; nam in ipsa civitate Treviri tres fuisse scholas (b) haereticorum publicatum est. Nam exusta est ibi quaedam Lucardis (c), quae sanctissimae vitae putabatur, quae incredibili lamentatione lugebat, Luciferum injuste (d) de coelo dicens extrusum (e), quem volebat denuo replorare in coelum. Neque mirum fuit de aliis civitatibus, cum in ipsa urbe Roma nonnullos infectos fuisse, in suis literis papa pronunciaverit (f). Et plures erant sectae, et multi earum instructi erant scripturis sanctis, quas habebant in theutonicum translatas (g). Et alii quidem baptisma iterabant; alii corpus Domini non credebant; alii corpus Domini a malis sacerdotibus non posse confici dicebant; alii indifferenter corpus Domini a viro et muliere, ordinato et non ordinato, in scutella et calice, et ubique locorum posse confici dicebant; alii confirmationem et inunctionem superfluam judicabant; alii summo pontifici, clero et religioni derogabant; alii defunctis suffragia ecclesiae prodesse negabant; alii matres proprias, redimentes consanguinitatem, quae ibi erat, pro XVIII. denariis, in conjugium sumebant; alii pallidum hominem, vel etiam cattum osculabantur, et adhuc pejora faciebant; alii, dies omnes aequipendentes, feriari aut jejunare nolebant, unde et diebus festis operabantur, et in parasceve carnes manducabant (h). Et haec de articulis errorum (i) dixisse sufficiat, non quod omnes dixerimus, sed quod praecipuos tantum notaverimus (k).

(a) retractione: cod. Paris.
(b) schola, i. e. confratria, sodalitas, secta.
(c) Al.: Luchardis, Leucardis.
(d) injuste: abest ap. Honth.
(e) extorsum: cod. Paris. — In aliis foliis mss., quae historiae nostrae epitomen continent, legimus: „Leucardis inter ipsas flammas non se, sed casum Luciferi deplo„rabat, exclamando, Deum fuisse iniquum."
(f) praenuntiaverit: cod. Paris.
(g) Edd. minus accurate legunt: „quas habebant in theutonico scriptas vel translatas."
(h) et multa pejora faciebant: addit cod. Trev. N°. 29.
(i) eorum: Mart.
(k) „Magnus eorum" (hominum, qui se Catharos nominabant a graeca voce: καθαροι,

Eo tempore Trevirensis archiepiscopus syonodum (a) tenuit, in qua ipse publice enunciavit, haereticos in sua diocesi habere episcopum, quem cognominassent secundum suum nomen Theodericum; et idem alibi fecisse de episcopis locorum. Itemque eos habere communiter papam, quem secundum catholicae ecclesiae episcopum nuncuparent Gregorium, ut, si interrogarentur de fide, eam fidem se habere dicerent, quam haberet papa Gregorius, et ille episcopus sic nominatus, nostrum nominantes, et suum intendentes. In eadem synodo tres fuerunt haeretici praesentati, quorum duo sunt dimissi, unus exustus. In eadem synodo archiepiscopus excommunicavit omnes falsatores monetarum, tam jubentes quam faventes (b).

CAPUT CV.

In diebus illis exiit edictum a papa Gregorio (c) ad omnes episcopos, ut visitationes fierent, unusquisque in sua diocesi monasteriorum, tam clericorum quam monachorum et monialium, et inchoatum est opus sanctum, dignum benedictione; nisi quod ubi coepit, ibi mansit.

Per idem tempus bellum fuit Metensium cum Johanne episcopo

„puri) „numerus (scribit Trith. Chron. Hirs. I. p. 543.) ipsis revelantibus in omni „pene orbe Christianorum demonstratus est: ut si verbi gratia quispiam ab Antverpia „seu Anglia Romam profecturus iter peregrinus assumeret, hospitem hujus sectae „non unum, sed plures in omni loco, singulis noctibus inveniret, in cujus domo „communia omnia haberet: signa quaedam ante fores domorum vel in tectis habebant „suspensa, qualia per singulos annos variando nova Magister eorum Mediolani resi„dens dedisset. — Sermones etiam habebant symbolicos, industria praeceptorum da„tos atque compositos, quorum prolatione et intelligentia in medio multorum scire „poterant, qui de secta sua essent." — Vide etiam Chronicon Alberici (monachi trium fontium) ad an. 1233. in Leibn. Access. histor. II. p. 543. sq.

(a) Ann. 1238. in festo beati Matthaei. — Hujus synodi statuta legimus ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. Tom. I. pag. 720. sqq.) et in edit. Coloniensi quorundam concil. Trevir. de anno 1549. — Cave ad concilia saec. XIII. habita (Script. eccles. hist. liter.) nullam facit mentionem hujus Trevirensis concilii.

(b) facientes: Mart. — Pares constitutiones contra monetarum falsarios illarumque distributores legimus in synodo provinciali Trevirensi anni 1310. sub Balduino archiepiscopo (cap. XXIIII.).

(c) Scilicet hujus nominis nono.

ipsorum (a). Sed et archiepiscopus Trevirensis eosdem excommunicavit propter contumaciam et inobedientiam, quam exhibebant eidem episcopo; sicut et idem episcopus ipsos excommunicaverat: at illi de excommunicatione minus curantes, potenter episcopo ejusque cooperatoribus per biennium resistebant (b), qui etiam decem circiter castella effringentes (c), tandem obtinuerunt, quod episcopus eos recepit in gratiam suam.

Igitur supra memorati sanctae catholicae fidei zelatores, acerrime haereticis insistentes, cum rusticanorum hominum utriusque sexus innumeram multitudinem, tum confundendo (d), tum comburando, per diversa loca pessumdedissent, apposueruut et divites impetere atque magnates. Inter quos dum comitem Henricum de Seyna aggrederentur, mirum fuit, quod comes ille, qui magnae crudelitatis esse dicebatur, literas citatorias sibi a magistro Conrado transmissas cum aequanimitate suscepit, statimque ad consilium cleri et religiosorum tutus (e) convolavit, regis quoque et episcoporum. Quid plura? Factus est conventus episcoporum ac principum cum rege Henrico apud Moguntiam, in festo sancti Jacobi, ubi, comite comparente, et magistro Conrado in causa deficiente, accusatoribus et testibus resilientibus, aliis se coactos vel circumventos, in comitem mala dixisse se fatentibus, aliis de odioso praesumptive (f) notatis, rex alium diem ad ventilandam altius causam edici voluit. Comite autem instantius petente, ut ad finem causae tenderetur, archiepiscopus Trevirensis dixit ad comitem (g): Dominus meus rex vult, quod causa ista differatur; et ad populum: Denuntio vobis, quod comes Seynensis hinc recedit pro homine catholico et inconvicto (h).

(a) Anno 1232.

(b) restiterunt: cod. Paris. et edd. Mart. et Honth.

(c) quibus etiam decem circiter castella effigentes: cod. S. Agn. — qui decem etiam circiter castella effingentes: cod. Paris.

(d) Ap. Mart.: contundendo. Conf. ad hunc locum quae habet Chronicon Alberici l. c. p. 544. sq.

(e) Eccard. et Honth.: totus.

(f) Mart.: de odiosa praesumtione. — de odioso praesumptivo: cod. Eb. Cl.

(g) precise: addit cod. praef.

(i) invicto: cod. Paris., sed male.

Et magister Conradus submurmurando ait: Si convictus esset, alia ratio esset. A quo conventu cum magister Conradus, spreto (a) regis et episcopi Moguntini conductu, recederet, reversus in sua, in via interemptus est una cum socio suo Gerhardo (b) quodam (c). Delatus autem Marburch, sepultus est juxta beatae Elisabeth viduae, uxoris quondam Lantgravii (d) Turingiae, tumulum, quae ante paucos annos defuncta et ibidem tumulata (e), plurimis miraculis fuerat glorificata. Ex hinc procellosa illa persecutio cessavit, et periculosissima tempora, quibus a diebus Constantii imperatoris haeretici et Juliani apostatae nulla alia fuere similia, sereniori coeperunt spirare (f) clementia; et fuit comes ille Seynensis murus pro domo Domini, ne in ulteriora progrederetur rabies importuna et impia (g), noxios aeque et innoxios absorptura (h), episcopos et principes, religiosos et catholicos quoscunque (i), ut aeque (k) rusticanos et haereticos pervasura.

Post haec in purificatione S. Mariae factus est iterum conventus et curia solempnis apud Franckinvort (l) coram rege, viginti quinque circiter episcopis, abbatibus et prioribus diversorum ordinum, etiam clericis (m) et principibus innumeris congregatis; ubi adducta in medium causa comitis, comite praesente, pro fide et innocentia comitis, sacramenta praestantibus episcopis, praelatis, abbatibus, Majoribus (n) et Minoribus fratribus, clericis et monachis, principibus quoque laicis

---

(a) Ap. Mart.: sumto. — Ap. Honth.: scripto.

(b) Gerlaco: cod. Paris. — In additionibus ad Lambertum Schafn. legitur: Gerhardo minoris ordinis fratre.

(c) Trith. (l. c. p. 558.) narrat: „A quibusdam nobilibus, seu ministerialibus de Dorn„bach in itinere latentibus, subito invaditur, et crudeli percussione occiditur."

(d) Ludovici.

(e) „quae etiam discipula ejus (Conradi) erat": addit cod. Trev., N°. 29. sign.

(f) sperare: codd. S. Agn. et Paris.

(g) Quidam codd. et edit. Mart. legunt. inopportuna et lippa.

(h) absortura: cod. S. Agn. et ed. Mart. — absoltura: cod. Paris.

(i) quosque: ap. Mart.

(k) aeque: deëst in edd. In cod. Paris.: quos et aeque

(l) An. 1234.

(m) In edd.: Prioribus etiam cleri et principibus; minus accurate.

(n) i. e. fratribus Praedicatoribus, qui, ad distinctionem fratrum Minorum, Majores fratres appellabantur. Vide supra.

et baronibus universis, comes gloriosissime expurgatus est. Tunc Conrado, episcopo Hildesiensi (a), qui ex parte domini papae ibi aderat, comitem rogante pro amore Dei omnipotentis, et pro reverentia regis praesentis, atque episcoporum ac principum, ac totius illius conventus, ac pro (b) hoc, quod Deus eum gloriosissime absolverat ab infamia sibi impacta, infamatoribus suis, lacrimans et cordi suo vim magnam faciens, indulsit.

CAPUT CVI.

Anno Domini MCCXXXV. reversus est Fredericus imperator in Alemanniam, et receptus est a principibus et a civitatibus sicut imperator. Adducta est ei etiam sponsa sua, filia regis Angliae, per Coloniensem archiepiscopum, et suscepta ubicunque (c) venit cum multa ambitione. Porro Heinricus rex, filius imperatoris, qui se ab anno praeterito paraverat ad rebellandum contra patrem, de consilio episcoporum de meliori pace (d) praesumentium, se et sua dedit in gratiam patris. Quem pater statim captivatum, et per diversas custodias missum, tandem in Apuliae (e) partes relegavit; ita, ut dicere ei convenerit cum beato Job: Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum. Revera enim cum opulentia et potentia (f) magna tunc temporis regnum tenebat Romanorum. Fecerit (g) hoc pater quo voluerit animo; sed Deus hoc fecisse creditur in vero judicio suo: multum enim Deum offendisse putabatur in delictis juventutis suae. Altissimus autem est patiens redditor, quia mala hominum et patitur et reddit (h).

Apud hunc imperatorem Fredericum sane Theodericus, archiepis-

---

(a) Al. Hildesheimensi.
(b) Al.: per.
(c) ubique: codd. S. Agn. et Paris.
(d) parte: cod. Paris.
(e) Plurimi codd. mss. et edd. (excepta Eccardi) scribunt false: Aquilegiae.
(f) Ap. Eccard. desideratur: et potentia.
(g) In cod. Paris. et ap. Honth.: Fecit, sed male.
(h) Conf. Godofr. Colon. ad an. 1235., Albericum ad hunc an., et Matthaeum Paris. p. 248.

copus Trevirensis, magnus habitus est, et ubique in curiis solempnibus locum sessionis suae inter pontifices pro primatu Trevericae dignitatis obtinuit. Subsequente anno (a) Johannem archiepiscopum, qui apud Claustrum in capitulo (b) monachorum, ut supra scriptum est, humatus fuerat, elevari fecit, atque in oratorio beatae Virginis Dei Genitricis Mariae ibidem honorifice collocari tertia die Martii mensis.

Eodem etiam anno translatio facta est beatae Elizabeth apud Marburch in ipsis Kalendis Maji, ubi et Theodericus archiepiscopus cum imperatore praesens fuit. Circa idem tempus mortua est Agnes, domina de castello Mailberch (c), et suscepit illud tenendum Rudolphus quidam, filius fratris ejus, tali interveniente pactione (d), quod Waleramnus, filius Waleramni (e), teneret illud in feodo ab archiepiscopo, et Rudolphus a Waleramno. Qui Rudolphus statim aggressus est impugnare vicinas sibi positas moniales de sancto Thoma, propter bona aliqua, quae legaverat eisdem Agnes supradicta, volens eis ea abripere, et sibi jure successionis attrahere. Cujus instantia praevalente, derelinquentes universae (f) coenobium suum, venerunt in civitatem Trevirensem, ibique per tempus aliquod demorantes, ad majorem ecclesiam ad missam cotidie cum processione venerunt, atque inter ipsa sacrae actionis officia (g) duas antiphonas, scilicet: Media vita in morte sumus, et: Salve regina misericordiae lamentabiliter decantabant, et hoc de consilio archiepiscopi et praelatorum et praedicatorum. Nec his contentus Rudolphus, etiam res episcopii aggressus est; ad cujus insolentias reprimendas Theodericus archiepiscopus castrum in monte Kilburch aedificare coepit anno Domini MCCXXXIX. Neque poterat contra (h) facere Waleramnus toto anno

---

(a) Cod. Eberh. Clus. addit: idem Theodericus.
(b) capitolio: cod. Paris., sed pessime. — apud claustrum Hymmelrode in capitulo: cod. Eb. Clus.
(c) Al.: Malburg, Marbuch (Malberg).
(d) Ap. Hont.: factione.
(e) In cod. St. Paulin. et ap. Mart. additur: supra memorati.
(f) deserentes omnes: Mart.
(g) Quidam codd. mss. et cum his Mart. et Honth. legunt: solemnia.
(h) contra: deest in codd. S. Agn., Paris. et Eb. Cl.

illo, vehementissima bellorum instantia (a) contra Conradum Coloniensem electum impeditus. Tunc temporis Conradus puer, filius imperatoris, rex Jherosolimorum, a pluribus habitus est pro rege Romanorum, qui etiam fovit partes laicorum adversus Coloniensem electum.

CAPUT CVII.

In diebus eisdem exiit edictum a papa Gregorio (b), ut excommunicaretur imperator per Alemanniam (c); et egressus Jacobus Praenestinus episcopus cardinalis a latere domini papae, venit in Gallias, ad promovendum memoratum edictum (d). Secessit autem Theodericus pontifex ultra Rhenum (e), aetate simul et debilitate confectus (f), magis autem pacis suae providus et quietus. Plane satellites imperialis negotii tanta sagacitate et tam astustissima exploratione vias omnes circumsepserunt (g), omni modo caventes, ne quae literae, ne qui nuntii in terram venirent, aliquid mandati contra imperatoris honorem importantes. Et ecce immisit omnipotens nuntios aliquos; at alia (h) nuntiantes. Nam gens infausta Tartarorum, tertia (i) jam irruptione facta, fines invasit Europae (k), exterminium toti orbi christiano meditans et minitans: hos Tharsenses et Hismahelitas quidam autumant (l), de quibus scribit Methodius, quod egressuri sint ante faciem mundi, et obtenturi orbem terrae octo ebdomadibus (m) annorum, id est LVI. annorum, et multa facturi mala. Adjuncti sunt

---

(a) vehementissimam — instanciam: ibid.
(b) Gregorio IX.
(c) An. 1239.
(d) Eccardus legit: electum.
(e) Cod. Eb. Clus. legit: Secessit autem Theod. pontem ultra Rhenum &c. — Apud Mart. loco pontem: montem. — In codd. St. Math., S. Agn. et Paris. deest: pontem aut montem.
(f) profectus: cod. Paris.
(g) circumspexerunt: codd. S. Agn. et Paris.
(h) et alios: Eccard. — ad talia: cod. S. Agn.
(i) Mart.: trina.; Honth.: tanta.
(k) Eccard.: invasit Europam.
(l) Honth.: autumans.
(m) Edd.: hebdomadalibus.

eis Cumani (a), Amazones et aliae gentes; Christianorum quoque refugae et damnacii (b), et factus est inimicorum Dei exercitus infinitus, ex omni populo et natione collectus. Invaserunt igitur Hungariae partes, Bohemiam, Poloniam et finitimas regiones, omnia vastantes, nulli parcentes hominum, senes et juvenes, divites et pauperes, mulieres cum parvulis (c) interficientes, matronarum et virginum pudicitiae incredibiliter nocentes, commessationibus, luxuriis, immunditiis intra templa Dei sacra (d) vacantes, villas et ecclesias, oppida et coenobia paris (e) in destruendo habentes (f). Judaeorum quoque plurimi exultare coeperunt, Messyam suum venire putantes, et liberationem suam eo anno instare; nam annus tunc erat Dominicae incarnationis MCCXLI., et aliquibus suspicantibus, quod aliquid mali deberent contra Christianos moliri, multorum favorem amiserunt; sed auctoritate potestatis imperatoriae sunt protecti.

Demandaverunt autem principes regionum illarum principibus circa Rhenum manentibus, ut auxilium ferrent rebus christianis, et accensus est ignis Dei in populo. Nam ad nutum episcoporum, praedicantibus malorum multitudinem fratribus Praedicatorum (g), cruce signati sunt viri et mulieres, senes et juvenes et infantes, in subsidium jamjam periturarum Dei ecclesiarum. Sed heu! permittente justo Dei judicio, magnatibus terrarum a conceptae devotionis fervore infrigi-

(a) Honth.: Cuniani.
(b) Quidam legunt: damnaticii; Honth. vero: damnati.
(c) pueris: cod. Paris.
(d) inter templa Deo sancta: ed. Mart.
(e) Honth. ad marginem notat: parvi. — Ap. Mart.: pares.
(f) Chronica Australis ad an. 1241. inter plura alia de hoc fatali eventu dicit: „Eodem anno Cumani, gens immundissima, quae carnibus utebatur ferè crudis pro „cibo, et lacte equorum et sanguine pro potu; hi miserunt quosdam e suis cum rege „Gutan nomine, ad regem Hungariae, rogantes, ut collocaret eos in terra sua, si„mulantes, se fieri christianos, qui ad suggestionem praedicatorum sine consilio prin„cipum suorum suscipiens eos, heu! malo suo, sinebat habitare secum. At illi pau„latim crescebant, et multiplicabantur super numerum.“ — Adde Bonfinii Histor. Pannon. Decad. II. lib. 8. — Math. Paris Hist. Anglic., et Pernoldum ad an. 1242.
(g) Cod. S. Paulin. legit: fratribus minoribus praedicatorum. Cod. autem Eb. Cl. et Mart.: fratribus minoribus et praedicatoribus. — Ap. Honth.: fratribus Minoribus.

datis, cito refriguit etiam caritas populorum. Quid enim faceret populus sine principe? Ferunt autem, tantam hominum stragem nunquam in mundo factam fuisse, quanta facta est a barbaris istis in tam brevi tempore, videlicet infra dimidium annum, vel paulo plus. Inter haec egressi sunt Januenses in manu forti, videlicet in numero quatuor millium pugnatorum (a), et viginti quinque galearum, catholicos ad concilium, quod papa in pentecoste celebrandum indixerat, conducturi. Occurreruntque eis homines imperatoris, et submersis tribus galeis, reliquas ceperunt cum personis et rebus. Capti sunt ibi tres legati, Jacobus Praenestinus, Otto de carcere Tulliano, Gregorius de Romagnia; archiepiscopi quoque, episcopi, abbates, aliique praelati et praelatorum responsales, et ambasiatores civitatum Lombardiae, et oblati (b) sunt imperatori, mense Aprili, capta jam ab eo Faventia. Non tamen inventi sunt inter eos nuntii Trevirensis archiepiscopi, nec literae ejus. Ex hinc post multas comminationes, post multas commotiones (c), miseratus Dominus plebem suam, pacem dedit inter episcopum (d) et Waleramnum, et reconciliati sunt in foedere pacis. Mortuus est autem Gregorius papa anno Domini MCCXLI., et substitutus est ei Coelestinus (e), qui cum sedisset XVII. diebus, veneno finitus est. Quocirca cardinales ecclesiam sanctam multis diebus acephalam dimiserunt, et quasi desolatam, similia formidantes. Tunc insurrexerunt duo archipontifices (f), Moguntinus scilicet et Coloniensis, in res imperatorias, et utroque gladio, materiali videlicet (g) et spirituali, vehementissime utentes; hinc proeliis et exactionibus, incendiis et rapinis universa, quae attingere poterant, invaserunt, satellitibus imperatoriis in eorum res non minus regrassantibus. Hinc

---

(a) Ap. Mart.: pugnantium.
(b) allati: cod. Paris.
(c) Ap. Mart.: commonitiones.
(d) Coloniensem: addit cod. Eb. Clus.
(e) Scilicet hujus nominis quartus.
(f) archiepiscopi: ap. Mart.
(g) scilicet: ibid.

imperatorem de mandato sibi legati (a), ut dicebant, injuncto, pluries et publice excommunicatum denunciaverunt.

Eo anno fuit eclipsis solis magna et tenebrosa in octava sancti Michaëlis (b), in Dominica die post meridiem, tribulationes magnas ecclesiae Dei mirifice designans. Post venit Cunradus rex Treverim in XL. (c), et honorifice susceptus est ab episcopo Theoderico (d). Descendit autem rex Aquisgrani, et episcopus Confluentiam. Revertente vero rege Confluentiae ad partes, ante pascha mortuus est Theodericus archiepiscopus V. Kal. Aprilis, anno pontificatus sui trigesimo. Mortuus est et Waleramnus (e) post pascha. Anno Domini MCCXLII. (f)

CAPUT CVIII.

Post decessum venerabilis patris domini archiepiscopi Theoderici Trevirensis dominus Arnoldus (g), tunc major praepositus Trevi-

(a) Ap. Mart.: de mandati sibi delegati &c. Ap. Honth.: de mandati sibi legati &c.

(b) Cod. Eb. Cl. habet: „in festo sanctorum innumerabilium martyrum Trevirorum."

(c) Quadragesima. Anno 1241. Vide notam ad calcem voluminis.

(d) Mart. et Honth. legunt: susceptus est ab eo Theodericus.

(e) Comes Luxemburgensis.

(f) Sepultus est Theodericus in ecclesia majori Trevirensi ante sancti Martini altare. Epitaphii memoria excidit. — Ad historiam hujus Theoderici archiep. hocce loco aliqua specialia addimus, quae legimus in Chartulario ms. S. Martini prope Treviros (modo cod. bibl. Trev., N°. 1564 sign.) in notis ad diplomata saeculi XIII. Sunt autem haec: „Theodericus archiep. Cunoni sacellano suo indulsit, ut basilicam B. M. „V. juxta summam aedem excitaret 1227, quae postea circa 1243 absoluta est ex quad„rato lapide, tectoque in magnam altitudinem educta." (Conf. quae de hac ecclesia referimus ad calcem voluminis.) „Idem archiepiscopus hospitale S. Mathiae dotavit, „basilicam S. Thomae Cantuariensis prope Andernacum consecravit, monasterium Ma„rienstattense excitavit. Sub hoc porro archiepiscopo 1232 coenobium suburbanum ad „Pontem Leonis pro quinquaginta virginibus nobilibus, Cisterciensis ordinis, surrexit." (Hoc coenobium circa finem saeculi XVII. ad urbem titulo S. Annae translatum est; fundatum jam erat anno 1156., auspiciis Hillini archiepiscopi, ut asserit alia nota laudati Chartularii.) — „Dominicani Confluentiae recipiebantur, fundabatur hospitale „S. Elisabeth ad S. Maximinum. — Obiit 1242." — Observat Browerus, Henricum, Osiliensem episcopum, ecclesiam S. Beati sub Theoderico sacrasse: hinc originem ducit suffraganeorum titularium.

(g) Arnoldus II.

rensis, nepos ipsius de sorore, ipse de Ysenburch oriundus, in episcopatu successit eidem. Cujus electioni celebratae longe a majori et saniori parte capituli (a), Rudolphus praepositus sancti Paulini Trevirensis, de parentela de Ponte (b) procreatus, vir magnorum operum et virtutum, cum paucis, qui eum nominaverant (c), opponere se praesumpsit; fiduciam suam ponens in auxilio et promotione regiae majestatis, quae tunc graviter offensa fuerat memorato majori praeposito, et suae parentelae, domino Moguntino archiepiscopo Sifrido, qui sedi apostolicae adhaerens (d), contra dominum Fredericum imperatorem, et natum suum dominum Conradum, ac eorum fautores insurrexit (e) viriliter et potenter. Quare saepe dicto Rudolfo regalia sua, cum sedes apostolica tunc vacaret, in odium Arnoldi praepositi concessit. Cujus consanguinei et fautores potestate tradita nimis temere abutentes, domos canonicorum Trevirensium, qui sui erant adversarii, emunitate violata, confregerunt; res ibidem inventas asportantes, et a communi populo inutiliter distrahi facientes, captivaverunt virum aetate, dignitate et genere venerandum, dominum Theodericum de Hagen, archidiaconum Trevirensem, de ecclesia majori in superpellicio venientem, et taliter superpelliciatum (f) per forum rerum venalium, in ludibrium privilegii clericalis, usque ad pontem (g) captivum deduxerunt. Majorem ecclesiam incastellaverunt (h); castrum Sarburch quodam ingenio mirabili obtinuerunt: multa per enormem potentiam auxilio ducis Lotharingiae, de Seyne et de Lucelenburg comitum perpetrantes. Castra vero et munitiones a fidelibus ecclesiae custodiebantur constanter; omnes majorem majori, quam sancti Paulini praeposito favorem (i),

---

(a) Electio sine p o p u l i suffragio.

(b) i. e. ex antiqua militum de Ponte familia, inter Treviros praeexcellenti. T r i t h. (Chron. Hirs. p. 576. false scribit: de S a r a p o n t e.

(c n o v e r a n t: cod. Paris., sed male.

(d) Mart. et Honth.: a d h a e r e n t e s.

(e) Ibid.: i n s u r r e x e r u n t.

(f) c u m s u p e r p e l l i c i o: cod. Paris.

(g) i. e. ad castellum Richardi, domini de Ponte, proxime ad Mosellae pontem, Romanorum olim opus.

(h) Primarium templum in usum castelli convertitur.

(i) „Omnes majorem favorem majori praeposito quam sancti Paulini, quantum &c.": cod. Eb. Cl.

quantum ausi fuerant, adhibentes. Palatium quoque custoditum erat a fidelibus ecclesiae, qui quadam die, sicut praeconsultum fuerat, per portam Moselim (a) auxiliarios majoris praepositi intromittentes, victualibus et hominibus supervenientibus munierunt palatium. Domos etiam adversariorum suorum undique destruentes, insultum fecerunt contra illos de Ponte, et turrim Richardi militis de Ponte (b), ubi captus fuit dominus Theodericus de Blanckenheim (c), praepositus Prumiensis, et plures hinc inde vulnerati. Postmodum etiam ab illis de palatio, qui frequenter incursus facere consueverunt contra illos, qui erant in majori ecclesia, et illos de Ponte, captus fuit Rudolfus de Ponte, filius fratris praepositi sancti Paulini. Item alia vice dominus Arnoldus de Rupe (d), Gobelo (e) de Vilario, Theodericus de Lincerio, et alii quidam nobiles capti sunt, et in palatium deducti, cum praesens esset tunc in civitate Trevirorum comes Lucelinburgensis, qui in palatium propter hoc insultum fecit per unum diem et noctem, ipsum continue (f) impugnando; sed muri fortitudo (g) et viri intus magnanimi suo conatui resistebant, ita, quod nihil profecerit, sed in sua machinatione defecerit. Quia igitur per grave dispendium ad breve compendium saepe devenitur, et cum hinc inde electi, tanquam molares essent aequaliter fere duri, per consilium virorum prudentium ad tractandum de bono pacis est dies collecta, primo prope villam Nuvele (h); et diversis habitis circumgirationibus consiliorum, cum etiam sedes Romana illa vice vacaret, haec discordia non multo durans tempore, amicabiliter est sopita; ita quod (i) cessit praepositus sancti Paulini, et postea non post multos dies in castro Sarburch, quod per compositionem aliquamdiu tenere debuit, debita naturae persolvit. Dominus

---

(a) Al.: Mosilim. E regione portae, hodie vulgo Mußthor dictae.
(b) Edd.: de ponte et turri &c.
(c) Cod. S. Agn.: Blankenem.
(d) Vide ad calcem voluminis notas ad hoc caput.
(e) Eccard.: Bobolo.
(f) cotidie: codd. S. Agn. et Paris.
(g) Honth. legit: fortitudinis.
(h) Al.: Nuvelle, Neuvele. Nova villa? (h. Nievel, Nevel.)
(i) Ap. Honth.: Itaque.

Arnoldus, major praepositus, qui quasi coactus ab amicis regimen episcopalis sedis suscepit, cum et ipse homo literatus et peritus in jure esset, electionem suam in potestatem domini Innocentii papae quarti transmisit, ut si quis esset defectus in electione vel negligentia in compositione, suppleret de plenitudine potestatis apostolicae. Dominus vero papa propter personae prudentiam, quae sibi per famam innotuerat, et amicorum potentiam, quae tunc contra imperium opportuna erat, electionem suam liberaliter confirmavit, defectum supplevit, super irregularitate vel negligentia quacunque dispensans: pallium, quod Romae raro accidit, gratis transmisit, sub hac forma (a):

„Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio (b) electo „Trevirensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum pallium, in„signe videlicet pontificalis officii, ex parte tua, fuisset a nobis per „dilectum filium abbatem (c) sancti Maximini Treverensis, nuntium et „procuratorem tuum, ad hoc specialiter constitutum, cum ea qua de„cet instantia postulatum: Nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum „de corpore beati Petri sumptum, per eundem abbatem assignandum „tibi, per ipsum duximus destinandum; ut illud tibi assignet sub for„ma, quam ei sub bulla nostra tradidimus interclusa.“

Sibi eum (d) vindicans amicum et principem specialem, favore ipsum amplectens et praerogativa gratiae specialis (e), quod opere et effectu ostendit patenter. Omnes enim dignitates et beneficia ecclesiastica, quae electionis suae tempore habebat (f), non modicorum redituum, de anno ad annum, continuata gratia ad tempora vitae suae, retinenda concessit, sub hac forma (g):

„Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Arnoldo „electo Treverensi, salutem et apostolicam benedictionem. Prome-

---

(a) Exhibent hanc bullam apostolicam Kyriander l. c. P. XV. pag. 175. et Brow. l. c. pag. 138.

(b) Quidam codd. addunt: Arnoldo.

(c) Henricum.

(d) Ap. Mart.: Sic papa sibi eum &c.

(e) Cod. Eb. Clus. et ed. Mart.: gratiae spiritalis.

(f) obtinebat: in edd. et quibusdam mss. — gratia: ibid. deest.

(g) Et hoc Innocentii IV. diploma exhibet idem Kyriander l. c. et ex illo Honth. l. c. Tom. I. pag. 729. Lectiones vero horum editorum hinc et inde minus accuratae sunt.

„rente tuae devotionis promptitudine, fidei puritate (a) constantis, te „specialem inter devotos Romanae ecclesiae reputari (b), dignum fore „providimus, ut te speciali praerogativa favoris (c) et gratiae prose„quentes, petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter „annuamus. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit coram nobis propo„situm, mensae tuae reditus propter guerrarum discrimina sint adeo „diminuti, quod sufficere nequeant (d) ad sustinenda opera, quae in„cumbunt pro defensione tuae ecclesiae, ac etiam ecclesiasticae liber„tatis: Nos (e) devotionis tuae precibus benignum impertientes assen„sum, auctoritate praesentium tibi indulgemus, ut beneficia ecclesias„tica, quae electionis tuae tempore obtinebas, illis duntaxat excep„tis, quae de mandato nostro aliis sunt collata, retinere (f) libere „valeas, usque ad nostrae beneplacitum voluntatis." Multis eum benevolentiis et aliis gratiis favorabiliter honorando.

CAPUT CIX.

Erigente (g) ergo se domino archiepiscopo, a Moguntino (h) et Coloniensi (i) archiepiscopis, ac Tullensi (k) episcopo cum aliis solemniter consecrato, ad ecclesiam Trevirensem sibi commissam alacriter gubernandam; diversi diversimode, ut moris est in quibusdam novitatibus, se sibi opponere tentaverunt. De quibus aliquos potentialiter debellando, quosdam per amicitias confovendo compescuit sapienter. Inter quos quasi alter Nero quidam dictus Zorno (l), marschalcus ducis Bavariae, castrum Thurum in commisso tenens, rebellionis

(a) Kyriand. et Honth.: fidei puritate constans.
(b) Ibid.: reputare.
(c) amoris: Mart.
(d) nequiunt: cod. Paris. — nequeunt: ap. Kyriand.
(e) Kyriand. omnimodo male legit: non.
(f) Kyriand. et Honth. legunt: obtinere.
(g) Exigente: cod. Paris.
(h) Sigifrido.
(i) Conrado.
(k) Rogero.
(l) Al.: Zurno. — Cod. S. Agn. habet: Zorno marscalcus ducis Bauwariae.

cornua contra dominum archiepiscopum nimis nequiter et crudeliter protendere (a) non expavit, quem tanquam leo magnanimus idem dominus archiepiscopus, propter multa sua facinora, conterere ordinavit. Idem enim Zorno mulieres praegnantes, quas captivas tenebat, compeditas in partu exspirare coegit; clericos et laicos indifferenter per longas captivitates afflixit (b), ecclesiasticas personas et res crudeliter invadere non expavit; homines quoque dicti archiepiscopi proditione pessima inhumaniter interfecit. Unde exasperatus dominus archiepiscopus contra eum, tanquam (c) elephas, qui ex ostensione cruoris incitamentum furoris recipit, et qualiter se vindicaret in homine tam inhumano, disponere non tardavit. Convocatis ergo consanguineis, fidelibus et amicis, consilium habuit, et (d) castrum Thurum obsedit, et in obsidione fere per biennium perseverans, auxilio vicinorum et universitatis totius dyocesis, qui de tyrannide dicti Zornonis multa perpessi fuerant pericula et dispendia, cepit castrum ipsum; licet dux et sui variis collectionibus (e) expeditionum castrum liberare et archiepiscopum removere tentasset multis vicibus (f) importune. Tandem tamen (g) in tantum, cum jam deficerent in victualibus castrenses, exercitus invaluit Arnoldi archiepiscopi, qui archiepiscopum Coloniensem in socium accersivit (h), eum participem faciens laborum et expensarum, medietatem castri sibi et Coloniensi ecclesiae impertiendo. Ratio et participationis causa hujusmodi praecipue tunc illa fuit, quia in turri anteriori jus habuit ecclesia Coloniensis; et ut fortius eccle-

(a) praetendere: Mart., minus accurate.
(b) affixit: cod. Paris.
(c) tantum: ibid. male.
(d) Quidam codd.: quod castrum; ap. Honth.: quin castrum &c.
(e) Eccard.: collationibus; Honth.: collectionibus, expeditionibus.
(f) viribus: Mart.
(g) Honth. legit in hunc modum: vino cum jam deficerent; quae lectio minime concordat cum optimis codd.
(h) Quidam codd. habent: „exercitus invaluit ducis et suorum, qui archiepiscopum Colo„niensem in socium Treverensem archiepiscopum accersivit.“ Alii omittunt verba: „in „socium Treverensem archiepiscopum.“ Honth. legit: „qui archiepiscopum Colonien„sem in socium Trevirensis archiepiscopi accersivit.“ — Lectiones has confusione verborum et idearum laborare, in aperto est; constat enim, Arnoldum auxilio Conradi, archiepiscopi Coloniensis, castro Thuronio potitum esse.

sia Trevirensis duci et suis fautoribus, communicato consilio Coloniensis ecclesiae, possit resistere in futurum. Quanta caede suorum, et quantis expensis expugnaverit castrum archiepiscopus Trevirensis, istud taediosum esset per singula explicare. Quilibet autem, qui discretione non caret, hoc potest, cui nota est rei experientia, aestimare. Potitus ergo suo desiderio archiepiscopus, mente excitatus et animo elevatus, gratias agens Domino Deo et beatae Virgini suae Genitrici, beatoque Petro Apostolo, de tam glorioso triumpho, capellam in loco, qui (a) Blidenburch (b) dicitur, ad honorem Dei et suae Genitricis construxit, et dedicavit in memoriam sempiternam.

Conveniens autem (c) videtur, ut quaedam, licet diversis temporibus acta, hoc loco ad ipsius gestorum cumulum (d) inserantur. Oculo considerationis suae, prout vir erat discretus et in omnibus circumspectus, muro civitatem Treverensem, et praecipue ex opposita parte munitionum illorum de Ponte, provide circumsepsit (e), excludens castella cum incolis, qui (f) saepe civibus Trevirensibus fuerunt importuni, portam et turrim instituens contra eos, qua (g) ex re (h) nomen est sortita invidiosa porta (i). Palatium in aedificiis intus plurimum emendavit (k); domum apud Palcele (l) pulchro et laudabili opere renovavit. Castrum Pilliche pro eo quod fuerat immunitum, cui multae prae ceteris inferebantur minae (m), turribus quatuor a latere et supra portam sic munivit, quod nunc inexpugnabile

---

(a) quae: cod. Paris., male.
(b) Quidam codd. mss. legunt: Bilidenburg, Blindenburch. — Cod. Eb. Clus. habet: Blydenberch. — Eccard.. Lindemburg, omnino false.
(c) vero: Mart.
(d) tumulum: cod. Paris.
(e) circumspexit et circumsepsit: ibid.
(f) quae: Mart.
(g) Al.: quae.
(h) rei: cod. Paris., male.
(i) Vide notas ad hoc cap. in fine operis.
(k) Ap. Honth.: emendatum.
(l) Palatiolum, h. Pfalzel.
(m) Ap. Mart.: ruinae.

reputatur (a). Castrum Arraz (b) alienatum ab ecclesia Trevirensi ad jus ecclesiae revocavit, et turrim firmavit. Monasterium oppidum in Meynevelt (c) circumvallavit, et in parte murari fecit. Oppidum Confluentinum, quod quasi villa campestris omnibus patuit, circumvallari et circumsepi, ac in parte murari procuravit (d); advocatiam ibidem sibi titulo pignoris conquisivit (e). Domum supra insulam prope Valindre (f) collapsam, cum capella ibidem laudabili opere renovavit. Oppidum Hardinfels emit et circumvallavit, quod ecclesiae Treverensi applicavit et donavit. Oppidum Stolzinvels (g) cum castro muniri praecepit. Omnes ecclesiae suae munitiones emendavit et in pluribus augmentavit; ecclesiae suae privilegia contra quemlibet strenue observando. Legationem commissam Coloniensi archiepiscopo per Alemanniam, quia per hoc libertati Trevirensis ecclesiae derogari videbatur, utpote quae (h) non nisi de latere domini papae missum tenetur recipere legatum, ratione primatiae (i) revocari, destinatis ad dominum papam procuratoribus idoneis, procuravit. Castrum firmatum a Wirico de Dune prope montem Urtiche (k), captivatis castrensibus, devastavit. Dominum Rasponem Lantgravium Thuringiae, virum illustrem, magnificum (l) et potentem, de voluntate et mandato (m) domini Innocentii papae quarti, una cum Moguntino et Coloniensi archiepiscopis, in regem Romanorum elegit, contra dominum Fredericum imperatorem et natum suum Conradum, quos idem papa apud Lugdunum sententialiter (n) dignitate privaverat et honore. Igitur collecto exercitu copioso,

---

(a) Edd.: dicitur.

(b) Quidam legunt: Arras; alii: Arram.

(c) Al.: Menivelt (h. Münster-Meinfeld).

(d) An. 1252.

(e) A comitibus de Nassau.

(f) Al.: Valinder (h. Vallendar).

(g) Hartenfels et Stolzenfels castra in archiepiscopatu inferiore ad Rhenum sita.

(h) Ap. Honth.: utpote quia &c.

(i) primariae: codd. S. Agn., Paris. et Eberh. Clus.

(k) Al.: Urcige, Urtice.

(l) magnum: Mart.

(m) et mandato: deest in codd. S. Agn. et Eberh. Clus.

(n) Honth. legit: synodaliter. — In historia Landgraviorum Thuringiae c. 50. legimus: „Innocentius Papa excommunicationem Gregorii Pontificis approbavit,

Conradus apud Frankinvort ad resistendum dicto Lantgravio se recepit. Convenientibus in occursum ipsius eodem Lantgravio cum congregatione archiepiscoporum trium (a) praedictorum, ac episcoporum undique de mandato apostolico mandatorum (b) et collectorum, cum eorum coadjutoribus, in die beati Oswaldi prope Frankinvort praelium (c) commiserunt, ubi, mediante clementia divina (d), victis fugatisque et multis captis adversariis, a memoratis Lantgravio et archiepiscopis victoria est obtenta (e). Et quia nichil in humanis rebus est stabile vel perpetuum, post tam gloriosam victoriam praefatus Lantgravius infra brevi (f) temporis spatium est defunctus. Ad reprimendam itaque potentiam saepedicti Frederici et Conradi, dominus Wilhelmus de Hollandia comes, mediante legato (g) sedis apostolicae, per praememoratos Moguntinum, Treverensem et Coloniensem archiepiscopos, praesentibus ducibus, comitibus et terrae nobilibus pluribus, apud villam Wurunch (h) in Romanorum regem solemniter est electus. Hunc regem Wilhelmum dominus Arnoldus, Trevirensis archiepiscopus, specialiter fovit, cumque cum magna multitudine suorum et advenientium, in suis expensis per octo ebdomadas apud Erenbretsten (i), Montabor et aliis suis locis retinuit, omnia necessaria sibi largiter ministrando.

Post mortem domini Frederici praedicti (k), cum etiam iste rex

„imo ipsum Fridericum deposuit, et apud Principes Alemanniae procuravit eligi in „Regem Romanorum Henricum, Landgravium Thuringiae, Principem Christianissi-„mum et militem strenuum. Et quia Papa Innocentius IIII. fuit multum pe-„cuniosus; ideo, ut praedictus Henricus, filius ecclesiae et membrum Christi, gu-„bernacula regni susciperet, ei XXV. millia marcarum argenti puri in sup-„plementum transmisit.",

(a) tantum: ap. Honth.
(b) mandatorum: deest in codd. S. Agn. et Paris.
(c) in edd.: bellum.
(d) clementia Dei: Mart.
(e) An. 1246.
(f) parvum tempus: ibid. — An. 1247.
(g) Petro Capntio.
(h) Cod. S. Agn.: Wurunth, (apud villam Worinchiam regionis Coloniensis.)
(i) Cod. Eb. Cl.: Erenbreitsteyn; alii legunt: Eberstein, Erbersteyn.
(k) Id. Jan. 1250. Vide Epist. Manfredi ap. Baluzium (Misc. I. 475.).

Wilhelmus Conradum, filium Frederici, apud Oppenheym per suam validiorem potentiam repressisset, vocatus est a domino papa per solemnes nuntios et literas, ut Lugdunum veniret. Cum quo vocatus similiter dominus Trevirensis, cum LX. equitaturis (a) et copia rerum advenit, ac a domino papa idem archiepiscopus cum tanto honore est receptus, quod etiam ipsi assurgens, pacis osculum ore dedit; et habito ibidem tractatu de negotiis imperii, quindecim intervallo dierum, cum nullus princeps Alemanniae praeter eum (b) ibi esset. Dominus papa in die parasceven sermonem in suo idiomate ad populum fecit: in cujus latere stans dominus archiepiscopus, regi et Theutonicis exposuit verba papae. Dimissis itaque eis, dominus papa iter cum suis versus Lombardiam arripuit, multas grates referens dicto (c) archiepiscopo, quod eidem regi benefecerat, et fideliter se habuerat in negotiis ecclesiae, quodque ipsum papam (d), cardinales et notarios, ostiarios et nuntios honoraverit copiosis et pluribus donativis. Benedictione itaque recepta a domino papa, rex et archiepiscopus ad patriam sunt reversi, et post modicum temporis spatium (e), quia ludit in humanis divina potentia rebus, idem rex Wilhelmus, juvenis et potens, in imperatorem proxime coronandus (f), a Frisonibus est casu lamentabili miserabiliter interfectus. Dominus etiam papa Innocentius, non post multum temporis spatium de hujus vitae ergastulo a Domino est vocatus, vacavitque imperium quasi per annum unum (g).

Demum principes Alemanniae, ad quos jus electionis pertinere dinoscitur, diem ad tractandum de electione collegerunt, et (h) proch

(a) Honth. legit: cum quinquaginta equitariis.
(b) Ap. Honth.: post eum.
(c) Edd. legunt: domino.
(d) Cod. Eberh. Clus. addit: apud cardinales: sic et Honth., sed minus recte.
(e) Mart.: post modicum tempus; Honth.: post modicum temporis.
(f) Quidam scriptores Wilhelmum dicunt coronatum Aquisgrani a Cardinalibus; alii de manu Sigefridi Moguntini diadema accepisse tradunt.
(g) Alii codd. legunt: vacavitque imperium amplius quam per annum. — Wilhelmus occiditur tempore hiemis anni 1256. (pridie Id. Jan. scribit Matth. Paris.; alii scriptores notant mensem Febr. praefati anni; alii diem 28. Januar.). — Discors electio Richardi et Alphonsi facta est die 13. Jan. 1257.
(h) etiam (loco et): codd. S. Agn. et Paris.

dolor! divisa sunt eorum vota in partes. Dominus enim (a) Conradus, Coloniensis archiepiscopus, propter pecuniam innumeram (b) sibi datam, virum Anglicum (c), dominum Richardum, Cornubiae comitem, germanum regis Angliae, non zelo justitiae, sed desiderio pecuniae, in regem elegit (d); et dominum Gerhardum, Moguntinum archiepiscopum, tunc captum in Thuringia, et liberatum pro octo millibus sterlingorum marcarum ex parte dicti comitis Cornubiae, comitemque palatinum Rheni, pro decem millibus marcarum allectum in partem suam traxit. Dominus vero Arnoldus, Treverensis archiepiscopus, cum duce Saxoniae, qui missus fuerat ad ipsum ex parte regis Bohemiae et marchionis Brandinburch, fidem debitam imperio attendentes, salubriter et prudenter virum alienigenam pro pecunia nullatenus eligere voluerunt: quindecim enim millia marcarum sterlingorum oblata fuerunt eidem Arnoldo, archiepiscopo Treverensi, nec suum ani-

---

(a) In edd.: Dominus autem &c.

(b) Quidam codd. et edd. false legunt: innumeratam; alii: numeratam.

(c) Ap. Mart.: Angliae. — Chronicon vetus ms. incerti auctoris (olim in bibl. Trev. eccles. metrop.) non festive minus, quam nude Richardi gesta in Germania attigit his verbis: „Richardus cum adhuc opulentus esset in divitiis, vehebatur per „principes Alemanniae ad singulas civitates et oppida imperii super fluvium Rheni; et „ab omnibus civitatibus ob reverentiam principum, qui cum eo aderant, honorifice est „receptus. Cum autem pervenisset usque ad civitatem Basileam, defecit ei substantia. „Tunc reliquerunt eum principes Alemanniae, solum dicentes, quod eum non dilexe„runt propter personam, sed ratione substantiae — et dederunt ei libellum repudii, et „per aliam viam reversus est in regionem suam." — Conf. Matth. Paris. ad annum 1259.

(d) Conf. chartas quinque ex authenticis descriptas in Codice epistolari Rudolfi I., quem ex cod. ms. bibl. publ. Trevir. luci publicae consignavit Fr. Jos. Bodmann, Lipsiae, 1806. p. 306. sqq. — In his chartis legimus Conventionem et ratificationem promissorum Richardi, Comitis Cornubiae, Conrado Coloniensi factorum de eligendo illo in Regem Romanorum (1256). — Richardus promittit Conrado „octo millia marcarum sterlingorum, tredecim solidis et quatuor „denariis pro marca qualibet computatis."

Haec quinque diplomata desiderantur apud Rymer in opere: „Foedera, Conven„tiones &c. inter Reges Angliae &c. Editio quoque aucta et emendata Londinensis „de anno 1816." haec non habet.

mum flectere potuerunt (a). Quae quantitas (b) pecuniae, ut tunc referebatur (c) a multis, fortassis totam Romanam curiam commovisset! Propter hujusmodi igitur constantiam viri, quasi statuae immobilis, memorati principes imperii electores suam electionem illa vice eidem archiepiscopo domino Treverensi per suas patentes (d) literas commiserunt, ut quemcunque, praeter Anglicum, suo et ipsorum nomine eligeret, ratam et firmam hujusmodi electionem haberent. Ipse ad-

---

(a) Non desunt, animadvertit Honthemius (Prodr. Hist. Trev. dipl. I. p. 473.), qui ex una parte Arnoldi Trevirensis gloriam incorrupti animi auferre studeant, ex altera vero Coloniensem, Palatinum et Moguntinum purgare a nota avaritiae, cum observantiae fuisset, ut electus electoribus certam pecuniae quantitatem exsolveret. — Scriptor Anglus, Thomas Wikes (in Chron. ap. Thomam Gale, II. scriptor. Angl. p. 21.) habet: „Archiep. Trevirensis solus, sine caeterorum consensu, ut elec„tionis negotium impediret, eoque quod XII. mille marcas (a Richardo) non potuit „obtinere, sicut archiepiscopus Coloniensis, Regem Hispaniae elegit in Regem Ro„manorum, promittens ex parte Regis Hispaniae cuilibet trium Principum (Bohemiae, „Saxoniae et Brandeburgi) viginti mille marcas, qui nullo modo volebant in ejus „electionem consentire, donec de promissa pecunia fecisset eis plenariam satisfactio„nem." —

Sed prorsus aliter scribunt Gesta et Chronicon Augustanum an an. 1257. — Scriptor Anglus, pro suo Principe scribens, et in nostrum Arnoldum dissidiosae electionis odium referre volens, eo minorem hac in parte fidem meretur, cum ceterorum scriptorum nemo Trevirensem hac invidia gravet. Conf. Ptolemaeum de Luca L. XXII. cap. 15. in Muratorii Scriptor. Rer. Ital. XI. col. 1149., et Auctorem Chronici Salisburg. ap. Pezium T. I. Script. Austriae. col. 365., qui nullatenus desiderium pecuniae, sed genuinum motivum hujus electionis per Trevirensem in Alphonsum directae fuisse dicit — consilium domini Papae. — Conf. etiam Matth. Paris. (Hist. Angl. maj. p. 826.) et Raynaldum (Annal. eccles. ad an. 1257. T. XIV. p. 28. et 89.).

Occasione hujus famosae electionis ad arma devenitur. Arnoldus regale castrum Boppardiense obsidet; Moguntinus illud an. 1257. liberat, ut Richardus narrat in epistola, quam ad fratris sui filium Eduardum dedit (V. Rymer in Act. Anglic. T. I. P. II. p. 25. edit. primae, et Lunig in Archiv. Imp. Part. gener. Contin. II. p. 173.).

Hoc negotium plene compositum, et mediante gravi argenti pondere terminatum intelligimus sub Arnoldi successore, Henrico a Vinstingen. V. Honth. Hist. Trev. dipl. I. p. 780., et Gestorum Trev. cap. 173.

(b) Ap. Mart.: pravitas pecuniae.

(c) Cod. Paris.: ferebatur; edd. Mart. et Honth.: dicebatur.

(d) In edd. deest: patentes.

ductis secum Spirensi et Wormatiensi episcopis, ac aliis pluribus nobilibus terrae, in manu forti et comitatu decenti, die certa Frankenvort assignata, processit, et ibi virum magnificum dominum Alphonsum, regem Hispaniae, illustris regis Bohemiae et insignis ducis Brabantiae nepotem, in Romanorum regem, imperatorem futurum, suo nomine et vice praedictorum principum, cum solemnitate debita elegit, omnium qui aderant accedente applausu laetifico et consensu (*). Hac die electionis honor sedis Trevirensis per factum tam glorificum est inaestimabiliter sublimatus, quod tam excellentes principes dicto domino Trevirensi archiepiscopo, suis meritis (a) exigentibus, in tam arduo negotio vices suas committere decreverunt (b). Uterque itaque electus, de se facta electione cum gratitudine acceptata, suos procuratores ad curiam Romanam (c) transmisit; et adhuc lite sub judice perdurante, vitam praesentem finiverunt Moguntinus, Treverensis et Coloniensis archiepiscopi memorati (d). Pacem et concordiam cum ecclesiis suis habuit dominus archiepiscopus Arnoldus, quae sibi etiam in omnibus necessitatibus suis plurimum (e) servierunt. Omnes etiam archidiaconi, quos ipse temporibus suis instituit, viri strenui et discreti, ipsius erant consanguinei et amici; et fere omnes praelaturae suis diebus Treveri vacaverunt, quas ipse prudenter de personis idoneis restauravit, tam in abbatiis quam in aliis praelaturis. Completis autem suis diebus, in pace, tandem apud castrum Montaburch (f), quod suus avunculus, dominus archiepiscopus Theodericus a fundamentis construxit, debita naturae persolvit, et deductus Treverim, depositus in majori ecclesia Trevirensi ad sinistrum latus chori, prope altare

---

(*) Alphonsus etiam (ceterum doctrina et regia munificentia clarus) inanem regni gessisse titulum, satis habuit. — Hac igitur tempestate Germaniae status valde dejectus et calamitosus extitit! —

(a) Honth. legit: nuntiis, sed male.

(b) In edd.: vices commiserunt.

(c) Romam misit: Mart.

(d) Ibid. deest: Treverensis.

(e) multum: Mart.

(f) Al.: Monthabor, Monthabur, arx Thaborina.

sanctae Agnetis, anno Domini MCCLIX. (a) Nonas Novembris, pontificatus sui XVI. anno. Nec sine mistico praesagio hoc contigisse conjicitur, quod ipse dominus Arnoldus archiepiscopus in uno cornu chori majoris ecclesiae, et suus avunculus dominus Theodericus archiepiscopus piae memoriae in cornu altero sunt locati; ut, quasi duo praecipua luminaria ecclesiae et Trevirensis dyocesis, in perpetua memoria ab omnibus habeantur, qui ecclesiam Trevirensem, Montaburch, Kyleburch, Thurun, Stoltzenvels, Hardenvels castris constructis per eos et conquisitis, ac augmentatis possessionibus, et dilatatis terminis ac jurisdictionibus et libertatibus aliis plurimum illustraverunt, et specialibus titulis extulerunt; de quibus etiam metrice est conscriptum in hunc modum (b):

„Montaburch et Kylburch construxit Theodericus,
„Ast Thurun Arnoldus cepit, dolet hinc inimicus,
„Stolzenvels firmavit, Bischoffstein primiciavit,
„Hardinvels emit, et infeodata redemit.
„Arraz laetatur, quod juri restituatur,
„Et ne perdatur iterum, turri solidatur.
„Commendat Trevir et Confluentia te vir,
„Quod stant munitae, per multa prius mala tritae (*).“

Viris (c) humilibus et devotis se tanquam pastores benigni tractabiles in omnibus offerebant, et eos affectu ferventi fovebant (d): rebellibus et iniquis totis viribus strenue resistentes, quod multis patet evidentibus documentis. Plures virtutes et memorabilia opera dicti

---

(a) Quidam codd. mss. notant annum 1258.; alii habent 1260.; sed nos consentimus illis codicibus, qui notant annum 1259. — In foliis mss. Trev., N°. 1346 sign., legimus: „Cadaver Arnoldi II. Treverim delatum, ante altare sanctissimae Trinitatis ad „sinistrum latus chori sepelitur.“ — Chronicon S. Maximini et cod. Trev., N°. 1462 sign., concordat praedicto ms.

(b) Quod etiam legitur apud Browerum (Annal. Trevir. Tom. II. pag. 148.).

(*) Treviris scilicet et Confluentia ab Arnoldo munitae turribus et parte murorum. V. infra.

(c) Quidam codd. addunt: religiosis.

(d) Ap. Mart.: eis — favebant.

duo archiepiscopi perfecerunt (a), quae non sunt propter fastidium legentium praesentibus annotata, quorum memoria apud homines in aeternum permaneat, et animae apud Deum perpetua requiescant in pace. Amen!

(a) „Sub Arnoldi regimine opus insigne templi B. M. V. Treviris perfectum est. — Moe„nia urbis Trevirensis restaurantur. — Confluentiam moenibus exornat sumptibus sta„tuum patriae. — Monasterium monialium S. Agnetis instituit.“ — Haec specialia legimus in diversis aliis foliis mss. — Vide additamenta nostra ad hoc cap. ad calcem voluminis.

ANIMADVERSIONES CRITICÆ

ET

ADDITAMENTA

AD PRIMUM GESTORUM VOLUMEN.

Lectori Benevolo S.

Quae Gestorum Trevirensium textui in praesenti editione subjunctae sunt notae marginales, concernunt, praeter diversas notas criticas breviores, codicum tam manuscriptorum, quam typis editorum lectiones varias.

Cum vero permulta adhuc reliqua sint, quae dilucidationem ulteriorem et copiosiorem exigere videantur: eo potessimum consilio egimus, ut, qui studio historico tenentur, in voluminum nostrorum appendicibus reperirent animadversiones et additamenta, quae gravissimo cuique Gestorum Trevirensium argumento prae ceteris lucem affunderent.

Doctissimus Conringius aliquo loco dicit: „Tres sunt historici „virtutes: veritas, prudentia atque eloquentia"; sed quartam exigimus omnino non spernendam, imo vero in locum eloquentiae facile substituendam — scilicet claritatem.

Hanc, quantum possumus, observationibus nostris suffulcire conabimur: ex quibus si quid utilitatis hauseris, Lector, gaudebimus. Vale!

AD PRÆFATIONEM.

De diplomatum atque codicum mss. fatis in patria Trevirensi, quorum damnum nullo modo sarciri potest, aliqua ex genuinis fontibus hocce loco referre, consilium nostrum est.

Primum oblivioni non damus Wicelinum, quendam Trevirorum vicedominum, qui, testante documento quodam ms. monasterii Mediolacensis, anno 941 singulas hujus claustri chartas pessimo instinctu destruxit. „Wicelinus siquidem“ (sunt verba documenti) „vicedominus „Trevirorum, cum frequenti eum locum direptione, adducta eo praedabunda militum manu, „exhausisset; tum etiam, ne unquam monachis injuriam eam persequendi facultas esset, om„nes donationum veteres chartas minutatim consciderat.“

— In fine historiae Rabani archiepiscopi legimus, Rabani cancellarium, nomine Ernestum Dufel, libros, imagines, et plura alia, quae antecessores sui archiepiscopi, laudabiliter servarunt pro posteris suis, furtive versus Spiram deportasse (anno 1439)!

— De bibliotheca claustri Himmerodensis, in documento quodam ms. bibliothecae urbis nostrae, monachus quidam praefati loci haec refert: „Hemmerodensis bibliotheca librorum „fuit duorum millium anno 1453“ (illo aevo singuli adhuc Mss.), „ut index unus atque alter „habet, et ut annotavit sua manu Joannes a S. Vito, tum temporis abbas. — Bibliotheca mo„nasterii distracta est sub episcopo Joanne a Metzenhausen, libris deportatis sed non reddi„tis, ad usum provincialis synodi; idem sub Ferdinando Caesare ad subsidium concilii Tri„dentini factum.“ —

— Codicum Prumiensium stragem causavit tristis eventus circa annum 1517, qui in foliis mss., quae ante oculos habemus, in hunc modum narratur: „Temporibus Richardi, archie„piscopi Trevirensis, propter vehemens bellum inter archiepiscopum et abbatem, jussit abbas „fundationem et praecipua documenta abbatiae Prumiensis Stabuletum transferri, quae in iti„nere in S. Vito conflagratione, ista nocte oriente, combusta sunt.“ — Conf. etiam notas marginales ad cap. 84. — Rem librariam Prumiensem voluminibus quoque classicis saeculo IX. instructam fuisse, testantur epistolae Lupi, abbatis Ferrariensis (V. du Chesne script. Hist. Franc. T. II.). Erat Lupus optimorum librorum curiosus, quos ex monasteriis sibi ad describendum mitti petiit, uti ex pluribus locis epistolarum ejus apparet. Epistola 10. ad Marcwardum, abbatem Prumiensem, Suetonium Tranquillum et Josephum secum communicari rogat. — Ciceronis epistolas se ab Ansbaldo, monacho Prumiensi, accepisse profitetur epist. 69. — Adde epist. 60 et 91. —

— Legimus in cod ms. (olim monast. Benedict. in Lacu, modo in bibliotheca Trevir.): „Anno „millesimo sexcentesimo vicesimo tertio, consilio et voluntate cujusdam Prioris, magna pars „librorum magno labore et arte scriptorum, miramque referens tam veterum hujus loci mona-

„chorum industriam, quam antiquitatem, satis imprudenter impari aere et pretio distracta et „venundata est — Multa abierunt et perierunt, quae nunc pretio et precibus, si possem, re„dimerem!!“ —

— De damnis bibliothecae olim egregiae ad S. Mathiam stupide factis sequentia documenta nimis tristia nobis reliquit Mathias Cerdo, saeculo XVII. ad S. Mathiam monachus, in suo catalogo ms. abbatum hujus monasterii, scribens: „Sub regimine abbatis Martini Feiden „(circa medium saeculi XVII.) antiquissima nostra bibliotheca, in membranis multum laudata, „non nihil dissipata est. Cum enim dominus Joannes Sach aliqua exigeret debita de labore „suo existentia, dominus Abbas solvit ipsum in membranis (!). Sic cum dominus Reu„land bibliopola excudisset Antonii Mesenich librum vocatum Physonem mysticum, solvit „ipsum membranis. Sic cum Tullenses bibliopolae adferrent codices, nempe Gradualia „tria, Antiphonalia totidem et Psalteria tria pro choro nostro, Abbas indigens pecunia, mem„brana petentibus concessit, eosque sic solvit. Fateor illum excepisse nobisque „mandasse, ut illos seligeremus, quos jam excussos haberemus; sed ita accurate non potuit „fieri: quare dolendum, quod in initio hoc non fuerit factum.“ —

Conferantur etiam illa, quae de deperditis codd. mss. (quondam ad S. Mathiam) in Prolegomenis notavimus.

— Hic quoque repetere volumus, quae notavit Hontheimius (Prod. I. p. 331. sq.) his verbis: „Non sine indignatione scripsi (Hist. Trev. dipl. I. p. 96.) Remenses clericos sub Milone, et „verosimiliter quoque Trevirenses, in librorum foliis denarios nonnunquam ligasse; sed ma„jori indignatione, in mss. codices abbatiae Mediolacensis inquirens, ab ipsimet coenobitis „intellexi, in nupera illa, eaque perquam splendida monasterii restauratione, veterisque col„labescentis demolitione, antiquorum codicum curam adeo neglectam fuisse, ut eorundem folia „ad quascunque obvias necessitates, signanter coquis ad contegendas carnes igni torrendas in„servierint; adeo ut hodie ne vel unus manuscriptus codex in antiquissima et celeberrima hac „abbatia supersit!“ — Hinc illae lacrymae! Libenter tamen referimus, hujus monasterii char„tularium in bibliotheca Trevir. conservari.

— Hocce etiam loco epistolam Clementis Papae VIII. notam facimus, cujus originale bibliothecae nostrae publicae humanissime dono dedit Reverendissimus Episcopus noster, Josephus ab Hommer; est autem hujus argumenti: „CLEMENS. PP. VIII. Dilectis filiis ca„nonicis et capitulo metropolitanae ecclesiae Trevirensis, salutem et Apostolicam benedic„tionem. Ad rem praeclaram, quam propter Dei gloriam et publicam ecclesiae Dei uti„litatem molimur, efficiendam, vos quoque adjutores habere cupimus; ac sane id vos propense „admodum facturos, de vestra erga nos et hanc sanctam apostolicam sedem, in qua immeriti „praesidemus, spectata devotione confidimus. Sacra oecumenica concilia, Nicaenum et cetera, „quae praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum auctoritate rite celebrata sunt, magno „doctorum virorum studio ad pristinam integritatem veterum codicum auxilio restituta, in nostra „Vaticana typographia graece et latine simul imprimi ac pervulgari volumus. Fidei enim nos„trae veritas in illis veluti thesauris magnopere conservatur, et jam hoc opus strenue procedit, „et quatuor illa priora, quae ex sancti Gregorii Magni Papae sententia instar quatuor Evan„geliorum habent, accurate emendata sunt, ac propediem edentur.“

„Interea accepimus, in istius nobilis metropolitanae ecclesiae bibliotheca extare nonnullos „vetustos codices manuscriptos, qui ad hanc emendationis institutam provinciam non parum com„modi allaturi videntur: imprimis autem codices duo magni, et grandioribus literis

„exarati, alter sextae synodi, alter Chalcedonensis, tum seorsum volumen diversorum „conciliorum, itemque unum decretalium epistolarum priorum summorum pontifi- „cum, qui in hac eadem Apostolorum principis sede antiquissimis temporibus ecclesiae Dei „sederunt. Quia vero et boni communicatio expetenda, et ejusmodi librorum nullus prae- „stantior usus esse potest, et quo cogitationes nostrae referantur, optime videtis; propte- „rea a vobis petimus, ut eosdem libros ad nos Romam perferri velitis. Qua de re etiam ad „venerabilem fratrem Archiepiscopum vestrum scripsimus. Erit hoc quoque nostri erga vos pa- „terni amoris signum, quod adeo amanter haec a vobis petimus, quos ut filios dilectos in vis- „ceribus Christi gerimus, et quorum vicissim honestis petitionibus gratificari semper cupimus. „Cetera jussu nostro vobis exponet venerabilis frater episcopus Auserensis, Nuntius noster Apos- „tolicus, cui fidem cumulatam habebitis. Optamus, vos filii, cum hac sancta Romana eccle- „sia, matre vestra amantissima, in vinculo caritatis perpetuo conjunctos prospere in Domino „agere, et vobis Apostolicam benedictionem nostram benigne impertimur. Datum Romae apud „S. Marcum sub Annulo Piscatoris. Die XXVII. Septembris M.D.XCVII. Pontificatus nostri anno sexto.

Silvius Antonianus.“

Per resolutum Capituli ecclesiae metropolitanae, datum die 29. Octobris ejusdem anni 1597., certiores facti sumus, dictos codices mss., hujus bibliothecae cimelia, patriae limites hac saltem occasione non transiisse.

En hoc documentum plenum salis atque prudentiae, cujus exemplar idem Rmus. Episcopus benignissime nobiscum communicavit.

„Anno 1597. die 29. Octob. praesentibus Rdis generosis et nobilibus Dnis Hugone Cratz a „Scharpfenstein Decano, Wilhelmo Quad in Cantzeron Archidiacono, Adolpho Quad in Busch- „feld Cantore, et Lothario a Metternich Scholastico, Canonicis capitularibus capitulariter con- „gregatis.

„Leguntur literae Ssmi Dni nostri Dni Clementis Papae VIII. scribentis, suam sanctita- „tem sacra oecumenica concilia ad pristinam integritatem restituta in Vaticana typographia „graece et latine imprimi curare statuisse. Cum autem intellexerit, quod in bibliotheca eccle- „siae metropolitanae Trevirensis habeantur duo magni codices grandioribus litteris exarati, al- „ter sextae synodi, alter vero Chalcedonensis, tum seorsum volumen diversorum conciliorum, „itemque unum decretalium epistolarum priorum summorum pontificum, qui ad hanc rem non „parum commodi allaturi videntur, idcirco cupit sua sanctitas, ut Rdi Dni eosdem libros de- „ferri curent, sicuti hoc idem sua sanctitas ad Rdum Dnum nostrum Archiepiscopum perscribi „fecit, prout haec in dictis literis apostolicis latius continentur, et Rdus Dnus Coriolanus Epis- „copus Ausserensis, Nuntius apostolicus, plenius exponet. In simili effectu leguntur literae „ejusdem Dni Nuntii apostolici eandem ob causam ad capitulum missae, continentes quod suae „Cels. commissio apostolica, prout supra narratur, tradita fuerit, petens ut Dni desuper se de- „clarare dignentur; quibus etiam literis lectis Rdi Dni utique hujusmodi apostolicae requisitioni, „prout par est, libenter obediunt; considerantes tamen hujusmodi volumina, eo „quod magna sint, tutum Romam vix ferri posse, et durum fore originalia „transmittere, cum ex copiis legitimis idem effectus sequi possit, Rdi Do- „mini praetacto Dno Nuntio apostolico scribendum duxerunt, quatenus sua „Celsitudo aliquem huc deputet, ad transsumendum eadem volumina et Ro- „mam mittendum, prout in literis ad eundem Dnum Nuntium missis latius con- „tinetur“

Sequuntur literae ejusdem Capituli ecclesiae metropolitanae Trevirensis ad Dominum Coriolanum, Episcopum Ausserensem, Nuntium apostolicum.

„Illustrissimo et Rmo Dno Dno Coriolano, Episcopo Ausserensi, smi Dni nostri Clementis „VIII. ejusdemque sanctae sedis apostolicae in tractu Rhenano et Belgarum provinciis Nuntio „apostolico cum potestate legati de latere, Dno nostro observandissimo.

„Illustrissime ac Rme Domine! Breve apostolicum smi Dni nostri Clementis VIII. ac Illmae „et Rmae V. Celsitudinis literas cum ea qua decuit reverentia accepimus; ex quibus sane, „quemadmodum suae sanctitatis singularem erga rempublicam Christianam sollicitudinem, ac „Illustrissimae et Rmae V. Celsitudinis in exsequendis mandatis apostolicis diligentiam et dex„teritatem magno cum gaudio intelleximus, ita etiam ut obedientes suae sanctitatis filios in „promovendis et juvandis ejusdem piis conatibus, sicuti proposita editio conciliorum genera„lium est, paratos nos exhibere convenit; quamobrem, ut suae sanctitatis piae voluntati sa„tisfiat, propediem bibliothecam ecclesiae nostrae ob hanc duntaxat causam volente Deo „visitabimus, et si dicti codices in brevi apostolico nominati adhuc in nostra custodia sint „et reperiantur, vestram Illmam et Rmam Celsitudinem ejus rei certiorem reddemus, ad effec„tum deputandi huc aliquem qui eosdem codices, eo quod magna volumina sint, et hisce pe„riculosissimis temporibus tuto Romam ferri nequeant, transsumat, quos transsumptos Rma et „Illma vestra Celsitudo isthinc meliori cum commoditate, quae hic rarissime se offert, Romam „absportari et suae sanctitati praesentari faciet, originalibus penes nostram ecclesiam „relictis, rogantes ut vestra Celsitudo nos et capitulum nostrum suae sanctitati, cui alio„quin toti, ut par est, deditì sumus, omni cum humilitate commendare dignetur. Et si qua „in re V. Celsitudini obsequium praestare possumus, utique nos paratissimos fore sentiet. Va„leat feliciter. Datae Treviris die 29. Octobris 1597."

Qualem vero sortem dicti codices tempore subsequente habuerint, an anno 1792. transportati, an prius? de hoc nullam habemus notitiam. — Praeterea addamus adhuc sequentia:

In cod. Trev. ms. saec. XV., N°. 1250 sign., legimus: „Bibliotheca ad S. Maximinum „possidet octo libros mss. cum lapidibus pretiosis." In alio cod. Trev. ms. sequens notitia literaria adservatur: „In ecclesia nostra (Prumiensis abbatiae) continentur septem libri „ms. cum tabulis aureis et argenteis, item duo graeci libri." Hanc notam legimus manu saec. 14. inscriptam ad calcem partis 1. cod. ms. saeculi 8. aut 9., qui Evangelia ex Alcuini versione latina continet. Hic codex egregius, in duo volumina distinctus, jam suis tabulis aureis vel argenteis more Vandalico privatus, extat nunc in biblioth. Trev., N°. 1307. sign.

Tandem legimus in cod. Trev. ms. saec. 16., N°. 1153 sign., qui continet Summarium actorum S. Clementis Willibrordi et fundationis monasterii Epternacensis: „Inter cetera hujus „coenobii ornamenta est liber Evangelii bracteati operis, quem contulit eidem ecclesiae „Otto rex, cujusque ibi in exterioris libri cortice vel tegmine imago est sub pedibus S. Be„nedicti, et Theophaniae imperatricis, cujus icon est eodem loco sub pedibus S. Ludgeri. Est „et alius liber illic auro et argento scriptus, continens vitam S. Willibrordi."

Et haec patriae cimelia maximam partem deperdita sunt!

AD CAPUT I.

Haec de Trebeta et urbis Trevericae origine conficta relatio suos omni tempore habuit adseclas. Marianus Scotus, qui ex Eusebio aliisque priscis auctoribus temporum rationes altius repetit, ad sextum decimum annum Abrahami inquit: „Hoc anno Trebeta, filius Nini, „a Semiramide expulsus de regno, Treverim urbem condidit in Gallia, ante Romam conditam „anno MCCL.“ — Perinde Sigebertus Gemblacensis, cum de Trevirorum excidio (an. Chr. 413.) verba facit, urbem Treverim ait condidisse Treberum, filium Nini Assyriorum regis, profugum a facie novercae suae Semiramidis, et a suo nomine Treberim appellasse. Quin et Otto Frisingensis Trebetam scribit a Semiramide pulsum regno post parentis mortem, et classe facta, ex Asia in Europam profectum, id est, per mare in Rhenum, ac inde per Mosellam, in valle pulcherrima Galliae consedisse, ibique florentissimam et confertissimam opibus, ac totius tunc caput Galliae urbem fundasse, cui indiderit postremo nomen ex suo, Treberis. Ab Ottonis narratione nequicquam dissentit Abbas Vrspergensis. Eadem memorat Albertus Stadensis; neque Godefridus Viterbiensis publicae famae se testem negavit. Multi alii haec secuti sunt testimonia, ut in re (ait Browerus noster) fama valde tum quidem, et Chronologorum conspiratione quadam, contrita et pervagata. Hi viri sua alter ab altero bona fide descripserunt, dubia cum certis, falsa cum veris sine ullo examine miscentes.

Legimus adhuc Treviris vulgato decantatam carmine inscriptionem:

Ante Romam Treviris stetit annis mille trecentis.

Quem famosum versiculum nonnulli Godefrido Viterbiensi adscribunt.

Scriptor criticus recentior foliorum Trev. mss. (N°. 1173 sign.), in quibus de origine ecclesiae S. Maximini disputat, prudenter asserit: „Romani Martem habuerunt progenitorem, „quem lupa enutrivit: Treveri ex Trebeta, filio Nini, origines suas trahere amant. Sic antiqui„tas initia urbium aut Diis adscripsit, aut portentosa nobis reliquit.“ Sic (ut aliud exemplum addamus) Chronographi saeculi XII. Parisiorum civitati originem Trojanam supponunt, amplificantes et colorantes hanc narratiunculam principum genealogia — usque ad tempora diluvii!! — Vide Histoire de Paris par Dulaure, I. p. 73. Paris, 1825.

Confer Browerum (Annal. Trev. I. p. 6. sqq. cap. IV. V. VI.) — Acta SS. Antv. I. Junii, p. 103. — Honthemium (Prodr. Hist. Trev. I. p. 3., Hist. Trev. dipl. III. p. 110.) — et Disquisitionem nostram s. t.: Hypothese über den Ursprung der alten Trierer (Trier'sche Chronik, 1822, S. 45. u. f.) — Adde animadversionem ad cap. 9.

Cum multis abhinc annis novam Gestorum editionem parabamus, accepimus a Joanne Gertz, quondam Professore Trevirensi, literas, quibus declaravit nobis, quid censeat de hac narratione famosa. Juvabit propius cognoscere, quae ille ad nos rescripsit:

„Daß die Sage von dem so hohen Alter der Stadt Trier keinen Glauben verdiene, und über„haupt die ganze Erzählung von Trebeta, ihrem vorgeblichen Erbauer, fabelhaft sey, wird kaum je„mand, der mit gesunder Beurtheilungskraft alte Geschichtskunde verbindet, bezweifeln. — Selbst „Browerus sah dieses, vermöge seines Scharfsinns, ein, und gab es nicht undeutlich zu verste„hen. — Die ganze Erzählung scheint mir so entstanden zu sein: Zuerst erdichtete man den Tre„beta, als Erbauer der Stadt Trier, bloß wegen Aehnlichkeit des Namens mit der Stadt, wie „man hundert dergleichen Beispiele hat, und machte ihn zum Sohn des Assyrischen Monarchen Ni„nus, beides ohne einiges Zeugniß eines alten Schriftstellers. Da nun das Assyrische Reich 1300

„Jahr ohngefähr vor Erbauung Rom's seinen Anfang genommen hat (nach dem Eusebius und mehrern „andern Schriftstellern, denen auch Augustinus folgt); so ergab sich darauf die Sage von dem an„gegebenen Alter der Stadt Trier, als eine von selbst daraus fließende Folge. Ich setze die Worte „des h. Augustini hier bei, weil es ersichtlich ist, daß die Gesta Trevirorum, und andere Chronik„schreiber des mittlern Alters sie vor Augen gehabt haben: der h. Vater schreibt im 18. Buche von „der Stadt Gottes im 2. Kapitel gleich von Anfang: „Duo regna cernimus longe ceteris per„venisse clariora: Assyriorum primum, deinde Romanorum, ut temporibus, ita locis inter se „ordinata atque distincta. . . Ninus ergo jam secundus rex erat Assyriorum, qui patri suo Belo „successerat, regni illius primo regi, quando in terra Chaldaeorum natus est Abraham.“ — —

Frustra erit, in rem desperatam ultra inquirere; latet interim in vetustissima hac Trevirorum traditione illa simplex veritas — cunctas nationes posse dici originis Asiaticae.

AD CAPUT IX.

Galatas Asiae minoris ex Gallia quondam emigrasse (scribit idem Joannes Gertz, magister noster doctissimus, in Dissertatione de prisca Trevir. lingua. Goettingae 1772.), omnis testatur antiquitas, et siquidem emigrantium numerum spectes, ultra 200,000 armatos complectentem, ex universis fere Galliae, qua late patet Rhenum inter, Oceanum, Pyrenaeos et Alpes, civitatibus, oportet esse profectos.

De lingua Galatarum sive Celtarum extat notus et celebris locus (cujus verba summatim ad finem capitis noni Gestorum legimus) apud Hieron. in libro, ad marginem textus notato, hujus argumenti: „Unum est, quod inferimus et promissum in exordio reddimus, Galatas ex„cepto sermone graeco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam, eandem pene ha„bere quam Treviros (*), nec referre, si aliqua exinde corruperint, quum et Aphri Phoe„nicum linguam nonnulla ex parte mutaverint, et ipsa latinitas et regionibus quotidie mutetur „et tempore.“ — Cum Hieronymi testantis auctoritas per se tanta sit, ut major esse non possit; hic tamen debet esse longe maxima, nam et per Galatiam iter fecerat, et apud Treviros aliquamdiu fuerat moratus. De itinere per Galatiam vide Epistolam 3. ad Ruffinum monachum n. 3. (edit. Veron. I. p. 10.); de sua apud Treviros habitatione (ibid. p. 12. n. 5.) scribit: „quum post Romana studia ad Rheni semibarbaras ripas, eodem cibo, pari frueremur „hospitio, et (p. 15. Epist. 5. n. 2. ad Florentinum): prolixum valde de synodis librum S. Hi„larii, quem apud Treviros manu mea ipse descripseram, ut mihi transferas, peto.“

Hinc validissimum petitur argumentum, Treviros et originis et idiomatis Gallici (Celtici) fuisse, et hoc idioma apud Augustae Trevirorum incolas tempore Hieronymi nondum in desuetudinem abiisse. Ex Sidonii et Sulpitii Severi testimoniis probatur, horum adhuc aetate sermonem Celticum et in Aquitania viguisse. (Alteserra Rer. Aquit. L. 2. c. 6.)

Satis nota sunt, quibus Caesar caput 1. libri I. Comment. de bello Gall. incipit: „Gal„lia est omnis divisa in partes tres; quarum unam incolunt Belgae; aliam Aquitani; tertiam „qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli adpellantur. Hi omnes lingua etc. inter se differunt.“

(*) γαλάται τῷ κελτικῷ γένει, scribit Plutarchus in Camillo. — Celtas originem duxisse a Phoenicum coloniis, linguamque Celtarum, quam et hodie pars Hibernorum loquitur, Phoenicum antiquam linguam fuisse, demonstrare nititur William Betham in opere, cui titulus: The Gael and Cymbri; or an inquiry in the origin and history of the Irisch Scoti, Britons and Gauls etc. — 1834. —

Sed omnem hanc linguae differentiam, saltim quod Celtas attinet et Belgas, nilnisi dialectos fuisse (ut hodie loquimur) auctor est Strabo (Geogr. l. 4.). Qua in re vera retulisse Strabonem, ex aliis monumentis constat.

De Trevirorum origine probatissimi veteres rerum nostrarum scriptores discrepant inter se. Caesar Treviros a numero et gente Germanorum excludere videtur: L. II. c. 4. enim Belgicas inter gentes, quae Germanorum nomine veniunt, tantum recenset Condrusos, Eburones, Caeresos, Paemanos. Nihil hic de Treviris. (Conf. etiam L. VI. c. 31.) Caesar ergo tantum abest, ut Germanicam Trevirorum originem asserat, ut potius negare videatur. —. Magis origini huic favere videtur Strabo, Treviros cum Nerviis jungens. Verba Strabonis (*και τᾶτο Γερμανικὸν ἔθνος*) reddit Hontheimius: qui et ipsi natione Germani; sed alii Strabonis locum interpretantur: Treviris contigui sunt Nervii, Germanica gens. — Tacitus videtur anceps haerere, remque in medio relinquere: cum enim (Germ. c. 28.) narrasset, Treviros et Nervios circa Germanicae originis affectationem ultro ambitiosos esse, mox subjungit: ipsam Rheni ripam HAUD DUBIE Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes. Hinc colligendum, Tacito non plane exploratam fuisse Germanicam Trevirorum originem.

Periculosum ergo erit, concludimus cum auctore laudatae Dissert., ex his auctoribus certi aliquid definire velle.

AD CAPUT X.

Treveris secunda Roma. Hanc gloriosam Augustae nostrae denominationem plus vice simplici in Gestorum textu repetitam legimus. In aliis quoque monumentis historicis haec denominatio illustris occurrit. Sic e. g. Fridericus I. Imperator in literis ad Hillinum, archiep. Trevir., signatis anno 1157. (Honth. Hist. Trevir. dipl. Tom. I. pag. 582. b.) ita fatur: „Ut „omnes de regno nostro cis Alpes non Viterbii ad novam Romam, sed Trevirim ad secun-„dam Romam, veniant.“ Leo X. in suis indulgentiarum literis 26. Januarii 1514. (Honth. l. c. Tom. II. pag. 591. b.) inquit: „Et a dicto Constantino et aliis imperialibus largitionibus „adeo illustris effecta (Treviris) ut recte secunda Roma, et domina provinciarum „et omnium ecclesiarum Germaniae et Galliae prima dici valuerit.

AD CAPITA XX., XXI., XXVI. ET XXVII.

De statu religionis Christianae apud Treviros sub Romanorum imperio; porro, de aera fundatae ecclesiae Trevirensis, an Eucharius, Valerius et Maternus fuerint sancti Petri discipuli; aut an circa finem saeculi III. vel initio saeculi IV. hi tres viri apostolici, ab utraque dissidentium parte saltem ut primi Trevirorum Apostoli agniti, Christi praedicaverint Evangelium? an tandem viginti duo episcopi inter Maternum et Agricium intermedii, ex fastis ecclesiae Treverensis delendi sint? quaestiones sunt inter scriptores patrios aeque ac exteros, jam diu, plus aut minus solide agitatae. Consilium nostrum non est, utriusque partis argumenta ad Lydium critices lapidem hocce loco producere: nostro sane judicio omnibus traditionibus, dictis et scriptis, rigide examinatis, res manet incerta. Audiamus doctissimum Benedictinum Joan. François, monachum abbatiae S. Symphoriani Metis, in sua epistola de anno 1759. ad Maurum Hillar Priorem ad S. Mathiam (cod. ms. Trev., N°. 1300 sign.):

„Unum (scribit) in hac re concludam, scilicet, ut aliarum Galliae ecclesiarum, sic Tre„virensis primorum episcoporum vitas obscuritate esse plenas, tenebris conspersas extraneis„que circumstantiis spurcatas. A divo saltem Materno, sive unus fuerit, sive duplex, S. ad „Agritium usque, video omnia in labyrintho, nostrosque criticos in dubitando concordes.“ —

Qui plura de hac disputatione scire cupiunt, inter innumeros alios videant Honthemium (Hist. Tevir. dipl. Tom I. Dissertat. de aera fundati episcopatus Trevir., tum de statu religionis Christianae in Treviris ante Constantinum M. in suo Prodromo Historiae Trevir. diplom. Tom. I. pag. 64. seqq. et Tom II. pag. 731. seqq.) — Adde Nelleri Programma, Treviris anno 1755. impressum; Mauri Hillar Vindicias Historiae Trevir. de tribus primis Trevirorum episcopis. Transeunter solum animadvertere nobis liceat, Honthemium nostrum de hac materia disserentem, non ubique sibi esse constantem; e. g. in praefata Dissertatione pag. XXV. exhibet catalogum episcoporum Trevirensium, e monasterio S. Ghisleni in Hannonia, in qui S. Maternum immediate sequitur S. Agricius, omissis 22 reliquis Trevir. episcopis, quorum nomina apud alios legimus (vide Broweri Annal. Trev. Tom. II. in indice chronolog. pag. 2): argumentum Honthemii igitur ex silentio hujus chartae est protractum, chartae saeculo XII., ergo diu post Normannicam invasionem scriptae; documentis autem illius aevi, quando gesta Ante-Normannica referunt, parum fidei tribuit (vide Prodrom. Tom. II. pag. 731.); alibi autem, sibi non conscius, ejusmodi documentis fidem non denegat (conf. praefationem nostram). De altari portatili S. Willibrordi, de quo Honthemius (Histor. diplom. Tom. III. pag. 980). jam mentionem fecerat, in suo Prodromo (I. p. 360.) repetita vice loquitur his verbis: „Caeterum ad indagandum et probandum cultum publicum, non solis Calendariis et Direc„toriis utimur; subsidio nobis praeterea sunt etc. 3) ara portatilis S. Willibrordi, qui apud nos ut „plurimum moratus est, ex saeculo VII. in VIII. exhibens dypticha nonnullorum Praesulum Trevi„rensium &c.“ In hac ara, quae nunc conservatur in domo parochiali olim S. Laurentii, modo B. M. V., inter alia sanctorum nomina, notantur quoque illa SS. Auspicii, Felicis, Severeni et Martini I. episcoporum Trevirensium, in ordine S. Agricium praecedentium. In praefata dissertatione pag. XL. Honthemius haec observat: „Nimis sane multa convelli opporteret, si hodiernus „artis criticae rigor, qui pias traditiones cum erroribus popularibus facile confundit, et saepe „bonum semen cum zizanio evellit, exerceretur in Breviaria, Martyrologia, et eas etiam sanc„torum vitas, quae hodieque a prudentioribus sincerae existimantur.“ Altera igitur manu vir ceteroquin celeberrimus protegere videtur, quod una enervare studet.

Verissima est observatio Longuellii in Dissertatione praeliminari ad Histor. eccles. Gall.: „At vero contentionis fervor, qui in hujusmodi disputationes se fere insinuat, sententiae utri„usque patronos compulit ad extrema aequaliter repraehendenda; illi quippe eo devenerunt, ut „propugnarint populares ingenti numero traditiones, et instrumenta maxime improbata; hi vero „ut non semper acquieverint testimoniis fide dignissimis.“

Omnibus documentis rigide examinatis, sequentes propositiones sive hypotheses admittere conamur:

1°) Vix dubitare nobis licet, jam saeculo primo in civitate Trevirorum extitisse Christianos.

2°) In eo vix non omnes utriusque sententiae scriptores consentiunt, Eucharium, Valerium et Maternum primos fuisse ecclesiae Trevirensis episcopos: an autem saeculo primo, an sub finem saeculi tertii, aut initio saeculi quarti Treviros venerint, incertum est, semperque incertum manebit.

3°) Aeque difficulter demonstrabitur, an inter Maternum et Agricium extiterint plures alii episcopi intermedii; au vero Agricius fuerit immediatus Materni successor?

4°) Primis quinque aut sex ecclesiae saeculis viri isti apostolici eorumque successores non videntur Treviris semper fixam habuisse sedem; sed de pluribus ecclesiis, ac diversarum regionum incolis habuisse spiritualem curam; ita ut Mansuetus Trevirensis idem fuisse videatur ac Tullensis, Marcellus Trev. idem ac Cabillonensis, Clemens, Felix Trevirensis et Metensis ecclesiarum praesules extitisse credibile sit — et sic de aliis.

5°) Silentium vero catalogorum Ghislenensis monasterii et Prumiensis non praebent rationem sufficientem ad delendos episcopos inter Maternum et Agricium intermedios.

6°) Neque tamen sufficiens extat argumentum, hanc seriem intermediam, ut sinceram, sine ulla exceptione agnoscendi, quanquam Breviarium Trevirense festa et memoriam quorundam celebret. Conf. infra notam ad cap. 67.

AD CAPUT XXIX.

— Helena, Trebirorum nobilissima — Scriptor quidam Trevirensis folia anno 1551. scripta de origine et patria Helenae nobis reliquit, quae cum plurimis aliis foliis mss. asservantur in cod. ms. bibliothecae Trev., N°. 1353 sign. Anonymi doctissimi disputatio opinionem Gestorum defendere conatur, illam nempe, quae (ut etiam asserit Martyrologium ecclesiae Bonnensis) Helenam ortam dicit ex nobilissima, imo regali Trevirorum progenie.

Argumenta hujus viri hucusque inedita hic adferre, non incougruum duximus; sunt autem haec:

„De origine et patria Helenae, Constantini matre, variant historici. Nam Graeci quidam eam sui esse generis tradunt, Drepani cujusdam hospitis filiam, a Constantio cognitam, „et Constantinum edidisse. Quod et divus Ambrosius innuere videtur in oratione funebri de „obitu Theodosii Imperatoris (§. 41.). Stabulariam, inquit, hanc primo fuisse asserunt, sic cognitam Constantio Seniori, qui postea regnum adeptus est. „Bona stabularia, quae tam diligenter praesepe Domini requisivit. Bona „stabularia &c.“

„Alii tradunt in Britannia natam patre Choelo rege, contra quem Constantius exercitum „duxerit; cumque eum in potestatem redegisset, certisque conditionibus regni imperium eidem „permisisset, ipso vita functo, filiam ejus Helenam, forma et moribus praestantem puellam, „matrimonio Constantium sibi junxisse. Sic legitur in latina Britannorum historia, et in gallica, quam habeo in membranis antiquo idiomate. Alii quoque scriptores sequuntur eos, „qui Helenam natione Britannam scribunt.

„Sed horum omnium auctoritas non tanti mihi est, ut ab historia nostra recedendum putem, quae Helenam ex nobili Treberorum prosapia ortam tradit. Nam in historiarum diversitate, „cum nihil certi habeamus, quod tanquam authenticum sequamur, videndum erit, quid majori „probabilitate nitatur. Ac Graecis quidem in re dubia facile credendum non est, quibus hoc „proprium semper fuit, ut de laude aliena suam, si qua ratione possint, illustrent gentem, „et simile quid faciant, quod olim de Homero jactatum fuit, de cujus origine septem Graeciae „civitates concertabant, cum unaquaeque suum esse civem diceret. Deinde fragile est argumentum, quod Helenopolis ab eadem fuerit condita vel exornata, quae olim Drepanum vocabatur.

„Nam et in Gallia vicus vel oppidum Helena olim ab eadem nomen accepit, ut tradit Caro-„lus Sigonius in historia de regno occidentali. Quod vero divus Ambrosius eam vocat Sta-„bulariam; id non tanquam historicus pro vero tradit, sed ut orator ad suum propositum ac-„comodat, quod in quorundam erat opinione.

„Britannica vero historia non certum habet auctorem, qui illa vixerit aetate, et indubita-„tam habeat fidem. Sed potius hinc creditum fuit, Helenam Britannam, quod filium Constan-„tinum in Britannia peperit. Nam Constantinum in Britannia natum indicare videtur orator in „Panegyrico ad Constantinum, his verbis: Liberavit, inquit, ille (scilicet pater tuus Con-„stantius) Britannias servitute; tu etiam nobiles, illic oriendo, fecisti.

„Ceterum cum satis constet ex historiis, et veterum oratorum Belgicorum orationibus pa-„negyricis, quod eo tempore, quo Constantius transalpinas nationes regebat, imo longe ante „et post Treviris Gallici imperii sedes fuerit, ita ut imperatores Romani in nullis partibus „transalpinarum regionum frequentius, quam Treviris agerent: cur non verisimile magis videa-„tur, Constantium sibi Helenam conjugem in Trevirorum finibus potius, quam in Britannia aut „Graecia adscivisse? Etenim si generositatem nobilitatemque in adjungenda sibi conjuge spec-„tavit, Trevirorum gens jam olim a C. J. Caesaris tempore, prae ceteris Galliae populis prae-„cipuam virtutis laudem sibi vindicavit. Ipsa vero civitas adeo imperatoribus grata fuit, ut „Ammianus Marcellinus (l. 15.) Treviros vocet clarum principum domicilium. Et „Mamertinus, orator Belgicus per ea tempora clarus, in oratione panegyrica, quam habuit, „cum Maximinianus natalem urbis Romae Treviris celebraret, dicit eam aemulam Romanae „urbis. Itaque imperatores frequenter Treviris natalitia sua peregerunt: quinquennalia vel de-„cennalia vota tum conceperunt, tum solverunt: aedificiis et operibus publicis privatisque ur-„bem exornarunt. In quibus et Constantini palatium celebratur. Et orator Eumenius in „oratione Treviris habita dicit, urbem Trevirorum a Constantino reaedificatam et ornatam. „Testantur et rescripta tum Constantini, quam aliorum subsequentium imperatorum, Treviris „edita, quod inibi frequentem habuerint commorationem, quemadmodum ex codice Theodo-„siano multa colligi possunt.

„Et certe nomen Helenae, cum barbarum non sit, sed a Graecis profectum videatur, non „propterea ipsam etiam virginem a Graeco habere credendum est; cum eo tempore literae etiam „apud Treviros floruerint. Quod ex panegyrico Mamertini colligitur, et ipsum Mamerti-„num Trevirensem fuisse reor, quia de Mosella loquens, fluvius hic noster, inquit. Et „Ausonius in Mosella:

Aemula te Latiae decorat facundia linguae.

„Quin et apud Graecos Trevirensium fama celebris fuit. — Plane igitur existimo, nostrae „historiae certiorem esse fidem, quae Helenam ad Trevirorum originem refert; praesertim cum „eadem historia in aliis omnibus probatissimorum auctorum historiis consentiat.

„Est et alia de Helena inter historicos dissentio. An Helena uxor Constantii fuerit, an „concubina? Paulus Orosius (Lib. 7. c. 21.), D. Augustino coaetaneus, ex concubina na-„tum esse Constantinum scribit. Quem sequuntur Ado, Viennensis episcopus, et Aurel. „Cassiodorus in Chronicis. Graeci variant, ut scribit Zonaras (initio tertii tomi χρο-„νικων). Nam alii legitimo conjugio nuptam fuisse Constantio, ac dimissam, cum Maximianus „Herculeus, filia Theodora desponsa, Caesarem eum designasset: alii non matremfamilias, sed „concubinam, formae gratia Constantio conciliatam, Constantinum ei peperisse tradiderunt. „Sed verius est uxorem fuisse. Nam qui concubinam fuisse tradunt, hanc erroris habent causam,

„quod legerint, eam postea repudiatam, cum Constantius, in consortium imperii adscitus, Ma-„ximiani Herculei filiam in matrimonium ducere cogeretur. Gentili vero ritu uxores repudiare „etiam sine causa licebat, praesertim eas, quae matresfamilias non essent. Erat igitur uxor „Helena, sed non materfamilias, h. e., non in manum viri convenerat confarreatione et aliis „solemnibus ritibus. Quod quidem ita se habere, colligitur ex historia Zosimi (lib. II. hist.). „Qui alioquin parum aequus fuit Constantino, ut libenter hanc notam de natalium defectu ipsi „adscripturus fuerit, si potuisset; cum in aliis multis improbus fuerit Constantini insectator. „Scribit igitur Zosimus, Constantinum natum ex consuetudine mulieris, quae materfamilias non „esset, nec in manum Imperatori Constantio legitime convenisset. Quamvis igitur Constantius „eam dimiserit, conjunx tamen ejus Helena fuit juncta, licet non sollemni ritu — et Constan-„tinus Imperator legitimo matrimonio procreatus est.“

Treviris 26. Aprilis a. 1551.

Habeant haec tantam, quantam possunt, auctoritatem apud Criticos, sicut et illa, quae sequuntur; haec scilicet: De hac re Monachi eruditissimi e Congreg. S. Mauri in editione Operum S. Ambrosii excellentissima (T. II. p. 1210.) hanc proferunt sententiam: „Stabulariam „Ambrosius Helenam dicit, quod ex patre, qui publico diversorio hospites excipiebat, nata „crederetur. Neque tamen sumus nescii, Baronium ad an. 306. scribere, matrem Constantini „filiam unius e regulis Britanniae, nomine Coel extitisse, idque ab antiquis gentis historicis „esse proditum. Atqui cum omnes Romanarum rerum scriptores Helenam Constantii concubinam „dicant, et Constantiuum ex imparibus nuptiis natum adserant, hanc a Baronio commemoratam „opinionem pro fabula habendam credibile est.“

Silent editores Benedictini de Trevirorum traditione, cujus nescii fuisse videntur.

In eam sententiam utique non pauci scriptores conveniunt, qui stabulariam et concubinam Helenam appellant, quam conjugii speciem lex Romana (l. 3. Cod. de natur. lib.) inaequale matrimonium nominat. — Sunt vero etiam alii, qui Helenam, quibuscunque tandem parentibus fuerit genita, justo matrimonio, cum dignitate legitimae uxoris, Constantio copulatam fuisse contendunt.

Si procul omnibus praejudiciis, et semoto omnium partium studio, rem libet intueri; non vanae fortasse sunt conjecturae, auctores in his quaestionibus pugnantes temporum distinctione posse conciliari.

Etsi ipse Eusebius (in Chron.) Constantinum ex concubina natum dicat; concedendum tamen est, Constantium postero tempore, deposita provinciae (scilicet Dalmatiae) sibi ab Imperatore Caro commissae cura, Helenam, conjugem jam legitimam, in justo matrimonio ad annum usque 292. retinuisse. Cum enim eo anno Galerius a Diocletiano, Constantius a Maximiano Caesares essent renuntiati, uterque uxores priores repudiare, et Constantius privignam Herculei Theodoram, Galerius Diocletiani filiam Valeriam ducere sunt coacti. (V. Valesii Anonymum in Excerpt. 1.)

Quoad alteram hujus controversiae partem, nos certam quidem urbem Helenae natalibus assignare veremur; verisimilius tamen censemus in Oriente genitam et Constantio conciliatam.

Conferantur porro super has quaestiones, praeter auctores supra citatos: Procop. de aedif. Justiniani L. v. 2. — Nicephori Hist. VII. 18. — Liban. Orat. pro Aristophane Corinth. — Morini de liber. eccles. II. 6. — Murat. Annali d'Italia ad an. 306. — Hartmanni Diss. de Helena, Constantini matre. — Tillemont Mémoires pour servir à l'hist. ecclési. I. — Tum historici recentiores: Gibbon, Manso, alii.

AD CAPUT XXXI.

— Anno 328. sanctus Agricius Trebirorum praesul efficitur.

Si hoc primum anno, ut Gesta affirmant, episcopatus ejus initia collocantur: qui igitur fieri potuit, ut idem Agricius, secundum communem opinionem, Arelatensi jam concilio, anno 314. celebrato, subscriberet! Agroecius ergo, qui sub hoc nomine subscriptus legitur ad calcem actorum concilii Arelatensis I., Agricius hic noster esse non potuit.

Auctor anonymus Annalium coenobii D. Maximini (*) (cod. ms. Trev., N°. 1253 sign.) hunc nodum explicare conatur, asserens: „S. Agricius bis venit Treviros: semel anno „314., ut convincitur ex actis concilii Arelatensis; iterum anno 328. Ergo Gesta Trevi-„rensia corrigenda sunt."

Sed haec, quae erant demonstranda, a doctissimo viro per hanc suppositionem ad arbitrium factam minime sunt demonstrata. Cave (Scriptorum ecclesiast. hist.) ad hoc concilium recte notat: „Quorundam nomina episcoporum mendose admodum hodie subscripta leguntur."

Vita Agricii, a sequioris aetatis scriptore collecta, legitur ap. Bollandum ad XIII. Januarii.

Annus mortis Agricii his rationibus stabilitur. Historiae Trevirenses, tam mss. quam editae, constanter tradunt, S. Maximinum, Agricii successorem, obiisse anno 351. Probatiores etiam rerum Trevirensium scriptores in eo concordant, Maximinum sedisse annis fere 15, quos sequimur. Itaque, si ab anno 351. sursum versus annos quindecim episcopatus Maximini numeres, invenies eum coepisse sedere anno 336., et consequenter hoc anno Idibus Januarii Agricium probabiliter obdormuisse: quae chronologia ex Browero nostro placet.

— Treberis (Athanasius Alexandrinus) sex continuis annis ita latuit &c.

Minus recte haec omnia, quae de Athanasii exilio Gesta hocce loco referunt.

Arianorum instigatione oppressus, Treverim secedere Athanasius compulsus est. Aderat tum vero Treviris Constantinus Junior, qui Athanasio favebat; sic et Maximinus, Trevirensis episcopus, eum certe non ut exulem aliquem, sed ut acerrimum veritatis catholicae defensorem excipiebat. Sane si, ut bene monet Calles (Annal. eccles. Germ. I. p. 196.), plectere ejus aliquam culpam Constantinus M. voluisset, non in splendidissimam totius Galliae metropolim; sed in desertam aliquam pelagi insulam, vel in Scythiae solitudinem relegasset. Treviris certe omnibus ad vitam necessariis abunde instructum, a Caesare ipso, ab episcopo et populo urbis in honore habitum, testes sunt Constantini Junioris literae, quas T. I. Op. Athanasii, et ap. Socratem (L. 2. c. 3.) et Theodoretum (L. 2. c. 2. N°. 10.) relatas legimus.

Hoc in secessu Athanasius, quo se sub anni 336. initium recepit, Theodoreto teste, annos duos et quatuor menses egit. Anno 338. remissus est Alexandriam. Falluntur ergo (Scriptor Gestorum, Trith. de Scriptorib. illust., alii), qui annis sex, imo septem latitasse Treviris Athanasium, et in cisterna veluti defossum, nec solem, nec diem vidisse tradidere. Cur enim latebras Treviris quaereret, a Constantino Juniore, a Maximino antistite honorifice receptus? Scriptor Gestorum et alii Ruffinum (Hist. eccles. L. 1. c. 17.) secuti, coeci coecum ducem

(*) Alex. Wilthemius S. J., saepe a nobis merito laudatus, scripsit Originum et Annalium coenobii ad S. Maximinum libros quatuor, usque ad annum 1130. Alter St. Maximinianus historiographus, cujus sententiam supra referimus, opus suum, pariter ineditum, inscripsit: Annalium coenobii D. Maximini libri duo, usque ad tempora Dagoberti I. Auctorem hujus operis etiam S. J. presbyterum fuisse, undique apparet. (Conf. Honth. Hist. Trev. dipl. III. p. 1002.)

in foveam et cisternam illam lapsi sunt, scribit cum cavillatione auctor anonymus Annal. mss. S. Maximini.

Gesta, Trithemius, et alii scriptores fidei symbolum: Quicunque vult &c. (psalmum dicunt nostri codices, alii scribunt: fidem catholicam) sub Athanasii nomine in ecclesia notum, ea occasione elaboratum Treveris statuunt. Critici vero id opus, quale saltem nunc habemus, Athanasio abjudicant variis ex causis, quas refert Calles (op. cit. p. 197. sq.). Browerus rem in medio relinquit. —

— Beatus Maximinus — — Aquitaniam perrexit &c.

In ejus vita per scriptorem octavi saeculi ex coenobio S. Maximini (Act. SS. Antv. 29. Maji) legimus eum Pictavis sepultum, a S. Paulino episcopo Trevirim deportatum, et in basilica S. Joannis (coenobii, quod posteris temporibus a S. Maximino nomen habuit) depositum. Scriptor Gestorum St. Mathianus hoc in facto non concordat scriptori St. Maximiniano. A Gregorio Turonensi (in libro de gloria Confessorum) et a Floro (in Martyrologio) Maximinus hic noster magnus advocatus populi sui appellatur.

AD CAPUT XXXII.

— Maximus — vir quidem strenuus &c.

Apud Sulpitium Severum (Dialog. II. de virt. S. Martini cap. 7.) legimus: „Maximus „Imperator rempublicam gubernabat, vir omni vitae merito praedicandus, si ei vel diadema non „legitime, tumultuante milite, impositum repudiare, vel armis civilibus abstinere licuisset; sed „magnum imperium nec sine periculo renui, nec sine armis potuit teneri.“ —

S. Hieronymus (Catalog. scriptor. eccles.) et Idatius, Lemicensis episcopus, (in suo Chronico) Maximum non Imperatorem, sed tyrannum dicunt. — A Gregorio Turon. (Hist. Francor. I. 40.) Maximus cum quadam excellentia designatur Imperator Trevericus, quia in urbe Treverica potissimum sedem fixerat. —

AD CAPUT XXXIV.

S. Augustini Confessiones (Lib. VIII. cap. 6.) nobis produnt vitae monasticae Trevirensis prima et certissima monumenta, ut bene observat Nellerus noster in sua Dissertatione de sanctae ecclesiae Trevirensis disciplina dogmatica sub Romanis. Aug. Trev. 1752. p. 20. — Opinatur vir celeberrimus, S. Athanasio auctore et suasore, solitariorum casa seu habitatio (de qua legimus apud Augustinum) Treviris sub S. Maximini episcopatu institui potuisse, et verisimiliter institutam esse. — Non alia tunc erat monachorum, quam Orientalium, disciplina, quae usque ad receptam per Occidentem S. Benedicti regulam his in partibus perduravit. Quo loco, moenibus urbis vicino, hoc anachoretarum domicilium fuerit, disputatur; sed illa opinio optimam meretur fidem, quae regionem meridionalem assignat, in qua Circus Romanus extitit, et in cujus vicinia posteris temporibus monasterium S. Mathiae erectum est. —

AD CAPUT XXXV.

— In campo Martio &c.

De nomine hujus campi Martii ejusque destinatione, quem Honthemius in plaga urbis

nostrae septentrionali posuit, idem auctor (Prodr. Hist. Trev. dipl. I. pag. 17.) haec disserit: „Martis porta ea moles jam olim vocata est, non alia puto denominationis causa, quam quod „per eam ad campum Martium ex urbe iretur. Nomen Romanum est, res ipsa antiquior et „Gallica; ex quo Galli primo vere, id est, mense Martio, concilia sua armata in campis ha„berent.“

Hujus argumenti tractatio per Hontheimium speciosior, quam verior esse videtur; praecipue quum ejus sententia, hanc portam Gallicae periodo attribuendam esse, nullo valido historico argumento probari possit. Praeterea hocce loco animadvertamus, in septentrionali urbis nostrae parte unum ex coemeteriis Trevirorum sub Romanis extitisse. Hoc factum colligere licet ex plurimis sarcophagis, urnis et inscriptionibus Romanis, diversis temporibus hac in regione erutis.

— In arena civitatis &c.

Vetustum amphitheatri opus, in arcis formam munitum, inserviit Treviricis saeculo quinto contra Vandalos: aeque ac Vespasiani et Titi amphitheatrum Romae, quod vulgo Colloseum vocant, saeculis medii aevi Guelphorum contra Imperatores fuit propugnaculum, et Nemausiensi arena Arabes contra Carolum Martellum, quasi castello, usi sunt.

Rudera turrium, quae in amphitheatro Trevirico adhuc extant, ad illam munitionem contra continuas Barbarorum irruptiones fortasse referenda sunt.

Tempus irruptionis Vandalorum accuratius signant Zosimus et Prosper his verbis: „Arcadio VI. et Probo Coss.“ inquit ille, „Vandali Suevis et Alanis permisti &c.“ — Prosper vero Tyro sub iisdem Consulibus scribit: „Vandali et Alani Gallias, trajecto Rheno, „pridie Kalendas Januarias ingressi.“ Ergo in fine anni 406. —

Anno 418. Treviris, edicto Honorii, Praefectura Praetorii adempta est et Arelatum translata, cum imperii Romani ratio propter Germanorum viciniam eorumque perpetuas incursiones id exigere videretur, et Augusta Trevirorum, tot exhausta cladibus, ad pristinam dignitatem revocari vix posset. —

— Avitus suscepit imperium &c.

De luxuriosa Aviti vita et de Trevirorum urbe circa medium saeculum quintum per Francos occupata, plures scriptores antiqui mentionem faciunt: inter illos vide Gregor. Turon. (Hist. Franc. II. c. 7.) et Vetus Chronicon Moissiacensis coenob. ad an. 456., ubi legimus: „Apud Francos, mortuo Meroveo, succesit in regnum filius ejus Childericus. Trevi„rorum civitas factione unius ex Senatoribus, nomine Lucio, a Francis capta est et incensa — „cum Avitus Imperator esset luxuriae deditus &c.“ — Adde Aimoinum, monachum Floriacensem, de gestis regum Francor. I. 3. — Collect. histor. chronograph. ex Toromacho et aliis, collectore Gallo quodam, qui Carolo Magno compar, L. IV. c. 5. 6. 7. (in Henr. Canisii Lect. antiq. ex edit. Basnage, II. P. 2. p. 197. sq.) — Carol. quoque Sigonium (Hist. de occid. imp. L. XIV.) — Silentio non praetereamus, Sidonium Apollinarem Aviti Augusti, soceri sui, egregias quidem animi indoles collaudare; sed etiam viri facilitatem quandam et levitatem alio loco ei exprobare. (V. Sirmondi Opera varia I. p. 711. sqq.)

Sincere narrat, ut nos opinamur, hanc historiam Henr. Turckius in opere ms. saeculi XVII. s. t. Inferior ad Rhenum Germania, cujus operis tom. I. et II. autographi exstant in bibl. Trev. Legimus ibidem, ut sequitur: „Maximus (Petronius) Imperator ad Galliae „motus componendos tuendasque provincias adhuc Romano imperio parentes, misit Avitum, „natione Gallum, creatum ante Magistrum utriusque militiae. Quid cum Meroveo (Francorum

„principi) egerit Avitus, silet Sidonius. Mansisse eum Romanorum hostem, docet paulo post „occupata Treviris, cujus ipse Avitus sua in Venerem intemperantia occasionem dedit; nam „dum ibi matronas corrumpit, interque ceteras Lucii Senatoris Treverici praestanti forma con„jugem, morbi specie ad se allectam, Lucius doloris impatiens, Francis in vicino agentibus, „post discessum Aviti, Trevirim prodit, iisque tradit universum jus Mosellae, pulsis Romanis. „— Maximo Imperatore necato, tum Avitus, Theoderico Gothorum Rege annitente, faven„tibusque Galliarum proceribus, anno 455., Tholosae primum, deinde Arelate, renunciatur Au„gustus. — Mox adversum sibi sentit Ricimerem patricium, cujus metu (an. 456.) deponit „imperium, ac fit episcopus Placentinus." —

In manus Broweri (qui et haec de Avito narrat) venere membranae provinciarum Romanarum pervetustae ex bibliotheca Cusana, quae Lucii Senatoris memoriam et Trevirorum catastrophen ad Hypatii veteris historici fidem relegabant, unde Gestorum scriptorem, Aimonium et alios hausisse, credibile est. (Annal. Trev. I. p. 296.) — Hae membranae cum aliis bibl. Cusanae, proh dolor! incuria cujusdam Rectoris hujus domus, patrium solum quondam derelinquere!

AD CAPUT XXXVI.

— Deinde Auctor (episc. Trev.) &c.

Duo coluntur (scribit Browerus in Annal. Trev. ad annos 238. et 412.) Auctores, Trevirenses episcopi, quorum prior vixit saeculo tertio, posterior saeculo quinto. Eos ita distinguit. Primum, ait, coli XIII. Kal. Sept., translatumque Treviris Brunswicam: alterum vero honorari XV. Kal. Sept., et ex monasterio S. Maximini translatum ad Tabenam apud Saravum, ibique quiescere cum S. Quiriaco; pro qua re citat Martyrologium Maximinianum.

Sed consentimus scriptori anonymo in ms. (Annal. coenob. S. Maximini), et Hontbemio (Hist. Trev. dipl. III. p. 1003.), et bis labi hic nobis videtur Browerus. Primo, quod velit S. Auctorem, qui Brunswicam translatus est, coli XIII. Kal. Septemb., cum alibi ad annum 1113., ex Ludolpho Asse, veteri scriptore, referat, eum coli V. Id. Dec. Secundo, quod ex Martyrologio Maximiniano tradat, Auctorem posteriorem coli XV. Kal. Sept., cum nullum Martyrologium Maximinianum eo die ullius Auctoris meminerit. In vetustissimo Martyrologio Maximiniano ms. ita habetur ad XIII. Kal. Sept.: „Ipso die Treviris sancti Auctoris episcopi, qui de mo„nasterio S. Maximini apud Tabenam translatus quiescit. Et eodem die coenobitae colunt S. „Auctorem."

Adeo ut Annales Broweri revera non distinxerint nobis duos Auctores, Trevirenses episcopos. Neque ex Calendariis aut Martyrologiis Trevirensibus aut Maximinianis potuimus distinctionem meliorem eruere; nam semel tantum S. Auctoris meminerunt, idque ad XIII. Kal. Septemb. Similiter omnia monumenta Trevirensia, quae hactenus potuimus naucisci, tradunt eodem die coli S. Auctorem; et consentit praxis Trevirensis dioecesis, et passionale Bodecense in dioecesi Paderbornensi, continens inter cetera translationem S. Auctoris in Brunswicam.

An autem citato saepe die XIII. Kal. Septembrium Trevirenses primum, an secundum Auctorem honorent, arduum profecto judicatu est. Tradunt aliqui, Auctorem secundum fuisse etiam episcopum Metensem; sed Auctor Metensis colitur IV. Id. Aug., et sub Ludovico Pio translatus est ad Mauri monasterium. Conf. Hagiographos Antverp. IV. Aug. —

— Deinde Rusticus. Hic primo reprehensibilis &c.

Quare reprehensibilis dicatur ille Rusticus? de hoc Gesta nostra omnino silent:

constat autem ex aliis fontibus, Rusticum hunc de vita luxuriosa esse convictum. Quae Gesta Trevirorum silentio transeunt, haec fusius et sincere enarrat Wandalbertus, monachus Prumiensis saeculi IX., in vita S. Goaris ab ipso conscripta (V. Joh. Mabill. Act. Sanctorum Ordinis S. Benedicti, Tom. II. pag. 273. sqq.). Alia vita S. Goaris, ab anonymo scripta, ibidem p. 264. sqq. impressa legitur, qua usus est dictus Wandalbertus. Anonymus scriptor p. 266. num. 10. narrat: „Haec viro Dei (S. Goare) dicente, venit puer de clero Treverorum, „nomine Leobgisus, portans in brachio suo infantem tres noctes habentem, qui fuerat pro„jectus in illam concham marmoream, sicut est consuetudo Treverorum, ubi „pauperculae feminae infantes suos solent jactare (*). Haecque consuetudo „erat (**), ut, quando aliquis homo de ipsis infantibus projectis, misericordia motus, vellet cu„ram habere, ab illis quos nutricarios vocant matriculariis S. Petri compararet, et „illi episcopo ipsum infantem praesentare deberent, et postea episcopi auctoritas eundem ho„minem de illo nutricario confirmabat. Videns autem Rusticus, Treverorum archiepiscopus, „illum infantem portari, dicebat: Modo investigare poterimus sagaci animo, si ex Deo sunt „sapientia et virtutes, quas facit Goar, an ex adversario. Si ex Deo est, faciat nobis cogni„tum, qui fuit pater istius infantuli, et matrem ejus denominet; et credemus, quia non est ejus „causa ex vitio pertinaciae. Si vero haec facere non praevaluerit, feriatur sententia capitali. „Haec autem nequaquam dixit propter causam suam, ut ipse cognitor de semetipso esset, sed „quia scelera ejus et crimina principalia jam latere non poterant. Conversus ergo ad virum „Dei dixit: Goar! qui respondens ait: ecce adsum! Dixit episcopus: multa de te audivimus, „simul et vidimus non ego solus, sed et tota plebs hic congregata. Quapropter necesse est, „ut ostendas nobis ministerium modo tuum, si verum sit an falsum. Si verum est, per ve„ram obedientiam praecipio tibi, ut facias istum infantem nobis innotescere genitorem suum „et genitricem suam. Si hoc facere potes, credemus tibi et virtutibus tuis, sin autem, nihil „tibi credere habemus.

„Haec audiens vir Dei, suspiravit graviter &c. Et haec dicens, accessit ad illum homi„nem, qui illum infantem in brachio suo gerebat, et dixit ad illum: Quot noctes habet in„fans iste? respondit: Tres. Vir Dei Goar, elevatis oculis ac manibus in coelum, dixit: „Trinitas sancta te invoco, atque te infans in nomine ejusdem Trinitatis conjuro, ut genitorem „tuum per nomen denomines et genitricem tuam! Similiter respondens infans dixit: iste Rus„ticus episcopus est pater meus, et mater mea Afflagia nuncupatur. Quo audito, episco„pus cecidit velociter ad pedes B. Goaris, dicens: nunc scio vere, et credo te sanctum Dei „servum fore, cui scelera mea, quae sic absconsa putabam, ut nullus alius praeter me et il„lam mulierem et unum puerum meum unquam nosse posset, ita sunt tibi patefacta per ipsius „nati mei verba &c." Adde ibidem pag. 273. num. 21.

Rustici vita mollior et lubrica, sed et per S. Goarem correcta, in Breviario Trevi-

(*) Wandalbertus hanc rem refert tali modo: „Moris quippe tunc Trevirorum erat, ut cum casu quae„libet foemina infantem peperisset, cujus nollet scire parentes, aut certe quem pro inopia rei familiaris „nequaquam nutrire sufficeret, ortum parvulum in quadam marmorea concha, quae ad hoc ipsum sta„tuta erat, exponeret."

(**) Ex hac S. Goaris legenda discimus, extitisse, jam saeculo VI., Treviris in ecclesia episcopali hospitium quoddam infantum expositorum; quod institutum illo tempore vere extraordinarium, et fortasse hujus generis in Germania primum erat.

rensi (Parte antumnali, pag. 486. sq.) repetita legitur. — Adde Honthemium in Prodromo Hist. Trev. dipl. Tom. I. p. 370. — Acta SS. Antverp. Mensis Julii Tom. II. pag. 327. sqq. Quo autem anno sederit in cathedra episcopali idem Rusticus, inquirit Honthemius (Hist. Trev. dipl. Tom. III. p. 974.).

AD CAPUT XXXVII.

— Gallum enim Diaconum alibi habeo destinatum.

Hunc locum scriptor ex Gregor. Turon. de SS. Patrum vita c. 3. excerpsit; omissis tamen sequentibus: „Arverni vero clerici consensu insipientium facto cum multis muneribus „ad regem venerunt. Jam tunc germen illud iniquum coeperat pullulare, ut „sacerdotium aut venderetur a regibus, aut compararetur a clericis. Tunc ii „audiunt a rege, quod S. Gallum habituri essent episcopum."

— In parochia Trevirorum.

Verba: parochia et dioecesis persaepe synonima sunt. V. Gestor. Trev. cap. 44., et adde Du Cange (Glossarium in v. parochia), Honthemium (Hist. Trev. dipl. I. p. 212.), Hansiz (Germania sacra, I. p. 214.).

— Videlicet Paulus super montem Cebennam.

Quisnam fuerit iste mons, quem scriptor Gestorum Cebennam (Gebennam) nominat, de hoc nihil certi constat. Quidquid vero monte Cebenna designetur, nomen certe non inventum est medio aevo; nam Caesar, Suetonius, Plinius, Lucanus atque Ausonius montis sub hac denominatione faciunt mentionem, qui tamen regioni urbis nostrae minime convenit.

Intelligendus vero esse videtur ille mons, qui hodie dicitur partim S. Marci (Marcsberg), partim vero S. Pauli (Paulusberg, vulgo Pulsberg).

Audiamus Trithemium et Bruschium de hac re disserentes:

Trithemius (De viris illustribus Lib. IV. cap. 323.) de hoc monte ita scribit: „Paulus primo eremiticam duxerat vitam cum aliis multis super montem Cebennam, in opposito „urbis Trevirorum, qui ex ejus nomine mons Pauli modo appellatur."

Casp. Bruschius (Chronologia monaster. German. p. 122.) habet: „E regione hujus „Martiniani (S. Martini) coenobii est ultra fluvium mons Gebenna, quem a veteri Apollinis „idolio, Apollinis montem antiquitas vocabat: hoc vero saeculum a Paulo quodam heremita — „appellare solet."

Fortasse haec regio montana a vico Zevena, Cevena (h. Zeven), ad radicem hujus montis sito, nomen suum accepit per scriptores medii aevi. — Monasterium S. Martini hunc montem S. Pauli e regione civitatis Trevirensis tempore medii aevi possidebat, quem autem vendidit anno 1214. monasterio monialium ad Pontem Leonis (Chartul. S. Martini).

— Sancti Simphoriani ad littus Mosellae.

Stetit haec ecclesia infra S. Martinum, eratque prius monasterium virginum O. S. Bened., a Modoaldo, archiep. Trev. circa an. 646. excitatum. De singulari hujus monasterii fato ante invasionem Normannicam vide Brow. (Annal. Trev. I. p. 432.). Testatur Trith. (Chron. Sponh. ad an. MCXXXVI.) nulla amplius vestigia, praeter unam columnam, de hac ecclesia suo tempore extitisse.

— Tertiam in monte Jurano.

De hoc monte vide quae notavimus infra ad cap. 46.

AD CAPUT XXXVIII.

— Huic successit Numerianus.

De hoc Numeriano haec adnotat Honthemius (Hist. Trev. dipl. Tom. I. p. 82. nota b.): „Qui sanctus Treviris colitur die quinta Julii; et ut talis in martyrologiis celebratur. „Vide Acta SS. Antverp. mensis Julii Tom. II. p. 231. Eum in sede Trevirensi non excessisse „annum 666., certum statuitur in iisdem Actis mensis Julii Tom. III. p. 218. Porro archi„episcopum se hic nominat Numerianus, quod scribarum vitio tribuendum suspicatur Ma„billonius (De re dipl. L. II. c. 2. n. 13.) eo quod paucissimi inveniantur, qui hoc voca„bulum sibi tribuerint ante saeculum IX.“ —

— Cui Basinus, qui fuit abbas cellae S. Hilarii in territorio Trevirensi.

Monasterium S. Maximini prope Treviros nunquam (?) nominatum fuisse cellam S. Hilarii, dicit Honthemius (l. c. Tom. I. pag. 77. nota a.): „Quod cellae S. Hilarii no„men nunquam proprium fuerit ecclesiae S. Maximini, quippe quae primitus S. Joanni Apos„tolo per S. Agricium dicata est, deinde S. Maximino, nunquam vero S. Hilario, cujus cella „Pictavis et ad Legerim quaerenda est.“ Capite sequente Gestorum iterum fit mentio cellae S. Hilarii, sed circa finem nominatur cella S. Maximini.

Post Numerianum (qui apud Leibnitium l. c. p. 51. false appellatur Mymerianus) tum recte sequitur Basinus. Apud Honthemium (in praefatione ad Tom. I. Hist. Trev. dipl.) Numerianum sequitur Hildulphus, et deinde tandem Basinus. Apud Masenium (in indice chronologico p. 8.) Numerianum excipit Basinus, et hunc Lutwinus. — Secundum Broweri opinionem Basinus praefuit ecclesiae Trevirensi ab anno 670. ad annum 697. Trithemius autem ait: „Basinus claruit anno Dominicae incarnationis 740.“ Chronicum S. Maximini apud Honthemium (in Prodromo Hist. Trev. dipl. Tom II. p. 1001.) haec asserit: „Abbas S. „Basinus temporibus Gregorii II. praefuit, ac privilegium obtinuit. Fuit hic frater Ducis Lo„tharingiae, pius monachus hujus monasterii, deinde abbas, postmodum archiepiscopus Tre„virensis.“ — Gregorius II. regnavit ab anno 715. ad annum 731.; tempus igitur, ubi episcopatum tenuit Basinus noster, non amplius tam incertum esset, si diploma illud Gregorii fidem mereretur; sed ipsius auctoritas per observationes criticas, quas legimus apud Hagiographos Antverpienses, Martii Tom. I. p. 314. num. 5., valde diminuitur. Cum Mabillonio (vide notam (d) p. 71. editionis nostrae) opinantur et alii auctores (Alex. Wiltheim, Calmet, Martene et Eccard), Basinum non esse mortuum in dignitate episcopali, sed eum, illa sponte deposita, iterum in praefato monasterio habitum monachalem sumsisse. — —

Tam fluxa et dubia de Trevirensis ecclesiae episcopis ad saeculum decimum usque traduntur, ut omnino certis chronologicis rationibus intervalla, quibus ecclesiam rexere, elici nequeant. Recte observat Honthemius (Hist. Trev. dipl. in praefatione ad Tom. I. 59. nota (*): „Browerus singulis certos annos assignat, sed plane incertis ad medium usque sae„culum X. conjecturis. Nos usque ad Modoaldum, fide veterum monumentorum haud raro de„stituti, maluimus annos ordinationis et obitus nonnunquam omittere, quam conjectando nos „aliosque in errorem inducere.“

AD CAPUT XXXIX.

— In inferno inferiori &c.

Gestorum scriptor usurpavit hic verba Epistolae patrum synodi Carisiacensis

anno 858. habitae, ad Ludovicum Germaniae Regem. In hac relatione legimus, „Quia vero „Carolus princeps, Pippini regis pater, qui primus inter omnes Francorum reges „ac principes res ecclesiarum ab eis separavit atque divisit, pro hoc solo „maxime est aeternaliter perditus. Nam sanctus Eucherius, Aurelianensium episcopus, qui in „monasterio S. Trudonis requiescit, in oratione positus ad alterum est saeculum raptus, et „inter cetera, quae Domino sibi ostendente conspexit, vidit illum in inferno inferiori „torqueri &c. &c.“ —

Vide Bouquet (Rer. Gallic. et Francic. script. Tom. III. p. 659.). Conf. Hincmarum in libro de vita S. Remigii, qui, ut Bouquet recte notat (secundum Frodoardum lib. 3. Hist. Rem. c. 20.), ipse auctor habendus esse videtur hujus epistolae ad Ludovicum missae. Confer quoque Baronium ad annum 741.; Sirmondum in notis ad Capitulare 23. Caroli Calvi; Hadr. Valesium Rer. Franc. lib. 25.; Henschenium et Mabillonium ad vitam S. Eucherii.

— Milo autem supradictus tyrannus.

Hic sedem episcopalem vi occupaverat. „Miloni cuidam, sola tonsura clerico, nihil sa„pienti de ordine ecclesiastico,“ dicit auctor anonymus vitae S. Rigoberti apud Duchesne I. 768. — Hincmarus, epist. VI. ad Episcopum Remens., scribit: „Milo quidam tonsura „clericus, moribus, habitu et actu irreligiosus laicus.“

— Ab apro percussus moritur.

Mortem illius ad annum 753. refert Honthemius. Vulgo narratur, Milonem in sylva quae hodieque der Meilenwald dicitur, ab apro fuisse vulneratum, et prope Eringium mortuum esse. Nellerus in Dissertatione quadam, Treviris impressa anno 1779., p. 46. haec asserit: „Stat „etiamnum in via, qua ab officina ferri fusoria, quae Quinta vocatur, ascenditur juxta sylvam „a dextris sitam, quae hodiedum dicitur der Meilenwald (Milonis sylva), columna memorialis, „lapidis operisque ruditate vetustatem indicans, ubi Milonem venatum apri dente percussum „fuisse tradunt.“ Iconismum praefatae columnae ibidem simul exhibet Nellerus p. 47. et p. 48. nummum argenteum ejusdem episcopi, quem idem auctor credit esse denarium Francicum modi Merovingici. — De Milonis fonte vide cap. 101. —

— Quae videlicet cella &c.

Hic ponitur pars pro toto, cum sub cella integrum monasterium intelligatur; quod in Gestis nostris non raro legitur. Ducange in glossario mediae et infimae latinitatis de his cellis ita loquitur: „Cella vero et cellula posterioribus saeculis usurpantur pro monachorum „domicilio, atque adeo ipso monasterio . . . . . . primitus enim monachi divisis in cellis, seu „cellulis habitabant. — Sic legimus in Alcuini, Caroli M. praeceptoris, vita S. Willibrordi II. 21. versus sequentes:

„Est antiqua, potens, muris et turribus ampla
„Urbs Treviris, nec non sacris circumdata cellis,
„In quibus unatim populorum turba piorum
„Laudibus invigilat Domini nocteque dieque (*).“

(*) Apud antiquos Romanos et Graecos illa pars templi, in qua Dei Deaeve statua eminebat, nominabatur cella, ναός, δόμος.

AD CAPUT XL.

— Richbodus ordinatur episcopus.

His paucissimis, omnino nullis, quae de Richbodo Gesta proferunt, aliqua addamus.

Trevirensis iste episcopus ab Alcuino, amico et magistro, Macarii nomen in academia palatina Caroli M. accepit. Scriptor Chronici Laurishamensis eum dicit „virum plane „dilectum Deo et hominibus, simplicem et sapientem, atque tam in divinis, quam in secula„ribus disciplinis adprime eruditum.“ Poeticis certe delectatum fuisse, probat Alcuini epist. VIII. ad Richbodum, in qua non sine aculeo notat: „O si mihi nomen esset Virgi„lius! tunc semper ante oculos luderem tuos“ — et rursus: „Flaccus recessit, Virgilius ac„cessit — et in locum magistri nidificat Maro.“ Denique: „Utinam Evangelia quatuor, non „Aeneides duodecim, pectus compleant tuum!“

Gesta affirmant, Richbodum coenobii Mediolacensis abbatem fuisse; Chronicon Laurishamense vero dicit, eum annis XX. mensibus VIII. monasterium Laurishamense rexisse. Richbodus abbatis Mediolacensis dignitatem sponte deseruisse videtur. — Ibidem porro legimus: „in archiepiscopatum Trevirensem a piissimo rege Carolo provectus, praesedit ibidem „annos X. menses VIII. — Treviris defunctus, Laurissae sepultus est.“ — Obitum ejus ad annum 792. minus accurate retulit Browerus; Annales Loiseliani vero, Annales Fuldenses et Hermannus Contractus ad annum 804. Kal. Octobris.

Ei successit Wazzo, cujus pariter nulla gesta produntur, nisi quod conventui apud Theodonis-villam, anno 805., cum suis suffraganeis interfuisse dicitur. V. Mabillon. (Annal. Benedict. Tom. II. L. L. XXVII. n. 39.)

— Post quos Hamularius Fortunatus —

Varie scribitur in codicibus mss. hujus archiepiscopi nomen (Amularius, Amelarius, Amalherius, Hamularius). Quod vero genuinum ipsius nomen sit Hamelarius, nunc asserere possumus, inspecto codice ms. membraneo saeculi IX. (olim monast. S. Mathiae, modo bibl. Trev., N°. 25. sign.). Ad calcem hujus excellentis codicis scriptor coaevus Godescalcus (sine dubio monachus ad S. Math.) nomen suum prodit. Primum codicis folium picturam exhibet, quae hunc archiepiscopum habitu pontificali exprimit, cum hac inscriptione:

„Hamelarius Fortunatus Cardinalis Romanus Trebirorum metropolitanus. Tungrensis Dioce„sis Di̅. gra̅. archiep̅s. Hoc venerabile compinxit opus, ecclesiasticis utile ordinibus, ut hoc or„dine laudetur Dn̅s. quamdiu viget hoc mortale genus.“ — Textus hujus codicis orditur his verbis: „Incipit prologus in libro officiorum.“ Hic codex confirmat opinionem Broweri (Annal. Trev. Tom. I. p. 395. num. 29.), qui hunc Hamelarium auctorem praefati operis esse praetendit, contra opinionem Calmeti (Hist. Lotharing. Tom. I. Preuves, p. XXII. nota y., et Bibliotheque Lorraine p. 43.), Honthemii (l. c. Tom. I. p. 151. §. VIII.), Calles (Annal. eccles. German. III. p. 107.) et aliorum, qui Amularium Metensem, Lugdunensem chorepiscopum, auctorem hujus libri assignant.. — Anno 813. ad Michaelem Imperatorem Orientis, firmandae pacis orator, Hamelarius cum Petro, abbate Nonnantulae, Constantinopolim missus est (quorum liber itineratus, scribit Herm. Contr. ad an. 813., hodoeporicum scriptum habetur). Relationem hujus legationis saeculo XI. adhuc extitisse, discimus ex Mabillonio (Annal. O. S. B. L. XXVII. n. 23.) — Propter hanc legationem nomen hujus archiepiscopi Trev. desideratur in actis concilii, quod Moguntiae hoc anno ab Hildebaldo Agrippinensi, Richolfo Moguntinensi,

Arnone Salisburgensi archiepiscopis, Germaniae metropolitanis, et Bernhario, Vangionum episcopo, auctore Carolo M., habitum est. — Quaedam folia mss. Trev. sub titulo: Sancta et Romano-Catholica ecclesia Trevirensis, de Hamelario scribunt: „Vir pius et doc-„tus ab Alcuino abbate educatus. Ejus suffraganeus fuit Theganus Chor-Episcopus. — Eccle-„siae S. Eucharii donavit librum manu propria inscriptum. Moritur IV. Id. Junii (814), et se-„pelitur in aede S. Paulini."

— Qui etiam Karolus multum marmor &c.

In cod. ms. Trev., N°. 1334 sign., legimus: „Karolus Magnus Imperator columpnas mar-„moreas et multa opera aedificationi congrua de Treviri Aquis vexit."

Utut Augusta nostra a Francis et aliis vastata fuit; multa tamen illo tempore adhuc ibidem reliqua fuerunt Romanarum antiquitatum vestigia: thermae, theatrum, amphitheatrum, circus, palatia, basilicae, horrea, aquaeductus, portae, statuae, arae, columnae, porticus, et musiva opera, i. e. tessellata vel sectilia lapillis variorum colorum. Circa annum 562. Fortunatus (X. 12.) cecinit:

Perducor Trevirum, quo moenia celsa patescunt,
  Urbs quoque nobilium nobilis atque caput.
Ducimur hinc fluvio per culmina prisca senatus;
  Quo patet indiciis ipsa ruina potens."

Etiam nunc de agro Trevirico dicere licet: Quocunque ingredimur, in aliquam historiam antiquam vestigium ponimus. — Partem Romanarum reliquiarum, in quantum ad novum palatium templumque beatae Mariae construendum utiles videbantur, Carolus Aquisgranum transferri jussit. Chronologista addit: „Et beato Petro ad vicissitudinem munera dedit." Dedit re vera Carolus M. ecclesiae Treverensi et quibusdam aliis munera (V. Eginhardi Vit. Car. M. c. 33.).

Fortasse non fallax conjectura erit, si statuamus, jam Richbodum cognomento Makarium, archiepiscopum Trevirensem, Carolo M. familiarem, Alcuini amicum, musiva opera et marmora antiqua donasse Regi Carolo. Ita et fecerat Hadrianus Papa ad exornandam novam sedem regiam.

— Post Fortunatum Trebirorum ecclesiae Hetti praefuit.

De hoc archiepiscopo Honthemius l. c. Tom. I. p. 169. not. a. animadvertit: „Hetti ar-„chiepiscopatum ad annum demum 832. refert Browerus (Annal. Trev. Lib. VIII. n. 66.). „Male profecto, cum ex iis, quae mox dicturi sumus, certum fiat, praesentem ejus epistolam „anno 817. fuisse conscriptam. Sane syondo Theodonis-Villanae anno 821. celebratae" (cujus acta Labbeus [Concil. Tom. VII. p. 1519.] et Baluzius [Capitular. Tom. I. p. 625. sqq.] ex Burchardo et Ivone inseruerunt) „Hettonem Trevirensem cum suffraganeis suis interfuisse, „ejusdem synodi praefatio demonstrat. — Hettonem anno 814. Amalario successisse, docet „Mabillon. (Annal. Benedict. Tom. II. Lib. XXVIII. num. 26.)." — Conf. etiam supra laudata folia mss. Trev., et Pagi Crit. Baron. ad an. 814. n. 31.

AD CAPUT XLII.

— Bertolfus abbas Mediolacensis. —

Monasterium Mediolacense, vulgo Mettlach, O. S. Benedicti, circa finem saeculi XVIII. suppressum, ad Sarae fluminis ripam, fundatum saeculo VII., tam pietate, quam studiorum cultura tum temporis ita celebre fuit, ut plures tam Trevirensi quam aliis ecclesiis dederit episcopos

omni modo dignissimos; ita, ut Honthemius (Hist. Trev. dipl. Tom. I. p. 74. §. 27.) hoc monasterium recte nominaverit Trevirensium Pontificum seminarium.

— Walo ei substituitur, cui ordinationis suae anno secundo transmissum est pallium. —

Inter plura memorabilia, quae in hoc capite narrantur, est pallium Waloni episcopo a Papa Joanne VIII. transmissum. Certum non est, quo saeculo pallii usus in ecclesia Trevirensi introductus fuerit; sed omnino certum est, jam tempore Papae Gregorii Magni pallii usum antiquum fuisse. Legimus enim in Gregorii epistola ad Virgilium, episcopum Arelatensem, haec verba: „quod in epistolis tuis juxta antiquum morem usum pallii postulasti.“ (Du Chesne Hist. Franc. I. p. 890.) Si Walo praedictus, Metensis episcopus, orta inter illum et Metropolitanum controversia, de usu pallii asseruit, se non primum, sed quintum fuisse, quem apostolica sedes hoc honore dignata sit sublimare: sequitur, saeculo ad minus octavo, moris fuisse, episcopis etiam suffraganeis, pallium transmittendi. Plura vide apud Honthemium in Prodr. Hist. Trev. dipl. Tom. I. p. 555. §. V.

Altera disputatio in hoc capite est illa, quo codice canonum Bertolfus usus sit ad decidendam litem de usu pallii motam?

Verisimiliter usus est illo codice, qui dicitur codex canonum ecclesiae universae. Quo primum tempore compositus sit hic codex, an statim post concilium Nicaenum, an post oecumenicum II.? non constat: certe exeunte saeculo quarto, vel ineunte proximo. (Vide Cave Hist. eccles. litter. p. 315.)

Ad exemplum hujus antiquissimi codicis, cujuslibet fere gentis ecclesia, per temporis cursum, suum etiam codicem canonum composuit. Conf. infra, quae de Rutgero et de Reginonis nostri codice sub Ratbodo archiepiscopo disputamus.

AD CAPUT XLIII.

— Anno Dominicae incarnationis Dccclxxxii.

Variant hoc loco de tempore invasionis Normannicae tam codices mss. quam Gestorum Trev. editores, et alii medii aevi scriptores. In codice St. Mathiano, N°. 31 sign., litterae sive numerus II. paululum elevantur, per manum, ut nobis videtur, recentiorem adjectae; pari fere modo aera hujus vastationis notata est in cod. ms. urbis Francofurt.; alii codd. habent 880; d'Acherius, Leibnitius, Calmet, Balutzius et Martene legunt 882; codex, quo usus est Honthemius in sua editione, scripsit 880; Sigebertus Gemblacensis habet annum 883. Verba ejus sunt: „883. Normanni urbem Trevirim incendunt.“ Chronicon incerti auctoris a nativitate Domini usque ad an. M. C. LXVII. (Thesaurus monumentor. ecclesiast. et historic., sive Henrici Canisii Lectiones antiquae, ex editione Jac. Basnage, T. III. P. 2. p. 251.) scribit: „883. Northmanni nobilissimam civitatem Galliarum „Treverim, nonis Aprilis, ipso sacratissimo die Coenae Domini occupant. In qua usque sancto „die Paschae corpora recreantes, omne tentorium urbis circumquaque usque ad solum demo„liti sunt. Deinde civitatem flammis combusserunt; episcopum ejusdem civitatis occiderunt.“ — Auctor Chronici usurpavit in hac periodo verba Gestorum, sed ex exemplo satis vitioso. His quoad annum consentit Browerus (l. c. p. 432.) et Masenius in indice chronolog. p. 11. —

Qui in hac diversitate opinionum justum temporis calculum instituerit, qui tabulas chronologicas attentius perlustraverit, hunc errorem facile corrigere poterit. „Nonas Aprilis die

„sacratissimo coenae Domini,“ dicit scriptor noster: secundum optimas autem, quas ad manus habemus, tabulas, dies coenae Domini congruus est 5. Aprilis anni 882. Observamus ulterius, in codice Hamelarii, de quo mentionem fecimus in notis ad cap. 40., manu aeque antiqua, ad marginem haec notata esse: „Anno DcccLxxxII. indictione XV. Normannorum gens „Treuerim incendio cremavit.“ Indictio autem XV. correspondet anno 882. Conf. etiam Reginonem, Annales Vetastinos et Hermannum Contractum ad hunc annum.

— Librum canonicorum decretorum sua industria compositum —

Hunc librum de ecclesiasticis disciplinis Regino composuit saeculo nono exeunte, anno scilicet DCCCXCIX., quo abbas e suo monasterio Prumiensi ejectus, et a Ratbodo, archiepiscopo Trev., rector monasterii ad S. Martinum prope Treviros constitutus est. Ratbodus hanc collectionem, ex dictis sanctorum patrum et decretis generalium conciliorum exaratam, probavit. (Vide Honth. Prodr. Hist. Trev. dipl. I. p. 302. et Ziegelbaueri Hist. rei litt. O. S. Bened. IV. p. 218. sq.)

Hic Reginonis liber primum prodiit ex codice Helmenstadiensi, Joachimo Hildebrando editore, 1659; deinde cum variis additionibus cura Steph. Balutzii, 1671. — In bibliotheca Trev. asservatur hujus operis cod. ms. fere coaevus et praestantissimus, olim monasterii B. M. V. in Lacu. —

AD CAPUT XLIV.

— Iste Rotbertus, primus, ut ferunt, Treberensem ecclesiam regno, quod Lotharingium vocatur, adjecit &c.

Haec parum accurate dicta sunt. Certum enim est, Thietgaudum archiepiscopum jam ad regnum Lotharii Regis pertinuisse; et quamvis Trevirim postea sub Carolo Calvo et Carolo Simplice, qui Lothariense regnum aliquamdiu tenuere, fuisse sciamus; sub Henrico I. tamen et Ruetgero (Rutgero) archiepiscopo, anno 926. in jus Germaniae venit. Conf. Calles (Annal. eccles. Germ. IV. p. 357.).

— Soror ejus imperatori in matrimonio juncta fuit.

Albericus, trium fontium monachus, scribit ad annum 921.: „Factus est Trevirensis ar„chiepiscopus Rupertus, filius Theoderici, Saxoniae ducis, frater Mathildis, reginae Aleman„niae“ &c. Consentit auctor Magni Chronici Belgii, addens: „Factus est sep„tuagesimus primus archiep. Trevir. anno Domini DCCCCXXI., Pontificatus Joannis X. anno „quinto.“ — Vide notam margin. f. ad textum hujus capitis p. 100.

Animadvertimus: ut annus 921. cum anno quinto Joannis X. Papae non congruit; ita alioquin constat, Rutgerum, Rotberti decessorem, usque ad initium anni 930. Trevirensi ecclesiae praesedisse.

Unde apparet, res utriusque archiepiscopi ab auctoribus praefatis, ratione computus, esse confusas.

— Post Rotbertum Heinricus ecclesiae praefuit.

Schema genealogicum Henrici archiep. legimus apud Eckhard. (Rer. Francic. Tom II. lib. XXXII. num. 118.), ex quo apparet, ejusdem proavum paternum fuisse Henricum marchionem et Franciae orientalis ducem, anno 886. defunctum; avum Henricum comitem, teste Reginone, anno 902. juxta castrum Babenberg occisum, qui conjugem habuit Ottonis, Saxoniae ducis, filiam, archiepiscopi nostri aviam; denique patrem Ottonem comitem, quem Frisius in

Chronico Wircebergensi comitem Hennebergicum vocat. Hoc certum est, comites Hennebergicos ex hac familia prodiisse.

— Forum, in quo nunc esse videtur, instituit.

Eo scilicet loco, in quo hodie adhuc stat columna, cujus cacumen in forma crucis desinit, cum hac inscriptione: „Ob memoriam signorum crucis, quae coelitus super homines „venerant, anno Dominicae incarnationis DCCCCLVIII. Ao. vero Episcopatus sui secundo, Hen„ric. Archiepiscopus Trevirensis me erexit. Renovatum 1724.“ — Exhibet eandem inscriptionem Honth. l. c. Tom II. pag. 935., sed false ibidem notatur annus DCCLVIII. — Kyriander, qui non facile concedit ea, quae exercitium jurisdictionis temporalis Archiepiscoporum Trevirensium in Augusta nostra demonstrare videntur, negat, quod unqnam Henricus Archiepiscopus forum istud instituerit, aut ibidem sua auctoritate crucem poni fecerit. In suo Commentario de origine et statu antiquiss. civitat. Augustae Trevirorum, pag. 95. ita loquitur: „Mo„nachi quidam, nominatim Scheckmannus, ob hanc fortasse crucem, forum in urbe quod nunc „est, Henricum instituisse fabulantur.“ Verum, cum Gestorum Trevirensium quidam codd. mss. fere aeque antiqui, ac Henrici Archiepiscopi memoria, et quos inspiciendi facultatem, Kyriander, ut videtur, non habuit, idem narrent; ridiculum sane esset, ejus allegata multis reprobare velle rationibus. Fortius sane in hac opinione sustinenda ipsi praebuisset argumentum, jus advocatiae in hanc Augustam Comiti Palatino quondam competens; de quo alibi.

Restat nobis, ut hoc loco quaedam adhuc animadvertamus de tempore, quo regnaverint archiepiscopi Trevirenses, qua de re supra jam quaedam notavimus. In Codice St. Mathiano illius periodi praesules Trevirenses nominantur hoc ordine: Bertulfus, Rathbodus, Rutgerus, Rotbertus, Henricus, Theodericus, et tandem Ekbertus. Chronicon Reginonis mortem Bertulfi refert ad annum 883.; probabile est, eum vastationem Normannicam non diu supervixisse. — Ratbodus secundum Broweri opinionem mortuus est 30ma Aprilis anno 918. Honthemius (Prodr. Hist. Trev. dipl. Tom. I. p. 643. nota a.) observat, mortuum esse Ratbodum eodem anno, quem indicat Necrologium Fuldense, scilicet 917., et quod in sua Hist. dipl. I. p. 262. annus 915. pro 917. oscitanter notatus fuerit. Sequitur Rutgerus, qui apud Browerum moritur die 27. Januarii 930. Annalista Saxo illum mortuum esse dicit anno 917., sed omnino false; hic enim Rutgerus anno 927. coegit concilium provinciale (*). Hoc defuncto, sedem archiepiscopalem conscendit Rotbertus, mortuus anno 956., secundum continuatorem Chronici Reginonis, Chron. Frodoardi, Chron. Virdun., Hugonem, Annal. Hildesiens., Browerum, Honthemium, alios. His omnibus quidem contradicere videtur diploma apud Honthemium l. c. Tom. I. p. 288., ubi in fine notatur annus 858. et dies 25. Novembris; sed latet ibidem error evidens, ab una aut alia descriptorum manu commissus. Rotbertum magnificum vocat Ruotgerus (Vita Brunonis, archiep. Colon. c. 32.), eundemque Coloniae in gravi pestilentia, cum et Imperator ibidem esset, defunctum, confirmat. Ejus cadaver Treviros Colonia revectum et in coemeterio S. Paulini depositum est. Conf. not. marg. f. p. 99. — Quanquam exnunc in decursu temporis occurrant adhuc hinc inde nodi quidam et

---

(*) De hoc Rutgero, viro multae lectionis et eminentis doctrinae Trithemius noster in Annal. Hirs. ad an. 922. sic scribit: „Inter cetera ingenii sui opuscula ex sententiis patrum, et epistolis summorum pon„tificum volumen quoddam decretorum post Isidorum Hispalensem (vulgo dictum Mercatorem) in unum „comportavit, quod in concilio episcoporum apud Treviros celebrato, authoritate omnium approbatum fuit.“ — Vide textum capitis 43.

naevi in chronologia; generaliter tamen, quoad computum temporis, in tanta non amplius versamur incertitudine. — Sequitur in regimine Archiepiscopali Henricus, anno 956., quem Annales Hildesienses, apud Leibnitium Tom. I. p. 710., Ditmarus Merseburgensis, ibid. p. 323., asserunt, mortuum esse anno 963.; sed diploma 16ti Septemb. anni 964. apud Honthemium l. c. Tom. I. p. 301. evidenter demonstrat, eum anno 964., mense Sept. adhuc in vivis fuisse. —

— Theodericus ecclesiis sancti Martini — et beati Paulini multa donaria dedit et collapsa vetustate renovavit.

Archiepiscopus Theodericus monasterium S. Martini, extra muros hujus urbis ad Mosellam positum, renovavit, scribunt Gesta. Merentur verba, ex autographo diplomate desumta et in Volum. III. p. 40. historiae Comment. Academ. Theod. Palat. impressa, hic apponi: „Ex decreto superum propter delicta habitantium civitas Trevir. data gentibus Normannorum a suo statu concidit, ac postmodum resurgens, imperii mutatione, tyrannorum principum successione, tempore Gisalberti ducis seu Conradi, ab invasoribus episcopium omne direptum est, ecclesiae destructae, possessiones subreptae, Dei cultus imminutus, et sine respectu divini atque imperialis judicii homines maligni contra sanctas Dei nitebantur ecclesias. „Ea tempestate, divina clementia providente, ego Theodericus Trevireae (sic) urbis curam pastoralem suscipiens, ad restauracionem ecclesiarum et divinae religionis animum appuli &c. — „Data Treveri an. DCCCCLXXV. Indict. III.“ —

Tristem certe urbis Trevirensis his temporibus statum haec charta depingit, cujus nec Browerus, nec Honthemius mentionem faciunt.

Gloriosum quoque pro abbate B. M. Virginis ad Martyres prope Treviros idem Theodericus reliquit monumentum in diplomate de anno 973., quod legimus in chartulario ms. praefati monasterii fol. 1. sq. — En verba diplomatis: „Ob antiquae dignitatis memoriam tanta ejusdem loci abbatem gloria sublimatum decreuit, ut absentis nonnunquam Treverorum Pontificis vices ipse praesens agere prae ceteris abbatibus debeat. Eo autem cursum huius vitae permutante, fratres ex eodem monasterio juxta regulae venerabilis Benedicti monita, libere et canonice alium substituant.“ — Legitur hoc diploma impressum apud Günther (Cod. Dipl. Rheno-Mos. I. p. 77. sqq.). Chronicon S. Maximini (Honth. Prodr. I. p. 1013.) haec habet: „Claustrum B. Mariae ad Martires secus littus „Mosellae fertur sedem Episcopalem usurpasse, tempore maxime sub Theodorico archiepiscopo hujus nominis I., qui et illius loci fundator.“ —

Minus accurate hoc dictum est; nam longe ante fundatum fuerat hoc monasterium. — Restitutor ejus dici poterat.

— Sub eodem pontifice regulares canonici in ecclesia S. Petri desierunt.

„Hi canonici a primo fundationis suae tempore“ (scribit Trithemius in Annal. Hirs. ad an. 973.) „sub certa regula in communi usque in praescriptum tempus vixerunt, et jam abjecta pristinae conversationis norma desierunt esse regulares, distributionibus inter se factis praebendarum: et qui prius more Apostolorum omnia habuere communia, coeperunt jam deinceps singuli possidere propria. Quorum exemplum postea secuti plures canonici, sicut „S. Paulini et S. Simeonis apud Treviros, S. Castoris in Confluentia, et alibi. Hoc ideo fieri potuit (addit Trithemius), quia in multis tempore multa mutantur.“

Interim quoad tempus animadvertendum est, vitam canonicorum communem in ecclesia metropolitana anno adhuc 1017. non omnino desiise. Legimus enim in charta Popponis de

hoc anno, per quam ecclesiae praefatae donationem facit, sequentia: „fratres cottidie mandu-„cantes in refectorio.“ (Vid. Günth. cod. dipl. I. p. 121. sq.)

Re vera tempore electionis Theoderici II. vita communis omnino desierat; sed iste archiepiscopus eam restituere (fortasse frustra) tentabat. In charta hujus archiepiscopi de anno 1216. (Günth. cod. II. p. 114. sq.) haec memorabilia legimus: „Notum facimus — — quod „nos dirigentes mentis oculos ad corpus ecclesiae Treuerensis, quod dolentes dicimus, invenimus „in ea caput languidum, majorem videlicet ecclesiam Treu. Sane cum in ea cano-„nicorum multus sit numerus, rarus tamen in choro inveniebatur operarius; sin-„guli enim sua desideria sequebantur, ambulantes in voluntatibus suis, „et chori debitum negligentes. Cujus negligentiae morbus — — commode curari — „non poterat, quia periculum divisionis, que nuper facta fuerat in prebendis, pe-„nitus resistebat. Quapropter — — curavimus remedium invenire, quod absentes revocet ad „ecclesiam, presentes reficiat, et coherceat negligentes. — Igitur — est statutum, ut secun-„dum institutionem piissimam bonae memoriae domini Popponis predecessoris nostri, refecto-„rium quod suo coepit in tempore, et per paucos menses duravit, toto cur-„rat anno feliciter ex nostra institutione &c.“ —

Sequuntur jam donationes refectorio factae, e. g. carratae vini duae in Gulse &c. — —

— Egbertus de Britannia ortus, patre Theoderico comite, et matre Hildegarda.

Chronicon Tielense p. 55. scribit: „Theodericus, Hollandiae comes, duxit in „uxorem Hildegundim, filiam Ludovici, regis Franciae, ut dicitur, de qua genuit Arnulphum „comitem, Egbertum, Trevirensem archiepiscopum, ac Alcidim, virginem mirae venustatis.“

Browerus (ad an. 978.) haec habet: „Egbertum in Anglia vel Britanniis, Bataviam vel „Hollandiam interpretamur“ (Hollandiae nomen recens, addit ad marginem) „patre Theo-„dorico illustri comite, et Hildegarda matre, Luduici Transmarini Francorum Regis filia na-„tum produnt antiqua literarum monumenta; quod disertius affirmant quoque coenobitae Me-„diolacenses in S. Adalberti vita, celebris apud Egmondam Hollandiae Confessoris, quam, „Egberto jubente, literis ipsi mandarunt.“ —

Confer Vitam S. Adalberti apud Surium Tom. III. in Junio, et praecipue in Actis Sanctor. (Antverp. T. V. ad 25. Junii, p. 94. sqq.), ubi cum commentario legimus Vitam S. Adalberti Diaconi, scriptam per monachos Benedictinos monasterii Mediolacensis, apud Treviros vetustissimi, et per monachos Egmundanos (quae Abbatia Egmundana in Hollandia diruta jacuit jam ab anno circiter 1572.).

Adde etiam narrationem de donationibus Egmundanae Abbatiae ab Egberti matre et ipso illatis (inter quas: aurea tabula pretii immensi — crux pretiosa — libri &c.). — Hi scriptores praedicant, Egbertum nostrum studiorum suorum cursum in hoc coenobio absolvisse, et religioni consecratum esse per Egmundanos monachos. —

Confer porro: Chronicon Joan. de Becka et Annales Egmundani coenobii c. 6. et Wilhelmum Becka in hist. Episc. Traject.

Egberti jussu splendidissimi codices mss. in patria nostra in lucem prodierunt, quorum unus cum perpulchris tabulis pictis, omnium fere praestantissimus, favente fortuna, adhuc integer extat in bibliotheca Trevir., ut in nota marginali ad hoc caput annotavimus.

In codice alio ms., ejusdem saeculi 10., qui b. Gregorii Papae epistolas continebat, le-

gimus folio primo, e reliquis solo superstite, literis uncialibus aureis in pergameno colore purpureo tincto scriptis, sequentia:

„Temporibus quondam tranquilla pace serenis,
„Caesaris Ottonis Romana sceptra tenentis,
„Italiae nec non Francorum jura regentis,
„Hoc in honore tuo scriptum, Petre sancte, volumen
„Auro contectum, gemmis pulcherrimis comptum,
„Ekbertus fieri jussit, praesul Trevirorum.
„Magnifici fuerat qui compater imperatoris,
„Ejus et in tota cunctis gratissimus aula;
„Qui pater et patriam imperiali rexit honore,
„Justitiae cultor, qui pacis semper amator
„Extitit, et claris qui fulsit ubique triumphis.
„Aurea, quae perhibent, isto sub rege fuere
„Secula, sic placida populos in pace regebat.
„Deterior donec paulatim ac decolor aetas
„Et belli rabies et amor successit habendi.
„Sceptriger imperium qui postquam strenue rexit,
„Decessit Romae, tua ad atria, Petre, sepultus.
„Vivat ut aetherei susceptus in atria regni."

Codex iste, ut opinamur, olim ecclesiae nostrae cathedralis, sancto Petro dicatae, ornamentum fuit. Fragmentum, quod restat, accepimus per donationem bibliothecae urbis Trevirensis recenter factam.

Quanta familiaritate Egberto nostro conjunctus fuerit Gerbertus, postea Papa Sylvester II., vir saeculi sui doctissimus, praeter hujus complures epistolas, etiam testatur crux pretiosa, jussu Egberti elaborata pro Gerberto, qui eam sibi, epist. CVI., in pignus amicitiae, mitti postulat. V. Gerberti epistolas, partim editas a Chesio T. 2. Franc. scriptor., partim T. 9. et 10. Rer. Gallic. et Francic. script. — Conf. Mabill. l. 50. Annal. Bened.

AD CAPUT XLVI.

— Hic muris ecclesiam sancti Petri &c.

Ecclesiam cathedralem, ut et canonicorum habitacula, cum spatio satis amplo illis vicino, muro et portis circumseptam fuisse, nobis demonstrant ruinae, adhuc saeculo XVIII. exeunte a nobis visae, quibus simul jurisdictio capituli praefatae ecclesiae determinata fuit, dicta vulgariter die Domfreiheit. Imo, hodierno adhuc tempore pars aliqua, quanquam exigua, retro domos vulgo auf dem Graben, quae dicitur die Helena-Mauer, existit. —

— Pontem quoque Mosellae turribus munivit.

Probabile est, haec eadem fuisse munimenta pontis Mosellae, quae exhibet Masenius in notis et additamentis ad Broweri Proparasceve Annal. Trev. I. cap. XX.

— Ravengero de Madelberg.

Quaeritur, quis fuerit ille Ravengerus? Parum dubitamus, eum fuisse dominum castri Malberg, non procul a Kylburgo, ad flumen Gelbim, 8 circiter leucas ab urbe Trevirensi

siti, septentrionem versus: in historia Trevirensi, et in actis quibusdam publicis medii aevi, quandoque Malbobergum dicitur. Vide Honthemium (Hist. Trev. dipl. Tom. I. p. 167. nota b., pag. 721. et 810.); Bertholet (Histoire du Duché de Luxembourg, Tom. VI. p. 275.). — De vertice Jurani montis.

Mons intelligitur urbi ad plagam orientalem oppositus. Eadem Gesta et in aliis locis de eodem monte faciunt mentionem. Mons ergo orientem versus apud medii aevi scriptores quandoque commemoratur sub nomine montis Jurani: sed quo titulo? nescimus. Idem tractus etiam persaepe nominatur Martii mons, mons Uranus. In cacumine hujus montis, ubi e regione amphitheatri ascenditur, stetit olim monasterium monialium ordinis Praedicatorum, S. Martino dedicatum (*), sed anno 1287. in urbem translatum, quod ad nostra tempora ad sanctam Catharinam dicebatur. Vidimus nosmetipsi crucem lapideam in praefato monte cum hac inscriptione germannica:

„S. ta. Katarina transpordiirt 1287. — 1756. renovirt. Forhin S. Martinus Nünnerger, „nunmehro Catarines Nünnerger in Trier."

Vidimus etiam chartas, in quibus sermo est de hoc monte, sub nomine montis S. Martini, Mertesberg. De fundatione hujus monasterii cap. 37. Gestorum Trevirensium haec legimus: „Hic Magnericus Episcopus templa antiqua Dei in priscum renovavit honorem, &c. „Tertium in monte Jurano, qui ex nomine sancti Martini dicitur." — Johannes Euen (Epitome Gestorum Trevir., in traductione latina per Scheckmannum facta, fol. 61.) haec refert: „Ea congregatio primum locum habitationis habuit in monte Urano, ubi erat ec- „lesia Christi, matri et virgini sanctae Beatrici sancta; sed quia timebatur, posse hinc incom- „modum fieri civitati, translatum fuit illud coenobiolum intra urbem in hunc locum, quem „dominus Ordulphus de Orreo, civis praedives Trevirensis, auxit et donariis." — Adde Acta translationis S. Modoaldi, archiep. Trevir., in Actis SS. Antverp. Tom.. III. Maji p. 63. et Honthemium in Prodromo Hist. Trev. dipl. Tom. I. p. 683.

AD CAPUT XLVII.

Animadversiones in annum mortis Megingaudi et in annum consecrationis Popponis.

Megingaudum circa finem anni 1015. defunctum esse, notatur a Ditmaro, Annalista Saxone, Hermanno Contracto, Chronographo Saxone, Alberico et Necrologo Fuldensi. Ex alia parte Lambertus Schaffnaburgensis, Annales Hildesheimenses et Biographus Meinwerci Megingaudi obitum principio anni 1017. adscribunt. — Mabillonius (Annal. Bened. IV. p. 255.) ad annum 1017. notat, Popponem ab obitu Megingaudi Trevirensis ecclesiae sedem jam annum unum tenuisse. Calmet (Hist. de Lor. I. L. 19. col. 975.) dicit, Megingaudum anno 1016. vivere desiisse. Eundem annum mortis scriptores Galliae Christianae episcopo Trevirensi tribuere videntur, qui Popponem anno 1017. ab Erchanbaldo Moguntino consecratum scribunt (T. V. col. 459.).

(*) Ad hoc monasterium confugerat ibidemque ad tempus morabatur Margaretha Austriaca, conjux infelicissima Henrici Regis, Friderici II. Imperatoris filii, post miseram mortem mariti filiorumque in Apulia, anno 1242.

Codices Gestorum mss. etiam in his chronologicis rationibus variant, cum quidam annum ordinationis Popponis 1015., alii 1016. notent. Cod. ms. Trev. N°. 1462 rem accuratius tractat, scribens: „Poppo, ducis Austriae filius, ab Heinrico secundo anno dni. MXVI. destina-„tus et Kl'as. Januarii in Confluentia consecratus."

Ad haec scriptorum dissidia discrepantes etiam diplomatum aliorumque Trevirensium monumentorum temporis notae accedunt. Sic in donatione Adelberonis, Praepositi ad S. Paulinum, facta monasterio S. Mathiae, annus Popponis vigesimus concurrit cum anno Christi 1036., ut proinde archiepiscopatus ejus initium ab anno 1017. necessarie deducendum videatur (Honth. Hist. Trev. dipl. I. p. 369.); sed indictio III., quae adjungitur, ad annum 1035. pertinet, quo Popponis annus vigesimus decurrisset, si is sedem Trevirensem anno 1016. adiisset. (Conf. Calles Annal. eccles. Germ. V. p. 165.) — In alio documento, charta scilicet Popponis data Thiefrido, Trevirensi advocato, Poppo ipse archiepiscopus, qui utique de suae dignitatis exordio omni majus exceptione testimonium praebet, ita temporum rationes colligit: „Anno „Dominicae incarnationis MXXXVI., Indict. IV., regnante Conrado imperatore augusto, anno „regni ejus XII., imperii X., et episcopatus nostri XXI." (Honth. l. c. p. 368.)

Annorum notae accuratissime sibi respondent: annus MXXXVI. — regni Conradi II. usque ad VIII. diem Septembris annus erat XII., imperii vero X. — Quodsi igitur, ut habet charta praesens, annus idem Popponis fuit XXI.; sedem ille anno MXVI. sine omni dubio jam adierat.

Scriptorum dissensio, hic et in aliis Gestorum locis, ex parte originem duxisse videtur ex vario annum inchoandi computu, cum quidam, more ecclesiae, annum ab adventu auspicati sint; alii, more Trevirensi ecclesiae proprio, alii stylo ordinario annos computaverint.

— Qui videlicet Adelbertus castellum, Treberis quondam in honore sanctae crucis constructum, possidebat.

Nullae amplius hodierno tempore hujus castri, olim prope Treverim siti, supersunt ruinae. Ms. Trev., N°. 1334. sign., hoc castellum nominat vetus castrum, et manus recentior false addit ad marginem: Nota Caskeller (i. e. amphitheatrum): supra collem S. Crucis tempore Romanorum Circus extiterat.

Non solum hoc, sed omni aevo, solum paternum rapinae et depraedationes molestarunt: abundant Gesta Trevirorum exemplis varii generis. Saeculo IX. conventus Confluentinus (an. scilicet 860.) ita loquitur: „Sed de istis rapinis et depraedationibus, quas jam quasi „pro lege multi per consuetudinem tenent, ab hoc die et deinceps de Dei banno „et nostro verbo bannimus, ut nemo hoc amplius praesumat; sed unusquisque infra patriam „cum pace et sine oppressione pauperum et circummanentium consistat &c." —

Vide Capitula Conventus Confl. ap. Hartzhemium (Concil. Germ. II. p. 253.).

— Hic rogatus a quodam Danorum comite &c.

De hac confusione Popponis Trevirensis cum Poppone Slesvicensi legimus in cod. ms. Trev., N°. 1200 sign., notam congruentem hujus argumenti: „Auctor hujus historiae hunc Pop-„ponem, archiepiscopum Trevirensem, confundit cum alio Poppone, episcopo Slesvicensi, „qui episcopatus situs est in confinibus Daniae. Hic oriundus fuit ex Frisia, et Regem Da-„norum Haraldum VIII. et filium ejus Sven Ottonem jam tum anno 945. baptizavit, antequam „factus fuisset episcopus, et totam Danorum gentem ad Christi fidem convertit. Anno 984. „factus episcopus, obiit 1029. Creditur vixisse ultra 100 annos. Miracula supra notata de verbo ad „verbum refert historia Slesvicensis. Poppo autem Trevirensis fuit archiepiscopus, et „vixit in archiepiscopatu ab anno 1016. usque 1047. Cum ergo Annales Trevirenses

„mentionem faciant de Poppone, qui Danorum apostolus fuerit, quique Ansgarius dictus „fuerit, et de Danorum devotione aut frequentatione ad sepulchrum ejus; sic tota haec „historia fabulosa esse judicatur.“

Confer etiam Adami Bremensis historiam; et Browerum L. XI. Annal. Trev. n. 87. — In fine capitis asseritur: „sepulchrum Treberi a Danis frequentari;“ sed, ut Martene bene notat, Dani simpliciores, similitudine nominis decepti, Popponis Trevirensis sepulchrum fortasse frequentarunt.

AD CAPUT L.

— Sanctum Symeonem &c. licet de illo prolixior tractatus habeatur.

Notum est, Eberwinum, quem aliqui abbatem monasterii Theologiensis, alii vero S. Martini prope Treviros fuisse dicunt, vitam S. Simeonis conscripsisse. De hac vita, quam in variis codd. mss. legimus, vide Honth. (l. c. I. p. 373.). — Eberwinum scriptorem vitae S. Simeonis, abbatem S. Martini prope Treviros fuisse, antiquissimi nostri codices mss. attestantur. Sic in Ms., N°. 94. sign., his temporibus aequali, est hujusmodi titulus: „Praefatio „Eberwini abbatis de coenobio b. Martini in vitam S. Symeonis.“ Ceteroquin verum est, circa idem tempus in monasterio Theologiensi vixisse abbatem ejusdem nominis et famae. His accedit observatio, illo aevo morem fuisse, de alio ad aliud migrare monasterium; quis ergo negare poterit, hunc Eberwinum Theologiensem, et illum St. Martinianum, unam forte eandemque fuisse personam? Confer Acta Sanctorum Junii; T. I. p. 87. sqq. Antverp.

AD CAPUT LI.

— In turri quadam deserta a Poppone reclusus.

Nemo dubitat, quin sub hac turri porta Martis (porta nigra) intelligenda sit, quo in loco reclusus vixit et decessit S. Simeon et in quo sepultus est. „Idem famulus Christi, ubi „solus potuisset vacare orationi, in turri, quae antea nigra porta vocabatur, parvulum tugu„rium expetiit, ubi dominus Praesul, praesenti clero et populo, in festivitate sancti Andreae „illum reclusit, et quasi mortuum, ut vere erat saeculo, devotissime sepelivit.“ Ita Eberwinus in Vita S. Simeonis, qui hunc virum sanctum jam agonizantem visitavit.

Cod. Eberh. Clus. de ecclesia S. Simeonis et de Poppone haec specialiter profert: „Ecclesia sancti Symeonis confessoris, juxta portam nigram sita, magnis quadratis lapidibus „et grossis quidem fabricata est. Primum turris erat altissima et locus munitionis, quam in„clytus praesul Poppo vertit in domum orationis. — Multis gradibus ascenditur ad hanc ec„clesiam: sumtuosissime tecta est. Singula habitacula loci illius erecta sunt non petris, sed „plumbo. Post multos annos, instantia imperatoris Maximiliani, aperitur tumba Popponis, quon„dam archiep. Trev., et invenitur corpus Popponis adeo integrum, quasi proxime extinctum. „Episcopalia vestimenta erant integra: indutus erat casula sericea nigra, dalmatica sericea „crocei coloris. Pretiosa sandalia et incorrupta. Manu dextera gestat baculum pastoralem, „in quarto digito manus ejusdem annulus aureus cum lapide pretioso. Huic adjunctus quin„tus digitus, inter quos patena aurea: manu sinistra calicem parvum tenet aureum.

In alio documento, etiam nullibi impresso, codici Trev., N°. 1200 sign., annexo. s. t.: Instrumentum erectum super apertione sepulchri domini Popponis, archi-

ep. Trev., legimus plura alia, de quibus iu laudato ms. sermo non est. Sunt autem hujus argumenti: „Vniversis et singulis Christi fidelibus utriusque sexus, praesentes literas sive prae„sens publicum instrumentum visuris, lecturis pariter et legi audituris notorium sit atque ma„nifestum, quod anno ab incarnatione Domini millesimo quingentesimo decimo sexto juxta et „secundum stylum scribendi in civitate et per diocoesin Trevirensem, Leonis papae decimi au„no quarto, die vero Jovis octava mensis Januarii (*), hora prima post meridiem in mei No„tarii publici ac testium fide dignorum ad hoc vocatorum, rogatorum et speciatim deputa„torum praesentia, ad instantiam, requisitionem et miram devotionem serenissimi &c., principis „et imperatoris Maximiliani &c., quam semper ipsa sua Caesarea Majestas erga Deum om„nipotentem et Sanctos ejus habuit et habet pro laude et gloria ecclesiae triumphantis ac sa„lute Christi fidelium, de inquisitione et inventione sanctissimae tunicae inconsutilis Sal„vatoris nostri Domini Jesu Christi, aliorumque Sanctorum reliquiarum penes ipsam sanctissi„mam tunicam tunc repertarum, videlicet anno millesimo quingentesimo duodecimo: Imperialis „Majestas institit coram Domino Richardo, archiepiscopo Trevirensi, principe electore &c., „pro concessu et assensu inquirendi et sepulchrum aperiendi Popponis, quondam Treviro„rum archipraesulis, de Marchia Austri nati, cujus etiam pater Leopaldus per Fredericum ter„tium, Romanorum imperatorem, Apostolico accedente consensu, canonizatus fuit &c. — Sic„que Richardus &c. suum benignum consensum, favorem pariter et assensum dedit. — Et ad „hoc opus sanctissimum Caesarea Majestas Commissarios deputavit, videlicet Dom. Joannem Sperentz, ecclesiae Brixiensis praepositum, et Balthasarum Mercklin, ex Waldekirch, „decanum ecclesiae S. Simeonis Trevirensis (**), in qua ipsum corpus archiepiscopi Popponis „humatum existit. Qui quidem domini Commissarii, juxta commissionem ipsis factam, praedic„tam ecclesiam sancti Simeonis accesserunt; canonicos et vicarios simul pro hujusmodi inqui„sitione vocari fecerunt, qui tunc ut obedientes filii parentes, divino auxilio invocato, diligen„ter quaesierunt sepulchrum Popponis (***), quod etiam summo gaudio reperierunt retro altare „Simeonis et Judae Apostolorum in superiori ecclesia, ad pedes sepulchri S. Simeonis situm, „cancellis ferreis omni parte bene munitum, ac supra tumbam sive sarcofagum primitus videba„tur tabula depicta cum figura et imagine cujusdam episcopi, et tum epitaphium ipsius Popponis, „per circumferentiam ipsius tabulae laminibus cupreis deauratis, cum figuris SS. duodecim Apos„tolorum, quatuor Evangelistarum, ipsius Popponis ad pedes interpositis, cujus tenor hic est: „Anno Dn̄icae Incarnationis M°XLVII°. XVI. Kalendas Julii Obiit Hvjvs Treve„ricae Sedis Deo Dilectus Archiep̄s Poppo. Cin.. Doc.. Clara Manens Lux „Populi. Spes Gratissima Cleri. Hunc Vt Consociis Aggreget Angelicis. „Spiritus Ossa Regebat. Henrici Secvndi, Imperatoris Avtem Primi (†). — „Et post alius lapis marmoreus longus per circumferentiam cum laminibus deauratis positus erat; „demum alius lapis longus et communis, per circumferentiam lapidibus marmoreis albis et bla„viis bene politis, curiose ac summopere in pavimento compositis. Quibus circumquaque dili-

(*) Stylo communi annus 1517.

(**) De hoc viro suo tempore celeberrimo pauca diximus in foliis s. t.: Trier'sche Chronik, 1821. S. 17.

(***) Ignorabant ergo aut ignorare simulabant hujus aevi Canonici ad S. Simeonem situm sepulchri fundatoris hujus ecclesiae?! —

(†) Subintellige: tempore. — Ap. Brow. inscriptionis hujus fragmenta et vestigia leguntur. Auxilio igitur hujus instrumenti Broweri relatio amplificatur et emendatur; pariter etiam narratio brevis cod. Eb. Cl.

V*

„genter amotis una cum caemento, in praesentia praefatorum Commissariorum, ac etiam Domini „Joannis, Sirenensis episcopi, Domini archiepisc. Trev. in pontificalibus vicarius generalis (*); „Domini Roperti. abbatis monast. S. Willibrordi Epternacensis; magistri Joannis de Acie „artium et juris utriusque doctoris, curiae Trevirensis officialis; ac etiam oratoris principis do- „mini Marchionis Badensis, Joannis Hoecberg, praepositi in Pfortzena Spirensis diocoesis „et ejusdem Marchionis secretarii; domini Emmerici comitis de Linningen; nobilis viri Guil- „helmi de Monreal armigeri; nec non viri Mathaei a Schonecken praepositi decretorum, „aliorumque astantium, ac omnia fieri videntium per certas personas, videlicet dom. Petrum „Peret cantorem, Augustinum Pergener fabricae magistrum, et magistrum Wigandum „Wedenkopff, canonicos, ac magistrum Joannem Kolb vicarium S. Antonii, et me Phi- „lippum Mar, dicti altaris Simeonis et Judae possessorem ac notarium ad hujusmodi requi- „situm et per dominos supra specificatos ordinatum, — lapide ipso magno, sarcofago supra- „posito, levato et contra murum aliquo tempore tento, corpus gloriosum Popponis integrum, „illaesum, vetustate temporum etiam inconsumptum repererunt, pontificalibus insigniis ornatissime „insignitum, videlicet casula nigra, uti apparuit, subductura eversa de serico; dalmatica alba „de Damasco cum floribus aureis operato; alba splendida linea; stola rubra, manipulo albo cum „auri risiis seriniis et deauratis, sandaliis indutus cum calceis iucisis; etiam baculo pastorali, „patena et annulo gemmato in manu ejus dextra, calicem vero parvum deauratum in ejus si- „nistra tenens, et super pectus ipsius Popponis tabula plumbea posita erat, hujusmodi in se „continens literas magnas:

„Hic Jacet Poppo Trevirorum Archiepiscopus, Qui Obiit XVI. Kalendas „Julii.

„Quibus omnibus sic devote, diligenter, summo gaudio ac timore per praedictos Com- „missarios examinatis, tractatis, visis oculis ac manibus palpatis, omnia insignia pontificalia „et quaecunque reperta ad pristina loca reposita fuere, nihil mutato neque amoto, cum di- „ligenti, decenti ac devota sepulchri ac corporis munitione et inclusione, partim prout antea „fuit. — — De et super quibus omnibus &c. — —

Philippus Mar sacris Aplica
et Imperali auctoritatibus
Notarius.

AD CAPUT LVI.

— Haec, ut ferunt, antiquitus fuit domus dominae Helenae.

Moles illa, fronte et postico subinde mutatis, novisque operibus per saeculorum intervalla additis, pristinam formam perdidit; hinc fit, ut mediae et novae potius aetatis, quam Romani temporis faciem prae se ferat: aliquae tamen partes adhuc antiquitatis Romanae speciem habent. Non inquirimus hoc loco in quaestionem, quae rerum Trevirensium scriptores et criticos jam saepe fatigavit, scilicet: an ecclesia cathedralis Trevirensis olim fuerit divae Helenae Imperatricis palatium, an templum Romanorum idolis sacrum, vel praetorium Romanum, aut ex il-

(*) Joannes Helmontius, Brabantus, Ord. S. Bened. abbas in monasterio Luxemb., Suffraganeus Jacobi Badensis et Richardi, obiit eodem anno 1517.

lis operibus regiis, quae basilicae nominabantur? Inter tot opiniones, re potissimum gravibus tenebris circumsepta, nemo audeat decernere, quaenam vera sit, quaenam falsa. Veri forte similem opinionem proponimus, si antiquitus basilicam (in qua jus dicebatur et negotia tractabantur) fuisse credimus. Tales moles a Constantino M. Treviris structas laudat panegyrista Eumenius (Panegyr. in Constantin. Aug. cap. XXII.). Adde Ausonii verba (Ad Gratianum Imperat. gratiarum act. pro Consulatu Treviris habita an. 379.): „Quis locus „est (i. e. Treviris), qui non beneficiis tuis agitet, inflammet? Nullus, inqnam, Imperator Au„guste, quin admirandam speciem tuae venerationis incutiat: non palatium, quod tu, cum ter„ribile acceperis, amabile praestitisti, non forum, et basilica olim negotiis plena, nunc „votis votisque pro tua salute susceptis."

De operis hujus structura audiamus Alexand. Wilthemium, qui in suo libro ms. (Origines et Annal. coenobii S. Maximini) haec habet: „Has aedes produnt Helenam in temp„lum vertisse, quae sit modo ingens illa Trevirensis divi Petri basilica; operi quanquam alia „jam facies est, majestas tamen Romana perdurat, praesertim qua latera austro et aquiloni „obversa sunt. Murus ibi lateritius vinctus calce aeternae firmitatis. Fenestrarum ingentium „ordo duplex. Lateres quadrati duum undique palmorum, silicum ferme duritie, quales Tre„viris passim litteris impressis atque incoctis videre est, didoris persimiles, quos Vitruvius „(Lib. II. c. 3.) latos unum, longos duos palmos describit, aitque, iis Romanos uti consuesse, „cum pendatoris atque tetradoris solerent Graeci. Muri porro, ut nunc res sunt, meros os„tentant lateres; sed, quantum fas assequi, spoliatos. Calx siquidem velut adhaerentium olim „tabularum vestigia retinet; index haud dubia affini marmoris, quod sectum Romani parietibus „inducebant (*), crustis tam eximie junctis, ut colludentes venae sibique occursantes et velut „genitales, solidum absque compagine opus, miro artis mendacio referrent.

„Ad ortum omnia fere recentioris aevi, et forte a Popponis archiepiscopi aetate, qui „saeculo undecimo basilicam refecit. Stabat ea tunc (ut in acta Popponis scriptor aequalis „retulit) quatuor marmoreis magnaeque altitudinis nixa columnis. Fornicem noveni sinus dis„pescebant; ita, ut medius solis quaternis columnis, octoni circumpositi hinc columnis, inde „muro incumberent. Verum, cum e columnis una fatiscens cecidisset, tantus exinde ruinae „metus incessit, ut multo tempore sacra nulla in aede facta sint, steteritque moles lapsabunda, „donec Poppo immensis pilis columnas circumplexus, laxatisque haud modice spatiis, basili„cam instauravit (**).

(*) Vide Browerum in Proparasc. Annal. Trevir. cap. XIX. num. 3. in fine. Conf. Plinium (Hist. nat. cap. 35.)

(**) Idem auctor in alio cod. ms, N°. 37. sign., (quem inscripsit: Luxemburgum Roman.) has res retulit his verbis: „Scriptor Gestorum Popponi aequalis prodidit, stetisse marmoreis ingentibus quatuor „nixam columnis, fornice novenis distincto cameris, *quarum mediam eamque maximam fulcirent „columnae, caeteris octo, muro in quadratum circumsustentatis, quae est propemodum „hodiernae concamerationis forma. — E columnis unam dudum concidisse, unde ruinae „metus, et hinc solitudo basilicae, sacris multo tempore intermissis. Popponem denique molem lapsa„bundam a casu vindicasse, pilisque ingentibus, quae reliquae, circumplexum. Ad haec spatium „basilicae adjecisse, quo nempe ad ortum atque occasum semicirculares „maximae structurae utrimque exeunt."

Wilthemius opinatur, hanc aedem sacram a Constantino esse factam. „Ita", inquit, „in sublime „educebantur Constantini templa, quae Eusebius (hist. X. 2.) scripsit ubique in immensam al„titudinem educta, ut et Trevirensem basilicam his accensere possis." —

„Nostra memoria, dum Lothario (*) archiepiscopo sepulchri monumentum poneretur, „effossum est, quod altissime abditum jacebat, immane fragmen columnae, illius credo, quam „acta Popponis collapsam memorant. Marmor est nigrum (**), uno perpetuoque saxo, egregia „arte expolitum; passim cano nativoque furfure respersum. Moles tanta, quae merito omnium „oculos admiratione defixos teneat; quippe diameter imi scapi pedes ferme septenos; longitudo „fragminis unum et vicenos explet (***): ut si ex architectonices modo integrae columnae mag„nitudinem aestimes, quadragenos facile altam pedes fuisse appareat.“

— Ad Gesta Popponis archiep. sequentia, nondum impressa, jungi commode existimavimus, quae leguntur in chartulario ms. B. M. V. ad Martyres prope Treviros, in diplomate 17. Kal. Januarii anno 1017. signato, hujus argumenti:

„In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Notum sit omnibus orthodoxis tam praesenti„bus quam futuris, qualiter ego Poppo humilis archiepiscopus altaria coenobii sanctae Mariae „matris Domini supra litus Mosellae in australi parte sita dedicaverim, adhuc rudis in episco„patu meo, hunc locum a canonicis possessum inveni, monachis inde expulsis „quorum conversatio ibi anterior fuit. Quod cum perciperem et diu mecum volve„rem, non id Deo esse gratum animadverti, maxime quia ad hoc aliis praeessem, ut vitam et „mores eorum de malo mutarem in bonum, huic coenobio decrevi prioris regulae restituere sta„tum. Illud pro certo sciens, ut sicut antecessori meo illa preordinatio pervenit ad coronam, „ita mihi haec permutatio, nisi monasticae disciplinae fieret restauratio, ad supplicium pareret „poenam &c.“ In hoc igitur monasterio monasticum S. Benedicti institutum eandem habuit sortem, qualem jam prius vidimus in monasterio Epternacensi. — Conf. Chronicon S. Maximini (Prodr. Hist. Trev. I. p. 1013.) —

— In Gestis Popponis (in fine capitis 46. p. 121.) legimus, famosum Adelberonem, sub finem vitae suae, pro tot disreptionibus, ecclesiis in vegetiori aetate illatis, omnia sua donasse.

Apud Honthemium (Hist. Trev. dipl. I. p. 368. et 371.) asservantur duo diplomata (de annis 1036. et 1037.), quibus varia donat monasterio S. Mathiae. Possidemus ex donatione, bibliothecae Trev. nuperrime facta per Vicarium Liehs, rerum patriarum studiosissimum, aliam chartam de anno 1037., et nondum impressam, in qua et variis aliis ecclesiis (S. Martini, Prumiensi, S. Mariae ad Martyres &c.) iste Albero donationes villarum suarum fecit.

Propensius fortasse opinari liceat, hanc aedem Romanam a Constantino in basilicam sacram mutatam esse. Sic Romae in Apollinis Vaticani aede templum S. Petro Apostolo idem Constantinus sacravit. Constat et alibi quoque maximi nominis fana in sacras aedes conversa esse.

Interim S. Athanasii verba: „cum Treviris adhuc templum aedificaretur,“ (in suo libello ad Constantium edito) argumentum suppeditant, basilicam Trevirensem, si non ipsa mole et substructionum magnitudine, aliis sane causis, nondum hac tempestate cum Treviros venit Athanasius, fuisse perfectam. —

(*) a Metternich anno 1623. defuncto.

(**) Granit (Syenit). — „Ex cujus“ (basilicae S. Petri) „fundo“ (scribit Meelbaum in sylva Acad. an. 1657.) cum archiep. Lothario sepulchrum foderetur, immania formae et stupendi lapidis columna fuit extracta, quae intuentibus dubium excitat, an natura vel ars talem lapidem produxerit? — —

(***) Juxta mensurationem hujus molis novissime factam, longitudo ejus habet duodecim pedes Gallicos et sex pollices; maximus illius diameter tres pedes et quatuor pollices.

AD CAPUT LVII.

— Cui pro poenitentia peregrinationem Jerosolimitanam injunxit.

Aliud ejusmodi poenitentiae exemplum legimus in vita Popponis, archiepiscopi Trevirensis: plura refert Muratorius (Antiquitat. Italicar. Tom. II. Dissertat. 23. p. 328.), qui poenitentiae modus illius saeculi genio omnino conformis est. Conradi, comitis Luxemburgensis, in hac peregrinatinone fatum his verbis refert Bertholet (Histoire du Duché de Luxembourg, Tom. III. p. 282.): „Après quoi notre Comte partit pour la terre sainte, et recommanda à sa „femme et à ses enfans la consommation des edifices. Son voyage fût heureux, car il eut la „consolation d'arriver à Jerusalem, d'y visiter les lieux saints, d'y satisfaire sa devotion, et „d'accomplir sa pénitence. Mais il mourut de maladie dans son retour. Ses domestiques em- „baumerent son corps, et le laissèrent en depôt dans la terre ou il expira, jusq'à ce, que sa „femme et ses fils l'en retirèrent, et le firent transporter deux ans après à Luxembourg. Il y „fût inhumé dans la grotte de l'église de Münster.“

— Quidam ad similitudinem episcopi ceream imaginem &c.

Calmet (l. c. I. Preuves p. XXXVIII. nota z.) ad haec verba animadvertit sequentia: „Cette abominable superstition est très ancienne, elle est connue des Grecs et des Latins, et „malgré son inutilité pour les effets, qu'on en attend, elle a été pratiquée même par les Juifs „et les Chrètiens. Theocrite, Poète Grec, en parle Idyle 2. et Horace lib. I. Sermon. sa- „tyr. 8.:

„Lanea et effigies erat; altera cerea: major
„Lanea, quae poenis compesceret inferiorem.
„Cerea suppliciter stabat, servilibus ut quae
„Jam peritura modis.“ — —

„Voyez aussi Horace Epod. 17. et Virgil Eclog. 8.:

„Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit
„Uno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.“

„Les conciles ont condamné ces supersticieuses pratiques; on faisoit ces statues de cire les „plus semblables qu'ils étoit possible à la personne devouée; on les baptisoit sous son nom, „et on les devouoit comme parlant à sa personne.“ V. etiam Recueil des Historiens de France, T. X. p. 162. XII. p. 407. — Nostris quoque temporibus haec superstitio nullatenus extincta est. V. Mémoires de Madame de Genlis T. 6. p. 44., ubi legimus: „J'eus l'occasion d'acquerir la certitude, qu'une sorcière, digne du siècle de Catharine de „Medicis, y (à Versailles) fabriquoit des bustes de cire pour les amans jaloux qui vouloient „faire mourir leurs rivaux, en perçant ces figures avec des stylets et des poignards.“ — —

AD CAPUT LVIII.

— In pago Bedonico quiescentes.

Pagus Bedonicus seu Bedensis (Betgowe, Betgaw in antiquis chartis), in quo Castrum Bedense (Beda Vicus, Bedaburgum, Bedonisburgum), hodie oppidum nominatum Bitburg, quod situm est in via regia, quae Treviris Prumiam ducit. Meminit jam ejus Antoninus in Itinerario.

— Hic opera a decessoribus incepta &c.

Quae inceperat Poppo, continuavit Eberhardus, et ad finem perduxit Udo (*). De hoc Udone inter criticos agitatur quaestio, an auctor sit martyrologii, sub nomine Adonis noti, an vero Ado, archiepiscopus Viennensis in Gallia circa medium saeculum IX.? A nostro Udone illud conscriptum esse credit Browerus (Annal. Trev. I. p. 554.). Asserit illud etiam distincte Baronius in suo Martyrologio Romano, c. IX. p. 20.). Sed Honthemius (Hist Trev. dipl. I. p. XIV.) hoc Martyrologium adscribit Adoni Viennensi his verbis: „Non „multo post, nempe circa annum 858., Ado, archiepiscopus Viennensis in Gallia, novum mar-„tyrologium composuit.“ Adde ejusdem Prodr. I. p. 98. — Consentientes Honthemio hoc solum addimus: archiepiscopum nostrum in actis publicis aevi sui ubique Udonis, et nullibi Adonis nomine appellari. Plures pro utraque opinione auctores recenset Johannes Moller (Homonymoscopia historico-philologico-critica &c. Hamburgi, 1697. p. 530. sq.). Secundum Ordoricum (Hist. eccles. L. III.) Udo erat filius Balduini V., Flandriae Ducis, et frater Mathildis, Anglorum Reginae.

— Monasterii S. Petri.

Id est, ecclesiae cathedralis. Medio aevo, illo praesertim tempore, quo canonici vitam agebant communem, ecclesiae collegiatae monasteria (Münster) dicebantur: ita legimus in Gestis: „Monasterium S. Paulini;“ alio loco: „Monasteria tam clericorum, quam monachorum et „monialium.“

AD CAPUT LIX.

— Qui, ut tunc moris erat, barbam, quasi in signum religionis, enutrisset.

Multi ex clero Trevirensi tum temporis barbam alebant, qui mos clericis Graecis solennis erat; cum, ut legimus in epistolis Gregorii VII. Papae (L. VIII. ep. 10.) occidentalis ecclesiae clerici barbam tondere solerent. Consuetudo mystaces portandi perduravit adhuc tempore Johannis Hugonis, archiepiscopi Trevirensis. Hoc praeter aevi illius picturas, quae nobis adhuc reliquae sunt, acta quoque visitationis in ducatu Luxemburgensi per Johannem Henricum ab Anethan, Suffraganeum Trevirensem, factae satis demonstrant. In constitutionibus, post hanc visitationem anno 1678. pro clero nostro compositis, haec legimus (Cap. I. §. IX.): „Mystaces non ad levitatem vanitatemque laicalem aut aulicam, sed ad gravitatem „decentiamque clericalem aptatas habeant.“ In concilio Mechlinensi, anno 1607. celebrato, titulo XVIII. cap. 8. dicitur: „Nemo beneficiatus, vel in ordine sacro constitutus barbam „gestet alatam, et quilibet sacerdos ita insuper superius labrum rescissum habeat, ut sangui-„nem Christi sumpturo non sit impedimento.“ De Alberone, Archiep. Trevirorum, Gesta dicunt: „Per coronam suam juravit, se nunquam barbam suam rasurum, nisi et castrum suum „Arraz prius recuperasset.“

(*) In historia constructionum novarum in ecclesia cathedrali per varios archiepiscopos, post Udonem, tempore subsequenti factarum, nominandi sunt: Bruno, Hillinus, Joannes I., Lotharius, Joan. Hugo et Franciscus Ludovicus.

AD CAPUT LX.

— Et pars populi Trevirensis —

Quam diu populus Trevirensis, aut si mavis, laici una cum clero, Archiepiscopos elegerint; hoc non ita certum est. Honthemius (in Prodr. Hist. Trev. dipl. Tom. I. p. 574.) ita sentit: „Populi jura in electionibus saeculo XII. adhuc integra perstabant, necdum ex- „clusa solemni pacto, anno 1122. inter Calixtum II. et Henricum V. inito; siquidem adhuc „anno 1131. Treveri de electione Alberonis Archiepiscopi ad Innocentium II. PP. retulerunt, „eandem factam esse de assensu et per concordiam omnium, tam laicorum quam clericorum." Sed, aut propter continuos fere tumultus, aut propter Isidori canones, aut alias quascunque rationes, clerici studebant, ut sensim laicos a negotio antistites suos eligendi removerent. Sic legimus in cap. 81. Gestor. Trevir.: „Trevirenses clerici contra voluntatem omnium laicorum „eum elegerunt in archiepiscopum." Existimat Honthemius l. c., post Johannem I., qui decessit anno 1212., laicos non amplius ad antistites suos creandos adhibitos esse. Hoc certum est, illos plane non fuisse participes electionis Arnoldi II.; capite 108. Gestorum ita legimus: „Cu- „jus (Arnoldi II.) electioni celebratae longe a majori et saniori parte capituli." De electione Baldewini, anno 1307. facta, Gestor. Trev. scriptor haec fatur: „Capitulo Trevirensi co- „adunato et ad futurum praesulem eligendum &c. a majori et saniori parte capituli." Sed olim neque capitulum cathedrale solum repraesentasse clerum Trevirensem; sed etiam episcopos provinciae ad eligendi munus convenisse, saeculo adhuc XII., asserit Honthemius l. c.; pergit idem auctor his verbis: „Itaque in nostra, sicut et in aliis ecclesiis, sub finem saeculi „XII. clerus et populus paulatim jus electionis in solos canonicos cathedrales transmiserunt." Conf. Gestorum caput 93. — Ceterum Gesta Jacobi I. saeculo XV. probare videntur, tempore adhuc sequente alios praelatos, imo nobiliores laicos, publicis fungentes muneribus, si quando hujus rei causae aderant, concionibus, in quibus Archiepiscopi designarentur, interfuisse.

AD CAPUT LXIV.

— Hic autem, quem jam nominavimus, Theodericus &c.

Honthemius (Prodr. Hist. Trev. dipl. II. p. 758.) ad marginem notat: „An forte hujus „opus est, quod ediderunt Martene et Durand?" (Thesaurus nov. Anecdot. I. p. 214. sqq.) — Animadvertendum est, his temporibus vixisse Treviris Huenricum vel Guenricum quendam, Magistrum scholarum seu Scholasticum, cujus meminit Sigobertus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis ad annum 1080. his verbis: „Huenricus ex scholastico Trevirensi episco- „pus Vercellensis scripsit librum, sub persona Theoderici, Virdunensis episcopi, ad Hil- „debrandum seu Gregorium papam de discordia regni et sacerdotii, non eum increpans, sed „ut seniorem obsecrans et patrem, et amicabili inductione quasi affectu dolentis, suggerens ei „omnia, quae contra jus legum et fas religionis eum fecisse et dixisse divulgabat loquax fama." — Hunc equidem librum Huenrici Scholastici legimus editum ap. Martene et Durand l. c., qui quamvis in multis Gregorio VII. gravis et severus sit, nonnulla tamen ad ipsius laudem continet; pracipue dum fatetur, Gregorium ad summum christiani nominis culmen saepe electum et accitum, semper quidem animi, aliquando etiam corporis fuga, dignitatis locum declinasse.

Verisimile nobis est, illa, quae Gestorum scriptores de quodam Theoderico proferunt, laudato Huenrico Scholastico esse attribuenda. —

Interim constat, et plures alios contra Gregorium VII. calamum movisse, quod confirmatur solo capite 79. Gestorum his verbis: „Multi autem ex cardinalibus regi adhaeserunt, et „de clero Romanorum et de populo, quorum contra papam Hildebrandum plurima „extant scripta mordacia. — —

AD CAPUT LXV.

— Comitissa de Castello, quod Ara Innae dicitur.

Hodie Arlon (Orolaunum in Itinerario Antonini), oppidum est in ducatu Luxemburgensi, 5 leucas a Luxemburgo, in via regia, quae Namurcum ducit, in excelsa regione situm. Certum est, eodem loco, jam tempore Romanorum, fuisse castrum. (Wilthemii Lucelinburgensia Romana Ms., Calmet, Histoire de la Lorraine, Tom. I. pag. 31., et Bertholet, Histoire du Duché de Luxembourg, Tom. I. p. 404.) —

— Maledixit ei anathemate Maranatha.

Est vox Syriaca, quae significat: Dominus venit, subintelligitur, ut furti ultor, estque quoddam imprecationis genus, quod non raro in chartis medii aevi legitur, et contra illarum infractores dictatur. Vide diploma Caroli Calvi an. 869. (Rer. Gallic. et Francic. Script. T. VIII. p. 619.), diploma Brunonis, Archiep. Trev., an. 1110. (in Günth. Cod. dipl. I. num. 79.) et chartam Ludovici Infantis, quam anno imperii sui tertio dedit monasterio ad S. Irminam Treviris (Chartul. Horreense).

AD CAPUT LXVII.

— Beato Agricio, quarto episcopo Trebirensium.

Codices Gestorum mss. hocce loco unanimiter legunt et nominant Agricium episcopum Trevirensem in ordine quartum. Scriptor hujus temporis (saeculi scilicet XII.) minime ergo concordat primis Gestorum scriptoribus (V. cap. 27. et sequentia); sed catalogorum Ghisleniani ac Prumiensis coenobiorum partes amplectitur, in quibus quoque episcoporum intermediorum altum est silentium; qui catalogi interim ex codice quodam S. Mathiano saeculi XII. transcripti esse videntur. Conf. quae diximus supra p. 11. sq. —

Doctissimus Calmet (Op. cit. I. Preuves) ad hunc locum animadvertit: „Cet endroit est „très remarquable puisque l'auteur ne compte S. Agrèce que pour le 4me Evêque des Trêves. „Il ne connoissoit pas ce grand nombre d'Evêques de Trêves dont on a grossi le catalogue „depuis ce tems. L'auteur vivoit au XII. siècle.“ — Huic opinioni patrocinari videtur Fridericus, S. Paulini Praepositus, in historia ms. de apertione tumbae S. Paulini, anno 1402. facta, his verbis: „Porro revoluto post horum trium quos praediximus (Eucharii, Valerii et „Materni) patrum exitum ab hac luce tot annorum curriculo usque ad annos Domini trecentos „et sexaginta octo secundum unam scripturam, secundum tamen aliam quadraginta octo, quam „veriorem credimus, visitavit denuo Dominus plebem suam Trevericam aliis tribus beatissimis „et apostolicis viris, verbis et opere potentissimis, Agricio videlicet, Maximino et Paulino, „qui supra fundamenta priorum, non indigena saltem successione, Trevirorum ecclesiam sa-

„cram Dei, structura mirabili laudabiliter erexerunt in altum; quae usque ad sua tempora quasi „sub modio lateret &c.“

— In Sugerii, Abb. S. Dionysii, lib. de vita Ludovici Grossi Regis (Rer. Gallic. script. T. XII. p. 20.) legimus haec de Brunone nostro: „Singulariter et solus Trevirensis archie„piscopus“ (unus ex legatis Henrici V. ad Paschalem II. an. 1107.) „vir elegans et jo„condus, eloquentia copiosus, Gallicano cothurno exercitatus, facete per„oravit: domino papae et curiae salutem et servitium ex parte domini imperatoris deferens, „salvo jure regni.“ — Legati secundum dictum Sugerium fuere: „Archiepiscopus Trevirensis, „episcopus Alvertatensis, episcopus Monasteriensis, comites quamplures, et cui gladius praefe„rebatur, dux Welpho, vir corpulentus, et tota superficie longi et lati admirabilis et clamosus.“

Adde Les grandes Chroniques de Saint-Denis (ibid. p. 147.), ubi legimus: „Cil „messages furent li Arcevesques de Treves, li Arcevesques d'Antateuse, li Evesques de Moster „et plusor Conte, tuit d'Alemagne, et ovec aus li Dux Welphons, devant cui l'on portoit „une espee tote nue, si estoit a merveles et corfux et gros et gras, cruex et noisex en pa„role. — — Li Arcevesques de Treves conta lor parole, hons sages et amusurez, et qui bien „savoit langue francoise, sagement conta la besoigne porquoi il estoient envoie de par l'Em„peror &c.“ —

AD CAPUT LXVIII.

— Jussus est missam celebrare.

Erat scilicet modus purgationis canonicae illo aevo communiter receptus. In Concilii Triburiensis can. 21. haec legimus: „Laicus per juramentum si necesse sit, se expurget, presby„ter vero vice juramenti per sanctam consecrationem interrogetur, quia sacerdotes ex levi causa „jurare non debent: manus enim per quam corpus et sanguis Domini conficitur, juramento pol„luetur. — Absit &c.“

Concilium Wormatiense c. 10. sequentia ordinavit: „Si episcopo aut presbytero causa „criminalis, hoc est homicidium, adulterium, furtum et maleficium imputatum fuerit, pro sin„gulis missam celebrare debet, et communicare, et de singulis sibi imputatis innocentem se „ostendere.“ Ejusdem Concilii c. 15. hujus argumenti est: „Saepe contigit, ut in monaste„riis furta perpetrentur, et qui haec committant, ignorentur. Idcirco statuimus, ut quando ipsi „fratres de talibus se expurgare debuerint, missa ab abbate celebretur, vel aliquo cui ipse ab„bas praeceperit, praesentibus fratribus, et sic expleta missa omnes communicent in haec ver„ba: Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.“

Ex verbis: „excelsa voce decantare“ colliges (bene observat Martene) canonem missae solitum fuisse recitari submissa voce, siquidem hic presbyter illum jussus est alte pronuntiare, ut scilicet nullum superesset dubium, eum consecrasse. Antiquus ordo Romanus (V. Mabill. Vol. II. Musei Ital., et Tom. V. Thesauri novi Anecdot.) habet: „Secretae orationes „atque canones sub silentio recitari debent.“ Confer et ea, quae leguntur in cod. Trev., N°. 25 sign., in quo Hamelarii liber de officiis ecclesiasticis continetur; sunt autem haec: „Consuetudo venit in ecclesia, ut tacite ista obsecratio atque consecratio a sacer„dote cantetur, ne verba tam sacra et ad tantum misterium pertinentia vilesce„rent, dum pene omnes per usum ea retinentes per vicos et plateas aliisque in locis, ubi non „conveniret, ea decantarent.“ — Confer porro Du Cange Glossarium &c. Edit. nov. mo-

nach. e Congr. S. Mauri. T. VI. p. 298. sq., in quo aliis adhuc argumentis hujus vocis (Secreta) sensus ex medii aevi scriptis exponitur; locum vero Gestorum Trevirensium editores ignorasse videntur.

— Josue — compotistam peroptimum.

Calmet (Op. cit. I. Preuves p. LIV.) ad haec animadvertit: „C'étoit un étude fort à la „mode et fort nécessaire en ce tems là, que l'arithmétique et la science du cours du soleil et „de la lune, pour fixer les fêtes, les epactes, les indictions &c.“ —

Nobis interim videtur hic Judaeus Josue, non ut calculator festorum ecclesiae mobilium, Archiepiscopi Trevirensis in consiliis fuisse; hujus enim scientiae viros in monasteriis et ecclesiis collegiatis omni tempore extitisse Treviris, codices mss. omnis aevi satis demonstrant, quod potissimum probat cod. Trev. ms., N°. 1142 sign., qui olim ad bibliothecam S. Simeonis pertinebat, et computum antiquum notabilem continet. Supremam certe regalium, aut si mavis, archiepiscopalium rationum curam habuit iste Josue.

AD CAPUT LXX.

— Anno igitur ordinationis suae nono decimo.

Variant hic de anno codices Gestor. Trevir. mss. Textum codicis S. Mathiani genuinum manus aliena male mutavit, substituendo: nonagesimo; eundem errorem repetitum legimus in alio codice (Himmerodensi). Hic error nimium crassus est, quam ut ullam mereatur refutationem; Bruno enim, secundum hunc regiminis sui calculum, fuisset vir ad minus 120 annorum, quando iter suum postremum Romam aggressus est. Duo alii codd. mss. Trev. legunt, anno LX.; sed et hi in errore versantur. Codex alius (olim Carthusianus) in hac incertitudine haerens, noluit ullum indicare annum; idem observavimus in codice St. Pauliniano. Cod. Eberh. Clusanus legit: nono; alius (olim Tholejensis) habet: anno XX. Cod. Vind. N°. 1069 scribit: XXX. Codex tandem Trev., N°. 1444 sign., clare habet: nono decimo.

Omnino certum est, Brunonem electum fuisse anno 1102., obiisse autem 1124. Privilegia, a Calixto II. ipsi concessa, signata sunt Cluniaci anno MCXX. His praemissis, lectio: anno nono decimo, sine omni dubio prae reliquis vindicata erit.

AD CAPUT LXXII.

— Suspenso ejus nomine in ecclesia.

Videatur hoc loco charta unionis septem ecclesiarum Trevirensium an. 1402. apud Hontheminm (Hist. Trev. dipl. Tom. II. p. 338. sqq.); comparari etiam possunt documenta, nondum typis edita, quae deposita sunt in bibliotheca urbis Trevirensis: litterae scilicet patrum Concilii Basileensis, anno 1437. ad civitatem Trevirensem transmissae, in capsula sub lit. E. num. 8.; — Mandatum Caesareum anni 1439. ibid. num. 11.; — Conventio cleri Trevirensis, anno 1262. signata, contra personarum et rerum ecclesiasticarum violatores, ibid. num. 18.

AD CAPUT LXXIII.

— Qui est annus episcopatus ejus vicesimus tertius.

Ita legunt plures codices mss. et cum his Martene; Calmet vero et Honthemius

legunt: XXIX., quibus consentit unus codicum in editione Leibnitiana; sed Bruno non pervenit ad annum 29. regiminis, utpote anno 1102. electus, et anno 1124. mortuus. Cod. Guelf. et alii legunt, M.C.XX.IIII. — Conf. quae supra diximus ad cap. 70.

AD CAPUT LXXIV.

Quae in hoc capite in codd. mss., ut et apud editores Gestorum Trevirensium, brevi narrantur de Godefrido Archiepiscopo ejusque destitutione, haec fusius tractantur in cod. Guelferbytano, qui hujus Godefridi acta, per scriptorem ejusdem saeculi literis mandata, continet. Utut hinc inde fabulosa miscentur veris, multis tamen ex causis judicavimus, ea, quae ibidem leguntur de depositione praefati Godefridi, et quae alibi frustra quaeres, dignissima esse, quae hic interponantur. Sine omni dubio codices reliqui in hac narratione ex consilio mutilati et truncati sunt. Confirmantur hic per testem sincerum illa, quae recenset Schannat in sua collectione ms. Conciliorum Germaniae, Tom. III. p. 352. Ceterum de hoc concilio pauca legimus apud Hartzhemium (Conciliorum Germaniae Tom. III. p. 299.) his verbis: „Concilium Wormatiense anno Christi MCXXVII. Honorii II. papae IV. Lotharii II. regis III. „jussu Honorii II. pont. max. ad instantiam cleri Trevirensis, qui archiepiscopi sui electionem „vitiosam criminabatur, celebratum.“ Et infra ex archivo Wormatiensi haec refert: „In cer„tam hujus concilii notitiam nos inducit charta praemissa. Acta quidem ulteriora ignorantur; „hoc saltem constat, eo absoluto, Godefridum seu sponte, seu coactum, dignitati suae archi„episcopali cessisse, postquam eandem annis II. mensibus X. jam occupaverat.“ Confer etiam illa, quae Baldericus in vita Alberonis de Godefrido cap. 82. editionis nostrae enuntiat: quod nempe ipse (videlicet Godefridus) spernens consilia et familiaritatem totius cleri, soli laico se dedisset. Is Ludovicus erat Vicedominus (quem Burgravium Baldericus nominat, Lotharius vero Imperator in diplomate Epternacensi anni MCXXXI. palatii custodem ac primorem Trevirorum), homo adeo dominandi avidus, ut sibi omnia, ipsosque etiam proventus annuos vindicans, episcopo inane nomen relinqueret. Quae cum indigne, pene serviliter Godefridus pateretur; tantum odium, Balderico teste, incurrit omnium clericorum, quod ad depositionem ejus coeperunt laborare. His agentibus coacta fuit synodus, cujus memoriam charta nobis illa ap. Hartzhemium conservavit.

Risum igitur teneamus, si Joh. Hübner in opella: „Kurze Fragen aus der politischen Historia, Parte VII. p. 624.“ haec de Godefrido nostro refert: „Er war gebürtig von Lüt„tich, und dankte im dritten Jahre ab, weil er dem damaligen gottlosen Wesen seiner Geistlichen „nicht mehr zusehen konnte.“ Vix ad veritatem propius accedunt ea, quae de hoc Archiepiscopo narrat Jesuita Kolb in opusculo: „Series Episcopor., Archiepiscop. et Electorum Moguntin., Trevirens. et Colon.“ p. 114. sqq., et Jean Bertholet (Histoire du Duché de Luxembourg, Tom. III. p. 413.). Nec Browerus noster (Annal. Trev. Tom. II. p. 21. num. 77.) ex genuino fonte hausisse videtur, alias aliud sane judicium contra hunc Archiepiscopum pronunciasset; neque clerum Trevirensem, qui mala avertere ab ecclesia studebat, de injuriis accusasset; si non et hoc iterum loco verum est, quod universim de Broweri Annalibus impressis verissimum, scilicet, malevolos et injustos hujus praestantissimi operis, imo ignaros censores et rei historicae osores, inter quorum manus Annales Broweri mss. toto triennio et eo amplius fuerunt, licentiam sibi sumsisse, textum originalem hinc inde variandi, truncandi atque mutilandi.

De corruptis illius aevi moribus, potissimum de foeda ecclesiasticorum beneficiorum nundinatione, vide adhuc Gesta Treviror. cap. 79. et ibidem epistolam Pascalis Pontificis. Adde tristissimam historiam injustae depositionis Henrici, Archiepiscopi Moguntinensis, et nominationis Arnoldi ad hanc sedem, crudelissimamque hujus internicionem a civibus suis perpetratam, in Chronico Conradi apud Joannis (Rerum Moguntiac. Tom. II. p. 107.). Ibidem p. 114. haec legimus, „O Cardinales, vos hujus rei estis initium. Venite ergo, venite, haurite nunc, „et ferte architriclinio vestro diabolo, eique offerte cum ea, quam deglutistis, pecunia, etiam „vosmetipsos!“

AD CAPUT LXXV.

— Castellum novum, quod dicitur Numage.

Bunnage passim legunt codices mss.; unus alterque autem habet Bumage, vel etiam Huniage; sed nullum unquam sub hoc nomine in Treviratu extabat castellum: in plurimis mss. hic igitur latet error describentium. Numage sive Numagum, Noviomagum est hodiernum Neumagen ad Mosellam. Assentit Bertholet (Tom. III. p. 413.) his verbis: „Les comtes „de Luxembourg possédoient héréditairement plusieures terres au dessous de Trêves du coté de „Neumagen; il prit envie à Guillaume, d'y batir une forteresse, qu'il munit de toutes sortes „de provisions de guerre et de bouche. Le nouvel Archevèque desaprouva cette entreprise, et „pretendit, que le Comte de Luxemburg n'avoit point droit, de se fortifier dans ce territoire, „sans sa participation.“ — Aliud exemplum in territorio Trevirensi praebet nobis cap. 101. Gestorum Trevir. in persona Friderici, comitis de Vianden, qui anno 1205. coepit castrum aedificare in monte Quintenberg infra Treviros.

AD CAPUT LXXVIII.

— Baldericus.

Hic Baldericus, metropolitanae ecclesiae Trevirensis Scholasticus, collegiatae S. Simeonis Praepositus, scripsit vitam Alberonis. Cap. 88. Gestor. Trevir. nomen suum his verbis declarat: „Ego Baldericus, qui hanc scriptiunculam feci &c.“ Fuit ipse huic Archiepiscopo familiaris, et frequens in Alberonis comitatu. De ejus fide historica Honthemius (l. c. T. III. p. 985.) haec disserit: „Cum itaque coaevus non solum fuerit, sed et saepe praesens iis, „quae a Praesule nostro gesta sunt, intervenerit, hinc quae litteris consignavit, non incertis „fontibus hausta, apparet, a viro praesertim eruditione et dignitatibus claro.“ Nec silentio praetereundum est testimonium Wibaldi, Abbatis Stabulensis, epist. 75. T. II. Ampliss. Coll. p. 246. hujus Balderici nobile et acutissimum ingenium commendans. Balderici historiae, praeter Browerum nostrum, meminere Martene et Durand (Collect. ampl. II. in praef. §. 77.).

AD CAPUT LXXXIII.

— Abbatiam S. Maximini ecclesiae suae, in fundo S. Petri sitam.

Non est unicus iste locus, ubi ecclesia S. Maximini sita dicitur in fundo S. Petri; sed quid sibi velint haec verba, an fundus ecclesiae cathedralis, an archiepiscopatus, an ci-

vitatis, cujus patronus erat S. Petrus, incertum est. Ecclesia nostra cathedralis in cap. 56. Gestor. Trevir. dicitur ecclesia S. Petri; cap. 58. in monasterio S. Petri; cap. 65. proprietatis suae bona in Ecclesia Trevirensi B. Petro tradidit. In diplomate Dagobertino de anno 633. apud Hontbemium (l. c. Tom. I. p. 76.) legitur: „Scilicet „cellam S. Hilarii quae appellatur S. Maximini, quae est in praedio S. Petri constructa.“ Adde diploma Henrici III. Imperatoris ap. Honthemium (l. c. p. 401. a), ubi haec: „Nusquam „nisi inter se nubant, aut uxorem ex familia S. Petri accipiant.“ De fundo S. Petri mentio quoque fit in cap. 39. Gestor. Trevir. — Auctor libelli sub titulo: „Archiepiscopatus et „Electoratus Trevirensis per refractarios monachos S. Maximini aliosque turbati“, anno 1630. Treviris impressi, inter alia argumenta ad refutandam immedietatem a monachis S. Maximini praetensam, ex parte Archiepiscopi prolata, et hoc utitur, quod abbatia haec sita dicatur in fundo S. Petri. Contra haec observat Zyllesius in Defensione abbatiae imperialis S. Maximini, anno 1638. impressa, Parte I. p. 22. §. 6., variis argumentis praemissis, sequentia: „Neque est fundus Electoris, sed fundus Imperii.“

AD CAPUT LXXXIV.

— Et quia advocatus esset ecclesiae.

In Wilthemii Orig. et Annal. S. Maximini mss. lib. I. cap. I. §. 2. sequentia legimus: „Luxemburgensium principum erga S. Maximinum obsequia vel illud maxime probat, quod jus „advocati St. Maximiniani et protectoris supremi omnibus fere saeculis vel ad Luxemburgen„ses duces et comites, vel ad eorum Majores, summorum principum et imperatorum decretis „sit delatum.“ — In eodem lib. I. c. VI. Rudolphus, Romanorum Rex, per diploma datum Hagenogae 5. Kal. Julii 1276. ad Henricum, comitem Luxemburgensem, haec scripsit: „Fi„delitati tuae tenore praesentium ducimus committendum, quatenus honorabiles Abbatem et „conventum sancti Maximini Trevirensis in omnibus juris et libertatibus suis, quod homines et „bona attinentes eidem monasterio, juxta privilegiorum suorum tenorem, ipsis a Romanis im„peratoribus et regibus, et nostris antecessoribus indultorum ac a nobis confirmatorum, auc„toritate nostra regia tuearis, protegas et defendas; non permittens, eos contra memoratorum „privilegiorum indulta molestari a quoquam indebite vel turbari.“ — Adde Zyllesium l. c. cap. III.

— Et admiratae sunt turbae de tam subita rerum mutatione.

Huc pertinet epistola 179. S. Bernardi, anno 1140. scripta, qua Alberonis partes apud Innocentium II. Papam in hunc modum tuetur, stylo intrepido: „Quomodo malitia vincit sa„pientiam! Nosti, pie domine, nosti Trevirensem archiepiscopum! scio quia nosti. Nosti et il„lum S. Maximini non sanctum abbatem! puto quia non nosti. Quis dignior honore illo priori? „Sic nemo confusione dignior illo sequenti; et tamen iste honoratus est, ille opprobrio da„tus. Quid peccavit archiepiscopus? Praedam ecclesiae suae recuperavit, captivam ecclesiam „de manu laica liberavit. Numquid pro bono redditur malum, et odium pro dilectione! Hic, „quaeso, hic evigilet oculus pietatis, et, semotis paulisper occupationibus, consideret, quantum „subreptum sit ei, ut talis, qualem pudet dicere, talem qualem tu ipse nosti, faciat opprobrium „vicinis suis, inimicis tuis. Piissime pater, affectus filialis loquitur. Hucusque condoluimus „misero et miserabili archiepiscopo. Verum ex hoc jam, si non fuerit, emendatum, dolor cor„dis nostri, et compassio ex intimis medullis tota transibit ad illum per quem potuit emendari.

„Sunt et aliae laesiones praefati viri, quas, cum ei alleviaveritis, vobis procul dubio laborabi-„tis. Quidquid dulcissimi domini mei nomen decolorat, cor meum excoriat.“ — Ejusdem argumenti est S. Bernardi epistola 180.

Post mortem Innocentii (anno 1143.) subrogatus Coelestinus, cujus auctoritate Albero monachos S. Maximini loco movit, melioribus religiosis eorum in locum adductis, quibus Sigerum, virum probatum, antistitem esse jussit. Has res Trithemius in Sponheimensi Chronico varie invertit. Inter alia dicit: „creditum quoque, juste an temere, Alberonem eam mutationem arripuisse, non amore disciplinae regularis, sed explendae avaritiae.“ Quam certe praecipitem censuram S. Bernardi epistolae luculente refutant — Bernardi dicimus, viri (secundum Erasmi Roterod. verba) christiane docti, sancte facundi, pie festivi.

AD CAPUT LXXXV.

— Hoc caput aliquo modo illustratur in laudati Wilthemii Ms. Sunt autem haec hujus scriptoris verba: „Henricus comes res S. Maximini (hujus abbatiae advocati nomine) mature „sublevendas censuit, praesertim Alberone absente, atque per ea tempora cum Caesare commo-„rante. Convocatis ergo praecipuis militiae suae ducibus, mille quingentos probe armatos bel-„latores Luxemburgo Treviros educit. Erant Treviri ea tempestate neque vallo neque muro „cincti, etiam levi manu hostes ingentia damna inferre facile poterant. Urbis robur et „defensio pendebat ab archiepiscopali palatio, et pauculis aliquot anti-„quis turribus, tota civitate sparsis, quas ex eversis Romanorum moli-„bus Franci opere firmiore quam elegantiore quondam construxerant. „Civitati praeerat Fridericus, comes de Vianda (Vienna). Is ubi appropinquantem cum armata „manu Henricum intelligit, egressus civitate, quam defendi posse sperabat, multis argumentis „suasit, ut a proposito deterreret. Turpem notam fore, asserebat, Henrico ejusque Majoribus, „qui nunquam clanculario, sed aperto marte soliti semper inire proelia: si inermes archiepis-„copi subditos invaderet, et cum absente, minus ingenue, bellum susciperet; periculum etiam „grandioris mali et offensam Caesaris opponebat, eo certiorem quo gravioribus negotiis in prae-„torio Caesaris Albero occuparetur. Henricus, ut aequi sic et generosi spiritus, „admissis Friderici rationibus, pedem retroflexit, sparsoque milites per vicinas arces, ipse cum „praecipuis Epternacum revertit.“

— Sed comes Fridericus de Vianna.

Comitatus Viennae, vulgo Viauden, situs in ducatu Luxemburgensi; castrum hujus nominis ad ripam dexteram Urae fluminis sedes erat antiquae familiae comitum Viennensium. Gothefridus III., hujus familiae ultimus, decessit anno 1335., duarum tantummodo filiarum pater, Mariae, quae monasterium ingressa, et Adelheidis, quam duxit uxorem comes Nassovico-Arnusionensis: per hanc unicam haeredem comitatus iste Viennensis pervenit ad dictam familiam Hollandiae.

— Rodolfi montem &c.

Rudolfsberga (juxta A. Wilthemii Ms.) arx erat Luxemburgensis, Treviris haud procul dissita ad ripam Sarae, natura loci arteque insigniter munita.

— Novum castrum, quod Mercurii mons dicitur.

Montem Mercurii hodie Montmedy dicimus, ait Wilth. l. c. — Browerus vero id castrum Neuerburg situm fuisse affirmat in conspectu oppidi Witliaci (An. Tr. II. p. 42.)

— Manderesceat (Manderscheid) castrum natura munitissimum.

Supra collem, ad amnem Lesuram, situm est. Percelebre fuit hujus familiae nomen, unitae postmodum familiae Comitum de Blanckenheim.

— Zolveram cepit.

In chartis publicis quandoque Solubrium, vulgo autem adhuc hodie Zolver dictum; in territorio ducatus Luxemburgensis, quatuor leucas et dimidiam a Luxemburgo situm. Supra collem, hodie der Zollwerknopf dictum, olim hujus familiae castrum existebat, cujus hodie nequidem rudera vel minima extant. Hoc castrum destruxerunt Galli, cum aliis permultis, anno 1552. Familia Baronum de Soleuvre, saeculo XII. jam cognita, usque hodie perstitit. Honthemius (Hist. Trev. dipl. Tom. I. p. 715.) familiam de Soloeuvre dicit extinctam; scimus tamen, hujus nominis etiamnum existere familiam nobilem, ejusdem territorii dominam, ut et villae Zolver, ad pedem praefati collis sitae: nescimus autem, an sit ejusdem prosapiae. Vide plura apud Bertholet (Histoire du Duché de Luxembourg Tom. IV. pag. 437., Tom. VII. pag. 484.).

— Juxta abbatiam, quae claustrum dicitur.

Non est abbatia Eberhardi-Clusana, quae hoc tempore nondum existebat, sed abbatia Hemmenrodensis, ordinis Cisterciensis. — De pace inter Archiepiscopum Trevirensem, et Comitem Namurcensem inita, loquitur Browerus (Annal. Trev. Tom. II. pag. 47.).

AD CAPUT LXXXVI.

— Ivodio se secessurum.

Ivodium in Itinerario Antonini Epoisum nuncupatur, et in libello Notitiae imperii Occidentis Epuso. Gregorius Turonensis et scriptor actorum S. Gaugerici Eposium castrum adpellant; Lupus in actis S. Maximini Evosium castrum; Eberwinus Eposinum castrum. Ivodium, hodie vulgo Ivois, quandoque Carignan, germanice Jwerß, olim erat Luxenburgense, nunc Gallicum est oppidum.

— In templum (S. Mathiae) est introductus.

De hoc templo in cod. ms. S. Mathiae (modo bibl. Trev., N°. 1829 sign.), qui gesta Abbatum hujus monasterii metrice scripta continet, legimus sequentia:

„Venerat Eugenius multis comitatus ad urbem
„Trevericam, templumque novum stupefactus apertis
„Ore oculisque videt, multum laetatus in illo,
„Laudat opus, laudatque operis sine fine magistros.
„Hinc ritu celebri, summam quam dicimus aram,
„Consecrat atque novi benedicit limina templi
„In laudem Christi nec non Genitricis honorem
„Primitus, inde tui Mathia juste, tuique
„Nominis immortale decus divine Philippe:
„Nec non in summum divi Johannis honorem,
„Quem plus quam reliquos Christus dilexit Jesus.
„Jam confessorum numerum si ponere vellem,
„In quorum laudem pariter domus ista sacrata
„Et benedicta fuit, longus labor esset et ingens.“

Haec acta sunt anno 1148. sub Bertulpho Abbate, qui monasterii et ecclesiae novam structuram perfecit, quae sub Eberhardo Abbate, praedecessore suo, fuerat incoepta.

AD CAPUT LXXXIX.

— Et per singula monasteria singulis diebus deportatus est.

Observamus, non solum in Treviratu, sed et alibi Episcoporum funus ad varias olim urbis suae ecclesias efferri consuevisse. — Confer Martene (de antiq. eccles. rit. lib. III. c. 14. num. 4.). — Vidimus hunc morem Treviris observari saeculo adhuc XVIII., anno scilicet 1768., quo Archiepiscopi Johannis Philippi cadaver per plures dies in ecclesia patrum Capucinorum publice expositum, tandem die 30. Maji solenni pompa ad ecclesiam cathedralem transportatum et terrae mandatum fuit.

Ad Alberonis historiam addimus factum, a scriptore nostro praetermissum. Est autem hoc:

Venerat tempore Alberonis in Gallias Roma missus ab Innocentio Pontifice legatus Ivo. Hunc Treviris defunctum anno 1142., Albero in ecclesia primaria juxta sacrarium (humilis ibidem arcus cum ornamentis adhuc conspicitur) cum hoc epitaphio condidit:

„Romae Legatum Legatus Adelbero Romae
„Presbyter Et Praesul Hoc Condidit Hospitio Me.
„Ivo Mihi Nomen, Genuit Britannia, Natum
„Francia Nutrivit, Promovit Roma Vocatum:
„Tandem Non Parcens Rapuit Mors De Medio Me.
„Corde Preces Domino Fratres Effundite Pro Me.
„Sole Duodenas Julii Vergente Kalendas,
„Roma Secunda Mihi Dedit Exequias Venerandas."

Browerus noster epitaphii verba asservavit, quae in ecclesia non amplius extant.

AD CAPUT CI.

— Castrum aedificavit super Mosellam, quod Thurunum appellavit.

Situm erat hoc castrum octo ferme millia passuum supra Confluentes ad meridiem, apud oppidum Alkense. Juxta relationem Actor. Academiae Palatin. Tom. VI. p. 309. et 318. hoc castrum destructum est ab Archiepiscopo Coloniensi Engelberto, quia depraedationibus asylum praebuit. Gesta vero scribunt (capite 103.), ab Engelberto hoc castrum esse acquisitum. Instrumentum confoederationis inter Arnoldum II., Archiepiscopum Trevir., et Archiep. Colon., prope castrum Thurun, anno 1248. conclusae, legitur apud Honthemium (l. c. T. I. ad h. an.) et ap. Güntherum (Cod. dipl. Rheno-Mosell. Tom. II. p. 229. sqq.). Ab Archiepiscopo Trevirensi hoc castrum, post confoederationem jam memoratam, possessum est; ergo ab Engelberto Coloniensi non erat destructum. Vide Gestorum cap. 109.

Ceterum non videtur nobis, verbum Thurunum, Thurum, Touron &c. fuisse primitus nomen speciale hujus castri, sed genericum, quemlibet locum munitum et elevatum designans (*). Plura existunt in territorio Luxemburgensi nobilium castra, nomine aut cognomine Tour,

(*) Sic burgus (burgum) a graeca voce πύργος, idem sonat, quod turris, vel specula.

ut sunt La Tour, Villers-la-Tour, alia. Adde Wachteri Glossar. German. Tom. II. pag. 1688. in voce Thurn.

— Qui etiam muro Trevericam circumcinxit civitatem.

Kyriander, Syndicus Trevirensis, qui non facile ejusmodi actus jurisdictionis Archiepiscoporum Trevirensium aevi illius concedit, utpote systemati suo parum faventes, cum suos Annales eo consilio ederet, ut pleraque documenta ad jura urbis traheret (*), is in suis Annalibus Trevir. (edit. Bipont. 1603. P. XV. pag. 173.) scibit sequentia: „Falsum igitur et in„eptum confictumque est istud eloginm monachorum claustri Himerodii, quod Joannem archi„episcopum anno Christi 1213. mortem obiisse, atque etiam muro Trevericam circumcinxisse „civitatem habet, contra fidem veterum scriptorum, ipsamque temporum convenientiam, ex re„centi saltem at evidenti errore Scheckmanni profectum: idque insuper alio in sequentibus il„lustri argumento patebit ex rebus gestis Arnoldi 88vi pontificis, qui Theoderico post annum „30. ab obitu Joannis successit. Nec abs re fuit, Scheckmanni sodaliumque claustri Hime„rodii nugas de muris Augustae Treverorum pluribus refellere: siquidem vulgo non desunt, „qui istis auctoribus vel certe Gregorii Magni perperam in decretis relata et explicata epis„tola, qua de paulo ante mentio facta est, inducti, Augustam Treverorum eo tempore, quo „Joannes pontificatum adeptus est, desertam prorsus et ab ipso instauratam moenibusque cinc„tam, inde denuo tanquam recenti germine succrevisse, atque ipsum Joannem quasi originis, „virium opumque ac frequentiae suae posterioris auctorem habuisse pro certo sibi credi pos„tulent, tametsi nihil dici possit absurdius.“

Equidem putamus, his verbis a Kyriandro hujus traditionis auctoritatem non posse subverti; ipse enim fatetur, scriptorem actorum Joannis Archiepiscopi huic fuisse coaevum (**); scripta igitur sunt acta haec illo aevo, quo de tali controversia inter Trevirenses et Archiepiscopum nulla quaestio mota est; scripta fuerunt haec ante Scheckmannum; quomodo igitur hujus monachi figmentum dici poterunt? Si Gest. Trevir. cap. 109. narrant de Arnoldo II., Archiepiscopo Trevirensi, et secundo Joannis I. successore: „muro civitatem Treverensem, et praecipue „ex opposita parte munitionum illorum de Ponte, provide circumsepsit,“ haec non obstant, quominus Archiepisc. Joannes, saltem ex parte, muro circumdederit Augustam nostram; constat enim ex monumentis coaevis, Arnoldum II. murum civitatis jam existentem, meridiem versus retraxisse potius, quam novum construxisse. Quid porro? Parum sane interest, sive Joannes I., sive paulo post Arnoldus hoc opus perfecerit; hoc enim factum, cum illo omnino comparandum, sufficiet ad convellendam Kyriandri sententiam. Neilerus in sua Dissertat. de Burdecatu Trevir. pag. 8. non haesitat, dicto Joanni I. portam novam adscribere; ad quid autem porta sine muris? Adde eundem pag. 18. et 19. ibid. His accedit instrumentum resignationis advocatiae ecclesiae et civitatis Trevirensis, die 6. Aprilis 1197, per comitem Palatinum Henricum, in manus Joannis archiepiscopi factae. Testimonium tandem monachorum Epternacensium coaevum, de quo mentionem facit Browerus (Annal. Trevir. Tom. II. pag. 112. N°. 93.) nullomodo suspectum esse potest; ex actis enim mss. hujus monasterii idem auctor refert sequentia: „Quippe „hac ipsa, ubi de controversia loquuntur, quam cum monasterio Joannem suscepisse ostendimus,

(*) In suis Annalibus Kyriander (de quo in aliis scriptis disputavimus) id agit, ut civitatem Trevirensem probare studeat omni tempore fuisse imperialem et non subjectam Archiepiscopo.

(**) l. c. pag. 161.

„eundem illum signate produnt, qui muris Trevericam civitatem cinxerit, hacque „propria quasi nota depingunt." Sane illi, cui haec non sufficiunt, nec plura sufficient.

AD CAPUT CII.

— Henricus Palatinus comes Rheni — — resignavit — archiepiscopo Joanni — advocatiam &c. —

De advocatorum Trevirensis ecclesiae auctoritate vide Honth. Hist. Trev. dipl. I. pag. 341. sq. - 468. sqq. — Ejusdem Prodr. Hist. Tr. dipl. pag. 278. §. X. Adde Calmet Histoire de Lorraine, VII. pag. CXLIII. sqq. —

Nomina Trevirensis ecclesiae advocatorum, quae in chartis occurrunt, sunt haec:

1°. Huodilbertus sub Henrico I. et Theoderico I. Archiepiscopis.

2°. Udilbertus sub Ludolfo Archiepiscopo.

3°. Sigobodus sub Megingaudo Archiepiscopo.

4°. Roricus sub Poppone Archiepiscopo.

5°. Thiedfridus sub Eberhardo Archiepiscopo.

6°. Theodericus et Adalbero sub Udone Archiepiscopis.

7°. Remboldus sub Egilberto Archiepiscopo.

8°. Sigefridus, comes Palatinus Rheni sub Brunone, Godefrido et Meginero Archiepp., qui Sigefridus Henrici comitis Palatini Rheni et domini de Lacu (fundatoris monasterii ad Lacum an. 1093.) privignus et haeres fuit.

9°. Wilhelmus, comes Palatinus sub Alberone Archiep.

10°. Hermannus, comes Palatinus sub eodem Alberone.

11°. Conradus, comes Palatinus sub Hillino et Arnoldo Archiepiscopis. Huic Conrado Palatino anno 1195., absque masculis defuncto, ducta ejus filia Agnete, in palatinatu Rhenano et ecclesiae Trevirensis advocatia successit

12°. Henricus, Dux Saxoniae, qui, ut Gesta Trev. narrant, anno 1197. advocatiam cum omnibus suis juribus et commodis ecclesiae Trevirensi et Joanni I. Archiepiscopo solemni actu tradidit, de quo vide auctores jam supra citatos.

Quandoque advocatus notabatur sub nomine Vogteti, i. e. administratoris, gubernatoris, curatoris. — In antiquis rythmis germanicis Caesar dicitur Roomsche Vogt, Vogt van Rome, et Deus himmlischer Vogt, Weltvogt. Unde profluxere varia vogtetorum nomina: Landvogt, gubernator provincialis; burgvogt, castri aut civitatis gubernator; Kastenvogt, monasteriorum advocatus. —

— Fratribus servitium dabit.

Per servitium significatur ferculum, quandoque etiam prandium. Sic legimus in charta Ottonis militis an. 1297. ap. Ludewig I. Reliq. mss. p. 176.: „Praedictus conventus diem anniversa-„rium mortis meae tu perpetua benedictione recolere debebit, quo die idem conventus ob piam recor-„dationem animae meae servitium bonum habebit cum vino vel medone aut cerevisia Luckowen-„si, cum triticeo pane, cum recenti butiro, cum ovis, cum piscibus &c." — Conf. Du-Cange s. h. v. — Loco vocis servitium in aliis donationibus legitur caritas, quae vox piam, religiosis et pauperibus gratis concessam refectionem in defuncti memoriam denotat. In tabulis mortualibus, et libro anniversariorum S. Maximini, pluribus centenis annis abhinc conscriptis, quoties illustrior defuncti

donatio occurrit, additur vox illa caritas, quae vel adnotabatur simpliciter, vel etiam cum expressa sportulae quantitate. Sic legimus ibidem:

XVII. KAL. MAY. EBERHARDVS. TREVIRORVM. ARCHIEPISCOPVS. KARITAS. DVO. MODII. DOMINICALES. XXXX. DENARII. AD. PISCES. ET. AMA. VINI. DABITVR.

Confer Broweri Antiqnitates Fuldens. p. 175. sq. (Antverp. ex off. Plantin. 1612.) — Ad notam, quam adjecimus ad textum hujus capitis, eo loco, quo de capella antiqua S. Stephani, et de ejus destructione sermo est, aliarum etiam destructionum nostro tempore factarum nonnullas notitias hocce loco referre, consilium nostrum est. Has notitias legimus in cod. ms. Franc. Tobiae Müller, Treviri, meritissimi quondam Pastoris in Louguich, s. t.: „Die „Schicksale der Gotteshäuser in und nahe bei Trier." Sunt autem hujus argumenti:

„Als vor dem Ankommen des neuen Bischofs" (Episc. Carolus Mannay anno 1802. Trevirim venit) „der Dom sollte gereinigt werden, und auch nachher, da dieser Herr schon anwesend war, „wurden wieder viele Aenderungen gemacht. Sechs Altäre wurden ganz hinweggeschafft, nament„lich: der St. Nikolaus-Altar auf dem Chor gleichen Namens — der St. Apollonien„Altar unter der Hauptthüre linker Seite bei der Blasius-Gruft — der St. Hubertus-Altar, „nicht weit davon rechts, und an der Mauer zur Liebfrauenkirche — der St. Erasmus-Altar „an derselben Mauer, weiter in die Kirche, bis an die neun Schritte über dem nun vermauerten „großen Eingang nach der Liebfrauenkirche — der sogenannte Tertiarien-Altar der Sakristie „gegenüber bei dem Grabe des Erzbischofs Otto — endlich der von der Maria aus Aegypten „genannte Altar auf der östlichen Seite bei dem Ausgange."

„Ein gleiches Schicksal, wie diese Altäre, mußten auch damals fünf Monumente Trier'„scher Erzbischöfe und Kurfürsten erfahren. Erstlich das Grabmal Heinrich's von Finstingen „(aus dem 13ten Jahrh.). Dieses war bei dem Erasmus-Altare, linker Hand an der Mauer, bei „dem Eingange zur Liebfrauenkirche. Heinrich lag auf einem vier Schuh hohen und neun langen „Sarge, in Lebensgröße abgebildet mit den erzbischöflichen Attributen. Das zweite Grabmal war „das des sehr rühmlichen Balduin's (im 14ten Jahrh.) auf dem St. Nikolaus-Chor in der Mit„te, doch mehr gegen den sogenannten Freihof zu. Der Sarg von einem weißgelblichen Steine war „an vier Schuh hoch. An demselben Orte, mehr gegen den Altar hin, war der Grabstein Boe„mund's II., von schwarzem Marmor, und ungefähr einen Schuh hoch (auch aus dem 14ten „Jahrh.). An demselben Orte wurde das schwarze Marmor-Grabmal Johann's II. verschont. „Das vierte Monument, welches weggeschafft wurde, und wovon auch nicht mehr die geringsten „Reste im Dom zu sehen sind, ist das vom Kurfürsten Joh. Ludwig von Hagen (im 16ten „Jahrh.). Es war ehemals an der nordöstlichen Mauer, zwischen dem zweiten und dritten Pfeiler. „Die Bildhauerei an demselben war gar schön. Das letzte der zerstörten Grabmäler gehörte dem „Kurfürsten Carl Caspar von der Leyen (im 17ten Jahrh.) Es war unten im Dom zwischen „den Hauptthüren, und mitten zwischen den zwei marmornen Treppen, die zum Nikolaus-Chor „führten. Es bestand aus einem großen schwarz-marmornen, über vier Schuh hohen Sarge, auf „welchem die ganze Bildsäule des Fürsten, im erzbischöflichen Ornate, in Alabaster gearbeitet, „lag. Der hinter diesem Monumente sich befindliche, auf Kosten dieses Erzbischofs neu erbaute, „mit schönen Marmor-Bildsäulen gezierte hohe Nikolaus-Altar ging auch bei dieser Gelegenheit in „Trümmer!!" — —

Haec ex Msto viri doctissimi ad perpetuam rei memoriam historiae nostrae cultoribus notasse sufficiat.

AD CAPUT CIII.

— Pueri namque congregati ex omnibus oppidis.

De hoc eventu fere incredibili Rogerius Bacon, monachus ordinis Minorum, natione Anglus, saeculo XIII. Scholasticus celeberrimus, in opere suo, anno 1733. Londini impresso, p. 253. ad Pontificem Romanum in hunc modum disserit: „Forsan vidistis aut audistis pro certo, „quod pueri de regno Franciae semel occurrebant in infinita multitudine post quendam malig„num hominem, ita quod nec a patribus, nec a matribus, nec ab amicis poterant detineri, „et positi sunt in navibus; et Saracenis venditi, et non sunt adhuc LXIV. anni.“ Videatur etiam Gothefridus monachus, in Freheri Scriptor. rer. German. Tom. I. p. 381. et 450.

— Mulieres conversae, reclusae et sequestratae &c.

Verbum reclusae hoc loco caute intelligendum est; persaepe enim reclusi, inclusi homines erant intra muros monasterii viventes, non autem intra muros angustae cellae instar carceris. Treviris autem, et in dioecesi nostra, medio aevo, virgines aeque religiosas ac monachos extitisse, qui, quo certius essent beatitudinis aeternae, se recludi fecerint in angusta cella, et quidem ad dies vitae, ex variis monumentis sat superque constat (*). Nonne et de S. Simeone, a Poppone, Archiepiscopo Trevirensi, in turri portae Martis anno 1028., cum ipse hoc peteret, recluso, mentionem faciunt Gesta Trevirorum, et vita illius ab Eberwino scripta? Necrologium S. Maximini apud Honthemium (in Prodromo Hist. Trev. dipl. Tom. II. p. 970.) mentionem facit cujusdam Jacobi de Moguntia inclusi. Ad hunc locum dictus auctor in nota d. haec observat: „Nonnulli monachi otii sanctioris desiderio a collegis segregati, usu conven„tuque hominum subinde caruerunt, structis ad id loco opportuno casis, quibus includebantur, „atque inde inclusorum nomen gerebant. Talem nuper adhuc habuerunt monachi S. Mathiae, „anno 1754. pie defunctum.“ Observemus tamen, illum monachum St. Mathianum non fuisse tam arctis limitibus circumseptum, ut, secundum relationem testis ocularis, non frueretur quandoque in hortulo suo adjacente aëre liberiore. Ibidem p. 986. haec legimus: „Edewidis de „Pilliche, Beatrix, Alertildis inclusae (**).“ Agimus autem hoc loco de illis praecipue reclusis aut inclusis, qui in omnem suam vitam in angustissima cella, quasi semimortui, diem exspectabant novissimum. Hujusmodi reclusiones non fiebant sine quadam solennitate, illaque tristissima. Harum rerum curiosis ingratum non esse arbitramur, si hac occasione ex codice ms. membran. saeculi XII. vel ineuntis XIII., olim monasterii Prumiensis, nunc autem bibliothecae urbis Trevirensis, formulas quasdam ejusmodi reclusionum, illo aevo adhuc usitatas, primum publicas facimus; sunt autem hujus argumenti:

„Ordo ad hominem includendum.

„Imprimis cantetur missa, ad quam includendus communicet, et discalceatus sit. Finita missa prosternatur ante altare, et canantur septem psalmi poenitentiales. Post quos dicatur litania, sicut in professione monachorum, ubi inter cetera haec dicantur:

Peccatores te rogamus &c. Ut pacem &c. Ut indulgentiam &c. Ut gratiam &c. Ut pon-

(*) Apud Gregorium Turonensem (Hist. Franc. II. 37.) legimus de Maxentio abbate, jam primis annis saeculi sexti, recluso in monasterii sui cellula ob Dei timorem.

(**) Sic et in cod. ms. mox notando legimus de Joda et Engeldrudi, virginibus Pruniae inclusis.

tificem &c. (*) Ut famulum tuum (**) sacrum poenitentiae locum petentem conservare digneris. Ut ei in hoc sancto proposito perseverantiam dones &c. — Post litaniam dicatur: Pater noster &c. Et ne nos &c. cap. Salvum fac servum tuum. Mitte ei Domine &c. Esto ei &c. Nihil proficiat &c. (***) Dominus vobiscum.

O R E M U S.

Da, quaesumus, Domine Deus famulo tuo (†) indulgentiam suorum delictorum, quatenus de omnibus quae carnali delectatione vel animi cogitatione, atque vana hujus saeculi ambitione contra tuorum rectitudinem mandatorum perpetravit, in praesenti vita veniam percipere mereatur. Per Christum &c. —

Finita collecta se erigat includendus, et accipiens crucem in manibus, procedat ad locum, in quo includendus est; ceteris subsequentibus ac dicentibus: In paradisum eamus fratres &c. In exitu Israël de Aegypto &c. — Et si via longa est, addatur: Christus Dominus illuminatio mea, — cum antiph.: Credo videre &c. Sequitur collecta.

O R E M U S.

Deus infinitae misericordiae et bonitatis immensae, adesto famulo tuo in te confidenti, nihil ei adversitatis noceat, nihil difficultatis obsistat; cuncta ei salubria, cuncta sint prospera, et quidquid justo petierit desiderio, celeri consequatur effectu. Per Christ. Dom. nostrum. amen. &c. Fratres confitemur.

O R E M U S.

Suscipe, Domine Deus pater omnipotens, famulum tuum, quem de hujus mundi naufragiis et periculis eruis (††) et ad tuam vocare dignaris gratiam, concede propitius, ut arctam et angustam viam, quam devota mente exquirit, jugiter diligat, teneat atque sectetur, quatenus ad aeternam quam in te perseverantibus dignatus es permittere gloriam, pervenire mereatur. Per Chr. D. n. — Tunc intret sacerdos in domum (†††) et undique aspergat eam aqua benedicta, prius quam ipse (α) intret, et dicat has orationes:

O R E M U S.

Sanctificetur istius officinae locus Domine et fugetur ab eo omnis immundus spiritus, per virtutem Domini nostri Jesu Christi; deturque famulo tuo in eo commoranti sanitas corporis, claritas cordis, protegente ac conservante majestate tua omnipotens Deus. Per Christum Dominum nostrum.

O R E M U S.

Benedic Deus locum istum, ut famulo tuo in eo sanctitas, castitas, virtus et victoria, humilitas, bonitas, mansuetudo, karitas, semper et abundantia in coelestibus bonis, de pa-

(*) Integrae scilicet preces, prout leguntur ad finem hujus litaniae.
(**) Scilicet includendum.
(***) Prout hae oratiunculae invicem sequuntur.
(†) Scilicet includendo.
(††) Continuae illius aevi rixae, praesertim inter imperium et sacerdotium, depraedationes, caedes, incendia, vitae et animae pericula, tantam probabiliter quibusdam utriusque sexus hominibus societatis humanae nauseam moverant, ut facilius talem, tristissimum ceteroquin vitae statum, amplexi sint.
(†††) Potius cellam.
(α) Scilicet includendus.

tre et filio et spiritu sancto, per omnia saecula saeculorum. — Tunc inducat eum sacerdos, et incipiat psalmum: Quemadmodum considerat &c.

OREMUS.

Adesto supplicationibus nostris, et hunc famulum tuum quem hic in tuo nomine imponimus, custodire dignare, ut te largiente devotus persistat, et vitam percipere mereatur aeternam. Per Chr. Dom. n. — Hic obstruatur foramen, per quod ingressus est, et incipiatur psalmus: Memento &c. cum antiphona: Haec requies &c.

OREMUS.

Deus castorum corporum benignus inhabitator, et incorruptarum inhabitator animarum, respice super hunc famulum tuum, qui tibi devotionem suam offert; sit in eo per donum spiritus tui prudens modestia, sapiens benignitas, casta libertas; ferveat in karitate, et nihil extra te diligat, laudabiliter vivat, et laudari non appetat; te timeat, tibi serviat, tu honor et gaudium, tu in moerore solatium, in ambiguitate consilium, in injuria defensio, in tribulatione patientia, in paupertate abundantia, in jejunio cibus, in infirmitate medicina; teque diligere super omnia appetat; quod est professus custodiat, ut et hostem antiquum devincat, et vitiorum squalores expurget, quatenus omnium electorum tuorum consortio mereatur te donante uniri. Per Chr. Dom. n. amen. &c. Domine exaudi &c.

OREMUS.

Dignare quaesumus Domine famulo tuo renuntianti saecularibus pompis gratiae tuae januas aperire, qui despecto diabolo ad te confugit, venientem sereno vultu suscipe, ne de eo valeat inimicus triumphare: tribue ei brachium infatigabile, auxilii tui mentem, et fidei lorica circumda, ut felici muro vallatus mundum se gaudeat evasisse. Per Christum Dom. nostrum. amen. os. sps. P. Laudate Dominum de coelis &c.

OREMUS.

Clementissime Deus, tuam invocamus pietatem super hunc famulum tuum, quem a saeculo ad te accersiri dignatus es, qui ut conversionis suae fidem digne custodiat, et quidquid pro salute animae suae fuerit depraecatus, obtineat. Per Chr. Dom. nostrum. amen. Domine dilexi decorem domus tuae. amen. Omne quod dat &c. Benedictus &c. Pater noster &c. cap. In memoria aeterna erit justus &c. Credo videre bona. Requiem aeternam &c. Dominus vobiscum &c.

OREMUS.

Deus qui justis supplicationibus semper praesto es, qui pia vota dignaris intueri, da famulo tuo cum sanctis ac fidelibus tuis beati muneris portionem. Per Chr. Dom. n. amen."

AD CAPUT CVII.

— Post venit Conradus rex Treveris.

Rex Conradus tum Treviris diploma edidit, hucusque ineditum, ad patriae historiam, aetatis medii aevi, illustrandam et saeculi genium cognoscendum adprime conducens. En chartae, quae in collectione nostra chartarum Trevirensium asservatur, argumentum integrum:

„Cunradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia romanorum in regem elec-„tus, semper augustus et heres regni HJerusalem, omnibus presens scriptum visuris volumus

„esse notum, quod dilectus clericus noster Henricus prepositus Palatiolensis nobis prestitit tre-„centas libras Treuirenses, et nos eidem captos assignavimus nostros Judeos cum „integritate rerum suarum, scilicet Helemannum et Heckelinum suum generum de Cog-„me, et Aaron de Croue, ut ab eisdem accipiat cum accessoriis dicte pecnnie „quantitatem. Dantes eidem preposito potestatem vendendi domos et res eorum qui-„buseunque sibi visum fuerit expedire. Si vero tantam ab ipsis non potuerit ex-„torquere pecuniam, talem defectum eidem ex nostro erario promisimus verbo regis adim-„plere. In cujus rei testimonium presens scriptum dicto preposito tradidimus sigilli nostri „munimine roboratum. Datum et actum Treuiris anno Domini M.CC.XLI. Kalendas Marcy."

Appensum Conradi sigillum omnino idem est, ut videmus impressum in alio ejusdem Regis diplomate, quod publicavit Zillesius (Part. III. p. 60. Defens. Abb. Imp. S. Maximini).

AD CAPUT CVIII.

— Arnoldus de Rupe.

Familia nobilis dominorum de Rupe, von der Fels, gallice La Rochette, medio aevo bene cognita. Castrum hujus nominis in ducatu Luxemburgensi, 5 leucas septentrionem versus ab urbe capitali supra collem situm, quem praeterfluit rivus Erntz, medio aevo fere impugnabile fuit: hodie nil nisi ruinae supersunt. Teste Joanne Bertelio (Histor. Luxemb. p. 180.) hoc castrum jam anno 1598. non amplius fuit habitatum. Non credimus, hanc familiam ad saeculum usque XVIII. stirpem suam traxisse. Vide Bertholet (Histoire du Duché de Luxembourg, Tom. VII. p. 131.). Hodierna familia baronum von der Fels alia plane est, et recentiori aevo nobilitata.

— Theodericus de Lincerio.

Hodiernum Linster, et quidem, ut nobis videtur, villa dicta Burglinster, 2 circiter leucas a vico Fels, supra memorato, meridiem versus.

— De parentela de Ponte procreatus.

Vulgo die Herren von der Brücken; familia medio aevo apud Treviros satis nota, sed non semper pacis amans: illius castrum situm erat in regione villae aut suburbii S. Barbarae, olim intra muros urbis, his autem anno 1242. ab Archiepiscopo Arnoldo II. retractis, exclusum fuit ab urbe nostra, et anno 1674. cum aliis quibusdam hujus regionis habitaculis, et ecclesia parochiali B. M. V. plane destructum.

AD CAPUT CIX.

Domini de Ponte per muri restrictionem et novam portam, quam dicebant invidiosam, de urbe separabantur. In hoc opus, quatuor annorum subsidium (ait laudatus Nellerus in sua Dissert. de Burdecanatu Trev. p. 19.) a civibus dari pactus est (Arnoldus), scilicet ut ex vetusto diplomate constat, quod sic sonat: „Communicato consilio et assensu ven. patris et „domini nostri archiepiscopi, capituli, et universitatis (*) pro necessitate civitatis Trevirensis sta-„tutum est, ut subscripta solvantur ad firmitatem civitatis: Sextarius vini (vulgo Sester) dena-„rios duos, et quod mensurae minores in civitate tantum diminuantur. Quod sexter de qua-

(*) universitas, i. e. hoc loco, civium communitas.

„libet ama supercrescens cedat ad operas firmitatis civitatis. Item de qualibet piscatione duos „denarios; de bove, de ove, de porco, de sue obulum unum, de capra, de capro obulum, „de perna, de capreolo denarium; et quae sequuntur allarum rerum venalium, et in forum „allatarum taxatae sunt, de panno omnis generis, de melle, cerevisia, lapide molari, pisce, „pellibus, bovinis, caprinis, ovinis, de sede in navi et extra eam, de apothecariis in pos„terna" (i. e. de vico, qui hodie dicitur: Unter dem Stern) „vel externus, de oleo, saxo, „ferro, cupro et aliis metallis, et de alecibus. — Praemissa initium habebunt in cathe„dra Petri, et durabunt ex tunc ad quatuor annos, promittentibus domino archiepiscopo, ca„pitulo, et uuiversitate Trevirensi, quod eadem suo tempore cedere facient, et rebelles ad „solvendum compellent, nec ex tuuc durabunt nisi ex consensu domini archiepiscopi, capi„tuli, et universitatis. Clerici, vel ecclesiasticae personae, milites, et ministeriales ad nulla „tenebuntur, nisi vinum vendi faciant per mensuras; nec ad istorum pignora manus apponent, „nisi per officialem. Ut autem praemissa suo tempore recta permaneant, praesenti scripto do„mini Archiepiscopi, capituli, et universitatis Trevirensis, sunt appensa sigilla: actum anno Do„mini 1247. in epiphania Domini."

Haec turris et porta invidiosa non amplius extant.

— Memorabilia opera dicti duo archiepiscopi perfecerunt.

Hic silentio praeterire nolumus, quamvis sileant Gestorum scriptores, admirabilem basilicae B. M. V. structuram, quam referimus ad tempus regiminis Archiepiscoporum Theoderici II. et Arnoldi II. De hac exstructa mole, opere magnifico, et in annalibus architecturae medii aevi fortassis unico, mentionem facit Browerus (Annal. Trev. II. ad annum 1243.) his verbis: „Surrexit hinc excelsior Basilica Deiparae Matris Treveris aedi summae continens, pub„licis atque opulentis piorum hominum impensis. — — Templum ipsum, ex quadrato lapide, „adspectu atque operis magnitudine peramplum atque sublime stat, eminetque praecipua ele„gantia, edito atque excelso fastigio turris, quae trabibus in admirandam prorsus altitudinem „adstructis, amoenoque tectorio ex petra fissili inductis, longissime conspicitur quoquo„versum. — — Structura crucis effigiem exprimit, spatio in longitudinem aliquanto majore. „Jam vero columnae stant infra, crucis in orbem velut latera colligentes, insigni opere atque „amplitudine, quaeque testudinem arcubus, variis in locis affabre se decussantibus, sustinent. „Qua porro templi sese facies aperit, spectabile frontispicium in acumen surgit pyramidale, „cujus area summa Christi in cruce pendentis triumphale signum praetendit, rigidius quidem; „sed, ut iis temporibus, venustum tamen, cum Virgine Matre, ac D. Joanne, ex saxo fa„brefactum, non sine vario statuarum instructu ornatuque." Desideramus, Browerum aut noluisse aut non potuisse jungere literas Conradi, Archiepiscopi Coloniensis (*), de anno 1243.,

(*) Sub eodem Conrado incepit exstructio celeberrima ecclesiae cathedralis Coloniensis. Chronicon Germnicum Colon., ms. saec. 14., (bibl. Trev. N°. 1423. sign.) scribit: „In den jaren vns herren M.CC.XLVIII. vp. vn„ser vrauwen dach dat si zu hemel vur. du wart des nuwen doyms begvnt van buschofs Conrait „van honstraden." In libro rarissimo: „Die Cronica van der hilligen Stat van Coellen" (Colon. impr. 1499.) hoc factum refertur his verbis: „In den jaireu vns heren MCCXLVIII. — — byschoff „Conrait (van Hoesteden) dede begynnen den groissen kostlige vn ewige buwe den Doym d'unzer tziit „anno dni MCCCCXCIX. noch degelichs gebuwet wirt. — Der byschoff lachte de eyrsten steyn vp vn„ser lieuer vrauwe auent Assumptois." — —

Andernaci signatas, quibus, ad inchoatum opus explicandum, quavis parte suae dioecesis postulandi subsidia, data fuit potestas. Fato satis felice, nuperrime nobis pervenerunt plura diplomata atque medii aevi acta, pleraque nullibi impressa. Inter illa sunt laudati Conradi literae, quas hoc loco publicitate omnino dignas judicamus. Sunt autem hujus argumenti:

„Conradus Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie minister, sacri imperii per Italiam „archicancellarius, dilectis in Christo archidiaconibus, abbatibus, prepositis, prioribus, decanis, „pastoribus, vicariis, et aliis ecclesiarum rectoribus universis, in diocesi et provincia Coloni„ensi constitutis, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in Domino."

„Cum ecclesia beate Marie Virginis gloriose majoris in Treueris, que caput, mater et ma„gistra est omnium ecclesiarum provincie Treuerensis, pre nimia vetustate corruerit per „se ipsam (*), ac de novo inceperit decoro et solemni opere relevari, et quod ad ejus con„servationem proprie sibi non suppetant facultates: mandamus devotioni vestre in virtute „sancte obedientie, et sub pena suspensionis precipientes, quatenus nuntios ejusdem eccle„sie, latores presentium, cum ad vos venerint, propter hoc fidelium eleemosinas petituri, „in ecclesiis vestris benigne recipiatis, siue difficultate, conventione, exactione, et conditione „qualibet a vestris subditis recipi faciatis. In adventu autem reliquiarum ecclesie memorate „per singula loca, ad que pervenire continget, pulsatis campanis, convocato clero et populo, „cum solemnitate debita plebes vestras eis occurrere moneatis, et dies adventus nuntiorum „dictorum, pro omnipotentis Dei et Matris ipsius reverentia et honore, et sedis apostolice in„dulgentia atque nostra, celebris et festiva, sicut dies dominica, ab omnibus habeatur, donec „missa fuerit celebrata, et negotium prefate ecclesie feliciter consummatum, ut quicquid „contra preceptum ecclesie ac sacerdotum suorum, in celebratione dierum sacrarum, negligen„ter, illicite ac temere perpetraverint, a Domino et a nobis eis condonetur ibidem. Et si qui „ex nostris plebibus hujusmodi mandatum nostrum neglexerint adimplere, ipsos ad observatio„nem ejusdem per excommunicationis sententiam compellatis. Et ut populum ad hec commo„dius inducatis, divina solemnia solito celebretis. Et nos potestate a Deo nobis collata, quic„quid ex torpore seu negligentia vel oblivione de divino officio contra preceptum Dei et ordi„nem nostrum in missis et horis canonicis omisistis, vobis, dummodo penitentes et contriti „fueritis, indulgemus."

„Datum Andernaci, anno Domini MCCXXXXIII. III. Nonas Junii." —

In eodem cod. ms., N°. 1251. sign., legimus hanc notam scriptoris cujusdam saeculi XVI.: „Turris beatae Mariae Virginis confecta est ac Dedali arte elaborata anno 1492., teste domino „Dionisio septuagenario, et altarista majoris ecclesiae Treverensis."

Haec turris turbine vehementissimo est dejecta anno 1631. — Fenestrae hujus ecclesiae, picturis saeculi decimi tertii splendidissimis decoratae, anno 1771., quod gravissime dolendum, destructae sunt! —

(*) Alia ergo jam prius et vetustissima, ante hanc, quam hodie videmus, juxta cathedralem basilicam, B. M. V. consecrata extiterat ecclesia; de qua jam in chartis Popponis Archiepiscopi (saeculi XI.) sermo est, in quibus appellatur „Basilica sancte Marie, que sita est juxta domum S. Petri in Treuerica valle."

FINIS VOLUMINIS PRIMI.

